
1
.
0
NAZIONALE
FIRENZE

Google

XXVIII
Venet.
744
A. 7

Digitized by Google

21-40



Digitized by Google

NUMISMATA
ROMANORUM PONTIFICUM
PRÆSTANTIORA

A MARTINO V. AD BENEDICTUM XIV.

PER

RODULPHINUM VENUTI

CORTONENSEM

AUCTA, AC ILLUSTRATA.



ROMÆ, MDCCXLIV.
Ex Typographia Jo. Baptiſtæ Bernabò, & Joſephi Lazzarini.

PRÆSIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

Si vultus cujuslibet puro colore depingitur; multo justius metallorum puritate Principum imago custoditur.
Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. v. Epist. 32.

Digitized by Google

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi

SILVIO
CARDINALI VALENTI

Smi Dni Nostri BENEDICTI XIV.
Sanctioris Consilii a Secretis.

RODULPHINUS VENUTI
ÆTERNAM FELICITATEM PRECATUR.

EA est hujusce Libri, qui in lucem prodit, dignitas, & argumentum, ut, nedum auctoritate, sed & eruditione conspicuum Patronum jure meritò sibi poscat. Numismata Romanorum Pontifi-

Digitized by Google

cum liber exhibet, eaque notis quibusdam, historicis potissimùm, illustrat. Qua parte Numismata proponit, magnum quid continet, quodque Summos Ecclesiæ Pontifices habet Auctores; qua verò adnotationes subjicit, multa, quæ animum instruant, ac eruditum deceant Virum, attexit. Ex utroque capite, CARDINALIS AMPLISSIME, *opus Tibi nuncupandum, tuoque nomine dignum. Multa polles auctoritate, qua opus tuearis; multa præstas eruditione, qua illud exornes. Quid valeas, satis docet præcipuum in Ecclesiæ negociis gerendis ministerium. Rerum summa Tibi credita, nec ejus, quod Tibi summo jure delatum est, muneris, partem aliquam fortuna, vel favor sibi vendicat. Qui Te novit, ille Te elegit, Deo plenus, & humanarum rerum Scientia instructissimus* PONTIFEX BENEDICTUS, *ac Apostolicæ sollicitudinis consortem designavit. Quid verò noveris, præcipua illa, ac difficilia, quæ* ne-

nedum in Belgio, sed & in Hispaniis summa cum laude in Ecclesiæ commodum obiisti munia, satis declarant. Accedit singularis ille, quo literas, ac bonas artes, nedum prosequeris, sed tueris, ac servas, amor, & sollicitudo; quod enim jam tenes, in aliis probas. Neque verò, vel auctoritate extolleris, vel doctrina intumescis. Vilioris animi est in extrema deflectere; at contra, ingenuus, & ad magna comparatus animus, eam novit servare modestiam, quæ Christiani Nominis præcipua dos est. Et hæc quidem animi Tui *moderatio, ne plura addam jam monet, ac silentium indicit; præstat enim optimum esse, quam videri. Quare, hoc unum subjiciam, ut me, ac mea omnia validissimo* Tuo *Patrocinio foveas, ac complectaris;* Teque *Deus Optimus Maximus, in eo, quem* Tibi *contulit, splendore, ac dignitate, diu servet incolumem.*

Dabam ex Ædibus X. *Januar. An. sal.* MDCCXLIV.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. De Rubeis Archiepiscopus Tarsi Vicesgerens.

APPROBATIO

Reverendissimi Patris Aloysii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magistri mandatis obsequens Librum, cui titulus est: *Numismata Romanorum Pontificum Præstantiora &c.* Summa animi jucunditate legi, & perlustravi, neque in eo quidquam offendi, quod bonis moribus, & Catholicæ doctrinæ adversetur. Quinimo cum eruditissimus Auctor, & de Nummaria facultate summopere meritus identidem ea sppleat, & illustret, quæ in idem argumentum alii scripserunt, plura hactenùs inedita Nusinimata, summaque sedulitate conquisita proferat, ac demum plura edisserat cæteris incomperta; iccircò utillimum fore duco, si ad illustrandam Romanorum Pontificum, & Urbis historiam publici juris fiant. Hac die XVI. Junii MDCCXLIV.

Lucas Nicolaus Recchus.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ILLUD cum primis Lector benevolus norit oportet, quod ad operis cujusque rationem, methodum, ac institutionem conferre potest, ut Auctoris mentem, ac Libri sensum penitus assequatur. Hinc non semel universo operi Prolegomena, ac Præfationes præmitti solent, eo quidem consilio, ut vel prima facie, operis œconomia innotescat, eaque, quæ forte in libri contextu aut omissa sunt, aut non satis elucidata, novo ordine, & nova luce donentur. Nil mirum igitur, si nonnulla, quæ Lectorem paulisper detineant, hic primùm edisseramus, quoniam rei dignitas, atque utilitas ita postulant. Rei quidem utilitas; alioquin actum agere videri possumus, si novam operis rationem, ac methodum non aperiamus: Rei dignitas; quum enim Romanorum Pontificum Numismata susceperimus illustranda, argumenti dignitati haud satis consulimus, si eos, qui de re Nummaria optime meriti, qua arte, qua labore ac ingenio, conflandis, cudendisve Numismatibus insudarunt, ingrato silentio prætereamus. Duo igitur hujusce Præfationis sunt capita: alterum, Operis ratio: alterum, rei Nummariæ Artificum series historica.

Operis ratio sic habet. Numismata Romanorum Pontificum exhibemus, ac illustramus. Rem hanc primo velut impetu aggredimur, nec ad ea, quæ de Nummorum, sive Numismatum institutione, usu, antiquitate proferri solent,

fer-

Digitized by Google

sermonem convertimus. Multa de hoc argumento scripsere Spanhemius, Vaillantius, Patinus, ac Norisius; illos adeat quisquis vetustati studet, & rem ab ovo, ut ajunt, amat repetere. Nec nobis curæ est, quorsum Numismatibus illustrium Virorum nomina, ac imagines fuerint impressæ, pluribus investigare; jam enim hanc provinciam sibi præoccuparunt post Ducangium, atque Bandurium, Le Blanchus, Vignolius, ac Floravantes. Non enim vetustissima Imperatorum Numismata, sed Pontificia duntaxat, eaque, ut videbimus, recentioris ævi, proponimus, ac illustramus.

Unum tamen adnotare juvat, ea potissimùm ratione invectum fuisse Numismatum usum, ut eorum, qui, aut dignitate, aut rebus præclare gestis cæteris præstabant, memoria numquam excideret. Hinc eorum nomina, imagines, egregia facta auro, argento, vel ære pingebantur, ut, duriori metallo credita, diutius superessent, & ad seram usque posteritatem pervenirent. Et, quoniam illud cum primis in votis est, ut grata apud suos, & amicos vigeat recordatio, solemne fuit ejusmodi monumenta amicis præcipuè, ac domesticis servanda tradere, ut eorum aspectu, & jucunda identidem excitaretur memoria, & perenne Majorum extaret testimonium.

Verùm, nec dum ambitiosum perennis apud posteros gloriæ studium acquievit. Etsi insculpta metallis, minus tuta videbatur famæ custodia; Hinc, ut veluti æternitatis æmulam sibi constituerent firmitatem, nobilioribus, ac numquam perituris ædificiis Numismata recondebant, ut, tamquam duplici aggere muniti, ad propulsandam temporum injuriam pares essent. Mos iste ne dum apud antiquos obtinuit, sed etiam apud posteros invaluit, & nostra item ætate ferè communis est. Quanta hac in re fuerit antiquorum cura, ac sollicitudo, ex Taciti loco colligitur, quem, quia lucu-

luculentus eſt, juvat exſcribere: *Curam*, inquit Hiſtoricus [a], *reſtituendi Capitolii* (Veſpaſianus) *in L. Veſtinium confert, Equeſtris ordinis virum, ſed auctoritate, ſamaque inter Proceres; ab eo contracti Haruſpices monuere, ut reliquiæ prioris Delubri in paludes aveherentur. Templum iiſdem veſtigiis ſiſteretur; nolle Deos mutari veterem formam. XI. Kal. Jul. ſerena luce, ſpatium omne, quod Templo dicabatur evinctum vittis, coroniſque; ingreſſi milites, quibus fauſta nomina, felicibus ramis; dein Virgines Veſtales cum pueris, puelliſque patrimis, matrimiſque, aqua rivis, & fontibus, amnibuſque hauſta perpluere. Tum Helvidius Priſcus Prætor præeunte Plauto Eliano Pont. luſtrata ſuove taurilibus area, & ſuper ceſpitem redditis extis Jovem, Junonem, Minervam Præſideſque Imperii Deos precatus, uti cœpta proſperarent, ſedeſque ſuas, pietate hominum inchoatas, Divina ope attollerent; vittas, quis ligatus lapis, innexique funes erant, contigit: Simul cæteri Magiſtratus, & Sacerdotes, & Senatus, & Eques, & magna pars Populi, ſtudio, lætitiaque connixi, ſaxum ingens traxere; paſſimque injectæ fundamentis argenti, aurique ſtipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, ſed ut gignuntur. Prædixere Haruſpices, ne temeraretur opus ſaxo, aurove in aliud deſtinato. Altitudo Ædibus adjecta. Id ſolum Religio annuere, & prioris Templi magnificentiæ defuiſſe creditum, quo tanta vis hominum retinenda erat.*

Hunc morem fortaſſe ſequutus, Leonis X. ætate, Jo. Baptiſta Branconius, Numiſma excudi curavit, quod, ut ex epigraphe licet conjicere, in Ædificio aliquo recèns extructo eſſet collocandum. Antica pars habet:

[a] Lib. 4. n. 53.

LEONIS
DECIMI
PONT. MAX.
BENEFICIO
ANNO DOMINI
MDXVII.

Postica verò:

IO. BAP.
BRANCONIVS
AQVILANVS
A CVBICVLO
SECRETVS

Qua parte Numisma beneficentiæ Leonis meminit, fortassis indicat Leonem conficiendo operi sumptus præbuisse: Qua verò Branconium nominat, eum forte indigitat, qui, ut extrueretur Ædificium, curavit, vel præfuit extruendo. Sed hìc solis agimus conjecturis. Extat Numisma apud Cl. Baronem Stoschium.

In Numismatibus Romanorum Pontificum recensendis, antiqua a recentibus, genuina a spuriis accuratè secernenda. Quæ damus Numismata, a seculo Ecclesiæ XIV., & Martino V. Pontifice, primùm incipiunt. Quæ igitur vetustiora proferuntur, posteriora sunt, & vetustatem novo opere repræsentant. His accensetur duplex Numismatum series, quæ a D. Petro ortum ducit, & ad recentes usque Pontifices extenditur. Prior series crassiori opere excusa, Jo. Baptistam Pozzi novit auctorem; posterior, quæ ad postremum usque Pontificem BENEDICTUM XIV. procedit, prodiit Norimbergæ. Sunt & alia, quæ Martini V. ætate antiquiora videntur, Numismata; quippe duodecim ante Martinum Pontifices exhibent, & a Johanne XXI. primùm incipiunt; sed reverà nullam redolent vetustatem. Nostro ævo prodie-

dierunt auctore Ferdinando *Saint Urbain*, qui sub Clemente XI., annuente Cardinali Francisco Barberino, huic operi manum adjecit.

Multa etiam spuria, & apocrypha circumferuntur. Huc pertinet Numisma illud, quod Johannis XII. effigiem barbatam exhibet. Quis auctor fuerit, ignoratur. In re obscura nihil certi proferre licet. Hoc opus Andreæ Lanzanio tribuit Mandosius, cui ultro subscribimus, quoniam nulla, quæ secus suadeat, urget ratio, vel movet auctoritas.

Non malo animo, sed improvido consilio prodiit sub Paulo III. Numisma quoddam, a Bonannio sub num. XII. relatum, quod temporum rationi nequaquam congruit, ideoque spuriis accensendum. Rarum quidem est, ac elegantissimum, &, si rei Nummariæ peritis audiamus, celeberrimum Bonarrotium habuit inventorem. Pauli III. effigiem refert, hac posita epigraphe: PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XVI. In pluviali, minutioribus lineis Porta Aurea, quæ quovis Jubilæi anno a Romano Pontifice reseratur, exprimitur, additis litteris: ANNO. IVBILÆI. Verùm, nec Jubilæi annum attigit Paulus, nec, morte præreptus, Sacratioris Januæ fores aperuit. Quare triennio ante Jubilæum, Paulo adhuc superstite, fusum Numisma credere par est. Paulo vita functo, ex primæva forma nonnihil immutata, nimirum sublata epigraphe, ac imaginibus, quæ Jubilæi annum demonstrabant, alia prodierunt Numismata, genuina annorum supputatione signata, nec jam Pontificatus anno XVI., sed veriori calculo, anno XIII. Pontificatus apposito.

Non spuria duntaxat, sed impia ac sacrilega censenda sunt ea Numismata, quæ in odium Romanæ Ecclesiæ, ac Pontificiæ Dignitatis ab Hæreticis conficta, ac vulgata

 sunt.

ſunt. Ex horum numero illud profecto eſt, quod olim in muſeo Commendatarii de Puteo, nunc apud Dominum Faghel, qui in dominio Provinciarum Belgii unitarum a Secretis eſt, Julii II. effigiem exhibet hac epigraphe: IVLIVS. CAESAR. PONT. II., perinde ac ſi ne dum Pontificis, ſed & Cæſaris nomen Julius ſibi arrogaverit. Rem ab Hæreticis confictam, & dolo malo excogitatam, Legatus quidam Aloyſii XII. Galliæ Regis, datis Januæ literis ad Regem detulit, ſi fidem habeamus Valeſio, qui hanc epiſtolam in collectione quadam Litterarum, quas Legati ad Galliæ Reges Aloyſium XII., Franciſcum I., & Henricum II. ſcripſere, ſe legiſſe teſtatur.

Aliud Numiſma ſuperiori affine, ſervat memoratus D. Faghel, Pauli III. ætate procuſum. Eſt autem ejuſmodi: Superior pars Pontificem camaleucio, ac breviori pallio indutum refert, hac epigraphe: DIVVS. PAVLVS. III. PONT. OPT. MAX. Pars altera, Pontificis effigiem pluviali ornatam exhibet, hiſce litteris; PAVLVS. III. PONT. OPT. MAX. Eodem pertinet Numiſma Julii III. effigie ſignatum, ac inſcriptione diſtinctum: REX. AC. PATER. Hoc autem Numiſma adulterinum eſſe, ne dum res ipſa probat, ſed ex alio genuino ac germano apud Baronem Stoſchium aperte colligimus, in quo, REGIS nomine expuncto, legimus: PASTOR. AC. PATER.

Ad operis rationem pertinet, quibus de cauſſis potiſſimùm id conſilii ceperimus, aperire. Duo, ut vera fateamur, nos impulerunt: Primum, quod de Pontificum Numiſmatibus nemo hactenus ſatis accuratè tractaverit: Alterum, quod longè accuratiori methodo, ac ſtudio, Romanorum Imperatorum Numiſmata prodierint illuſtrata. Utrumque animos ac ſtimulos addidit: Quibus olim acceſſere clariſſimi, ac multa mihi familiaritate conjuncti Franciſci Valeſii

lesii eruditi ac sapientis Viri monita, & hortamenta.

Quæ ad nostram usque ætatem prodiere de Pontificiis Numismatibus lucubrationes, duæ sunt, altera a Molinetio Ordinis S. Genevefæ Monacho Parisino; altera a P. Bonannio Societatis Jesu, doctrina, & eruditione conspicuo, concinnata. Molinetii opus integro Volumine ann. MDCLXXIX. typis edito, Numismata quamplurima exhibet, ac illustrat, eorumque seriem ad Innocentii XI. ætatem producit. Quamplurima inquam Numismata; multa enim deficiunt; &, si notas quas addidit ad limam revocemus, in multis hallucinatur. Laudandum tamen opus, vel eo maximè titulo, quod magnum aliquid, ac pridem intentatum aggreditur.

Majori cura, ac sedulitate Numismata tractavit Bonannius, sive numerum, sive adnotationes percurras. Duo confecit Volumina, & ad Innocentium usque XII. seriem extendit. Multa operis laus; non ideò tamen suis caret nævis. In recensendis Numismatibus aliquando deficit; abundat aliquando. Genuina omittit: spuria pro genuinis adoptat. Nonnulla ex Tipotio, & Palatio addit, quæ Nummi potius emblematici, quam vera Numismata censenda sunt. In notis, quas addit, usque adeò prolixus est, ut fastidium creet; ac non raro ad multa deflectit, quæ ab operis instituto nimiùm recedunt.

Hæc incommoda, ac menda, novum hunc laborem a nobis exprimunt, atque ut pro viribus, veritati, ac antiquitati consulamus, compellunt. Ne autem in ea, quæ in aliis reprehendimus, vitia incurramus, has in hoc Opere leges nobis omnino servandas proponimus, ut veritati, ac perspicuitati studeamus. Veritatis studiosi integram dabimus Numismatum seriem a Martino V. ad BENEDICTUM XIV. quo regnante, hæc scribimus. Quæ genuina non sunt, rejicie-

ciemus; certa ab incertis; fusilia ab iis, quæ cusa sunt, longè secernemus. Notas dabimus breviores, & accuratas, quas vel a probatis Auctoribus hausimus, vel ab authenticis Bibliothecæ Vaticanæ manuscriptis Codicibus, vel ab Historiis synchronis. Si quid ex epigraphe, emblematibus, aut etiam ex figuris quibus pluviale distinguitur, memoria dignum occurret, explicabimus. De temporum ratione solliciti, annos supputabimus; & ubi Pontificum occurrent insignia, ne dum ea elucidabimus, sed & aream cui insident, ut obvium cuique sit colorum varietatem juxta Blasonis canones cognoscere, describemus.

Quod verò ad perspicuitatem attinet, coordinandis ac describendis Numismatibus, totis viribus incumbemus. Majora a minoribus distinguimus; atque ut dissimilis moduli ratio ad oculum pateat, nonnullos sub libri initium majores ac minores circulos pagina impressos objicimus, ad quos Numismata, veluti ad lydium lapidem, exigantur, atque ea Numismatis magnitudo, sive molis extensio colligatur, quæ circulo bene respondet.

Etsi, servata temporum ratione, Numismata enumeremus; ut major adhuc accedat dispositio, atque ex dispositione perspicuitas, seriem universam ad tres classes revocamus, ea lege, ut prima a Martino ad Clementem VII.; altera a Clemente ad Leonem XI.; tertia a Leone ad Benedictum XIV. ducatur. Ex quo fiet ut Numismata restituta a primævis, & integris rite secernantur. Quæ enim ad primam classem pertinent, uno vel altero Julii II. excepto Numismate, fere omnia (de cusis hìc loquimur) sunt restituta: In altera classe restituta Numismata rariora sunt; in tertia plane nulla.

Multam quoque afferre solet lucem rerum catalogus, in quo, quæ hac illac dispersa sunt, in unum colliguntur, & uno

& uno veluti obtutu oculis ſubjiciuntur. Duplicem idcirco Indicem in fine Operis dabimus: unus ea Numiſmata, quæ in Bonannio reprehendimus, ac rejicimus; alter res præcipuas, quas Liber continet, complectetur.

Non levis etiam huic volumini ab externo ornatu, ac elegantia, ſplendor accedet. Anno elapſo prima Vaillantii Romana editio prodiit omnium ſpecioſiſſima, ſive ad characteres, ſive ad chartam, ſive ad omnimodam vel Inciſoris, vel Typographi curam, oculos convertamus. Ita sanè doctiſſimi Viri Johannis Franciſci Baldini Clerici Regularis Congregationis Somaſchæ, quo adnitente Vaillantii de Romanorum Imperatorum Numiſmatibus opus typis Romæ ſubjectum eſt, & multa ex parte auctum, & illuſtratum, votis ac laboribus par exitus reſpondit. Ne quid hac in parte nitoris vel elegantiæ noſtro deſit operi, totis viribus contendimus; eumdemque Typographum, chartam ac characteres omnino pares delegimus; atque ſcalptorem peritiſſimum nacti ſumus, qui Numiſmatum formam, qua elegantiorem vix, ac ne vix quidem ullam invenias, cupri laminis imprimat. Ex quo illud tandem nos conſequuturos ſperamus, ut, ſin minus ex noſtro ingenio laus operi debeatur, ſaltem ab externo cultu, ac ornatu pretium accedat; nec jam aliquis doleat, ut nos aliquando doluimus, longè præſtantius volumen eſſe, quod Imperatorum, quam quod Pontificum Numiſmata illuſtrat. Tanta enim inpoſterum inter Opus utrumque ſimilitudo intercedet, ut, prima facie, penè gemellum credas utrumque librum, licet reipſa nec tempore, nec argumento, nec auctore conveniat.

Antequam ad alterum Præfationis membrum pedem moveamus, & Artificum, qui Pontificia Numiſmata vel conflando, vel cudendo ediderunt, ſeriem proponamus, unum præmittamus oportet, nos & intentatum opus aggredi, & in

Digitized by Google

in ſumma rerum inopia verſari. Nemo hactenus, quod noverimus, provinciam hanc pro meritis tractandam ſuſcepit; nemo eſt, qui ejuſmodi Artificum plenam, abſolutamque notitiam ſuppeditet. Aliquorum vix nomen innotuit; aliorum, præter nomen Numiſmati inciſum, vix aliud ad nos pervenit. Quare, ſi quid hac in parte deficiat, multa autem profectò deerunt, ne nobis Lector ſuccenſeat, poſtulamus. E ſterili meſſe paucas ſpicas colligimus; ex tenui fonte rivulum, ſiti tollendæ vix parem, educimus. Accuratiorem dabit Catalogum qui plura noverit: Nobis interim hoc unum, & facem prætuliſſe, & viam hactenus inacceſſam aperuiſſe, ſat erit.

Præclaros inter Artifices primus occurrit *Victor Piſanus*, ſeu *Piſanellus*, quem nonnulli Patria Veronenſem credunt; at Maffejus [a] e Vico S. Vigilii ad Veronæ Lacum ſito, natum affirmat. Floruit XV. Eccleſiæ ſeculo fere dimidio, & Martini V. Numiſmata, ex omnium conſenſione, conflavit. Alia, & quidem multa, Piſani nomine circumferuntur; ſed, an reipſa Auctorem habeant Piſanum, meritò dubitatur. Unum, omnium fortè poſtremum, pro Sigiſmundo Malateſta Arimini Domino edidit ann. MCDXLV.; aliud, & quidem præclariſſimum, celeberrimo viro Inico Avalos obtulit; in quo, præter Inici effigiem, ac nomen, quod antica pars exhibet, poſtica tria continet elementa, Cœlum, Terram, ac Mare, hac epigraphe: PER. VVI. SE. VA; & in imo: OPVS. PISANI. PICTORIS. De hoc Numiſmate cecinit Caſtalio [b], ex quo duo hæc carmina ſubjicimus:

Gratia Piſano debetur ſumma labori,
Qui faciem Herois multos ſervavit in annos.

Pi-

a *Maff. Veron. illuſtr. pag. 3.*
b *Miſcell. Erud. Ital. pag. 81.*

Pisanum nominant, ac commendant Vasarius, Baglionus, & elegiaco carmine Titus Strozza. Gemina habet Leonellus Estensis [a], qui olim, esto spurius, Ferrariæ dominatum exercuit, in ea, quam ad quemdam Meliaducem nomine dedit, epistola [b]: *Pisanus*, inquit, *omnium Pictorum hujusce ætatis egregius, cùm ex Roma Ferrariam se contulisset, tabulam quamdam sua manu depictam ultro mihi pollicitus est, quamprimùm Veronam applicuisset*. En Pisanum ne dum Fusorem, sed Pictorem egregium; quem idcirco, non peculiari quodam encomio, sed generico, ac universali prosequitur Flavius Blondus, ita scribens: *Unus superest, qui fama cæteros nostri seculi faciliter antecessit, Pisanus nomine, de quo Guarini carmen extat, quod Guarini Pisanus inscribitur*. Sed hocce Guarini carmen intercidit: Hinc plura, quæ de tanto Viro proferri possent, ingrata delevit oblivio. Obiit, Maffejo teste, ann. MCCCCXLV.; ideoque ea omnia Numismata, quæ hoc anno posteriora, Pisani nomen præseferunt, antedictus Maffejus spuriis accenset.

Quoniam Nicolai V. Numismata, *Andreæ Guazaloti* nomine signantur, quæstio inde suboritur, an Andreas iste inter Numismatum Artifices sit habendus. Litem hanc iis dirimendam relinquimus, quibus plura, ac meliora affulgent monumenta. Hoc tantùm novimus ex testimonio doctissimi, omnique cum sacra, tum profana eruditione conspicui Præsulis Dominici Georgii in Vita Nicolai V., Andream Guazalotum, unum ex Apostolicis Scriptoribus, ne dum Canonici, sed & Parochi munere fuisse insignitum. Hæc autem Numismatum Artifici non benè consonant. Quare suspicari licet, ideò Guazaloti nomen Numismatibus impressum legi, quod Numismatum negocio præfuerit,

c non

a *Girald. Hecatom.*

b *Cod. Bevil. num. 3. Maff. Ver. illust. p. 153.*

non quod reverà confecerit. Curam ergo adhibuit, non etiam manum appoſuit. Sed præſtat clariſſimum Præſulem Georgii loquentem audire [a]. *Habentur*, inquit, *in Codice Vaticano* [b] *nonnullæ orationes Nicolai Palmerii Siculi (de quo in noſtro opere) in unum collectæ, in quarum calce hæc verba leguntur: Ego Andreas de Guazalotis de Prato tunc temporis Scriptor in Regiſtro bullarum, & Canonicus Pratenſis, ac etiam Plebanus, & Rector villæ Ayoli... fidelis, & in omnibus cum perenni promptitudine ſe obedientiam duraturam, reverentiam ſempiternam, & devotionem perpetuam famulandi, propria manu tranſcripſi ſolummodo quantum in ſchedulis, & repertoriis inveni, ſed medium & finem reperire non potui: præveniente morte dicti Pontificis Nicolai omnia ſublata fuerunt.*

Eugenii IV., Nicolai V., Callixti III., & Pii item III. Numiſmata foetum eſſe *Andreæ Cremonenſis*, putat Molinetus. Nil de hoc Artifice, præter nomen, comperimus; quare in ſumma rerum obſcuritate, nihil eſt, quod ultra quæramus.

Victori Camelio Patria Vicentino, nonnulla Sixti IV. Numiſmata vulgò tribuuntur. Neque verò aliis tantùm, ſed & ſibi Numiſmata poſuit. Unum cum Auctoris effigie producit Patinus in Theſauro [c]; aliud, & quidem inſigne, apud Baronem Stoſchium obſervavimus, quod eſt ejuſmodi: Prima facie caput nudum cum epigraphe: VICTOR. CAMELIVS. SVI. IPSIVS. EFFIGIATOR. MDVIII. Alia verò facie: FAVE. BORT.; ac in exergo, altare medium, multæ circum figuræ, quarum una ligna aræ imponit, alia facem admovet: quatuor una cum puero adſtant: ad baſim altaris caper: additur inſcriptio: SACRIF. RAP. RES. Numiſma mole majus eſt, ac iis multum affine, quæ ſub Julio II. Raphael

a *Pag.* 163. b 5815. c *Par.* 3.

phael Urbinas delineavit. Plura de Camelio ne quæras, quoniam & hic multa monumentorum inopia nos urget.

Hac primùm ætate mos obtinuit, ut Numismata mole quidem maxima, ex auro conflarentur. Unum in Cimelio Magni Hetruriæ Ducis servatur, Eugenii IV. imaginem referens, pondo aureorum florenorum bis centum; aliud Pauli II. jussu procusum est valoris talentorum viginti, reddita jam Italiæ tranquillitate. Visitur in eo Pontifex in Consistorio sedens: Legitur epigraphe [a]: PAVLO. II. PACIS. ITALIÆ. FVNDATORI.

Pontificum Numismatibus delineandis sub Julio II., Leone X., Hadriano VI., & Clemente VII. magnam laboris, & gloriæ partem sibi vendicant *Raphael Urbinas*, *Julius Romanus*, aliique eximii nominis Viri. Præstantissimum, ac peculiari memoria dignum est Julii II. Numisma, quod Saulum ex equo dejectum, & fulmine tactum exprimit, hac epigraphe: CONTRA. STIMVLVM. NE. CALCITRES. Hoc Numisma omnium primum excusum est, ac percussum; nam, quæ illud præcessere Numismata, fusilia omnia ac ope viriculi expolita prodierunt. Gemina hocce Numisma procusum est forma, quarum una barbatum Saulum, alia imberbem repræsentat.

Qui primus Numismata excudit, ac novo Anaglyptico opere instructa primus formavit, vulgò creditur *Benvenutus Cellinus* Florentiæ natus. Fuit is auri laborandi peritissimus Artifex, ac de auri tractandi ratione librum edidit. Inter ea, quæ sub Clemente VII. dedit Numismata, illud eximium est, quod Josephum, sese fratribus in Ægypto manifestantem, refert. Alia item duo sub numero x., & xi. Bonannius numerat, in quorum postremo, ædificii pilæ superpositum legitur Auctoris nomen hisce literis: BENVENVTVS.

[a] *Murat. Rer. Ital. tom. 22. pag. 1185.*

TVS. F. Eidem tribuitur Numiſma, in quo Alexandri Ducis Medicæi effigies pingitur cum epigraphe: SOLATIA. LVCTVS. EXIGVA. INGENTIS. Quamvis eruditiſſimus Eques Franciſcus Victorius [a], penes quem Numiſma ſervatur, opus iſtud *Franciſco de Prato* conſtanter aſſerat.

Benvenuto Cellino ſynchronus floruit *Johannes Bernardus e Caſtro Bononienſi*, Vir ſanè incidendi arte nulli ſecundus; imo verò, Vaſario teſte [b], multorum, veluti Bernardi, Nicolai Avanzi, Valerii Vicentini, Dominici de Cameis, ut alios prætereamus, facilè Princeps. Cujus rei argumento ſunt, ne dum quæ gemmis, ac lapidibus anaglypha cælavit opera, ſed multæ etiam, quas aut incidit, aut excudit imagines Clementis VII., Caroli V., Coſmi Magni Hetruriæ Ducis I., ac Alphonſi Ferrariæ Ducis. Ad hunc fortè ea referri poteſt hiſtoria, quam Giraldus deſcribit in Hecatommitis [c]. Obiit ſexagenarius anno MDLV., poſtquam multa ac egregia Romanorum Pontificum ſignavit Numiſmata; de quo latè Vaſarius [d].

Multa Antonium Pollajolum Florentinum illuſtrant monumenta. Novimus hac ætate antiquiorem eſſe; non ideò tamen omittendus omnino, quia a temporum ratione paulisper deflectit. Hunc laudat Artificem, geminum, quod, cum Innocentio VIII. in Vaticana Baſilica, tum ſibi in Eccleſia S. Petri ad Vincula [e], poſuit monumentum. E multis, quæ edidit, Numiſmatibus, illud præcipuum, quod conjurationem, a Pazziorum familia Florentiæ initam, deſignat. Antica pars duo exhibet Juliani, & Laurentii Medicæorum capita: poſtica Chorum Eccleſiæ S. Mariæ *del Fiore*, to-

---

a *Differt. Glyptogr. pag. 59.*
b *Vaſar. par. 3. lib. 1. pag. 291.*
c *Par. 2. nov. 7. pag. 159.*
d *In Vit. tom. 2. a pag. 286. ad pag. 288. ediz. Flor.*
e *Vaſar. tom. 1. pag. 469.*

totamque rei geſtæ ſeriem exprimit. Hoc Numiſma, nobis aliquando cariſſimum, tandem dono dedimus Franciſco Valeſio inclyto Viro, & a nobis multa ſemper cum laude nominando.

Franciſcus Hieronymi Pratenſis filius, cujus Vaſarius, & Averoldus meminere, noſque in operis contextu commemorabimus, cudendis Romanorum Pontificum Numiſmatibus multùm verſatus eſt. Tarſiam habuit diſcipulum, ac liquandi æris, & pingendi artem calluit. Vivebat adhuc anno MDXLII.; quo tempore obierit, ignoramus.

Ad hanc ſpectat ætatem *Alexander Cæſari*, cognomento *Græcus*, inter optimos quoſque cuſores ſcalptoreſque meritò numerandus, cum, Vaſario judice, vel ea, quæ artis minima ſunt, ſumma diligentia perfecerit. Excudit Numiſmata; formas ſignavit; lapillos incidit. Auctorem hunc indicat, ac probat Numiſma illud Pauli III., cujus anterior pars Paulum exhibet, ac deſignat epigraphe: PAVLVS. III. PONT. MAX. Poſterior verò Templum, Sacerdotem, Magnumque Alexandrum flexis genibus, literis appoſitis: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ΕΠΟΙΕΙ. Nec in Numiſmatum dumtaxat, ſed etiam in Nummorum cudendorum uſum formas effinxit; quippe monetariæ officinæ, diu curam geſſit in Urbe. Præcipua verò, ac admiratione plane digna eſt Alexandri Solertia, ac in lapillis incidendis dexteritas ſumma. Lapillos hi vocamus minutiores quoſdam, ac pretioſos lapides, quos a coloris diverſitate, & imaginum ſtructura diſſimili, peculiari nomine, vernaculo ſermone appellamus. Si enim color ſuboſcurus ſit, & imago lapidi inciſa Corniolam (*Corniola*) nominamus; ſin autem, & alius ſit color, & figura promineat, barbaro nomine Cameum dicimus, italicè *Cameo*. Utrique lapidi ſculpendo Alexander incubuit, & uſque adeo excelluit, ut prodigii ſimi-

Digitized by Google

ſimile videatur lapillus (*Cameo*), in quo caput eminet Phocionis Athenienſis. Pari elegantia, inſtante Cardinali Farneſio, caput Henrici Galliæ Regis Corniolæ, quæ Julii Romani magnitudinem æquat, inſculpſit. Ad ejus magiſterii nobilitatem accedit gemina effigies, altera Petri Aloyſii Caſtrenſis Ducis; altera Cardinalis Farneſii, quarum poſtrema caput habet aureum, aream verò ex argento.

Petrus Balzar Romanus, in Patriam regreſſus an. MDCCXVI., unum ex Julii II. Numiſmatibus reſtituit. Nec mirum ſubeat, ſi nomen Artificis, qui vivit adhuc, anticipato ſermone hic inſeramus; eo namque conſilio ordinem pauliſper invertimus, ut, quæ in Julii Numiſmata irrepſerunt abſurda, aperiamus. E Numiſmatibus, quæ Julii nomine donantur, præter ea quæ reſtituta ſunt, nonnulla occurrunt partim genuina, partim ſuppoſititia. Quæ Vaticanæ Baſilicæ, aut etiam Eccleſiæ B. M. V. Lauretanæ frontem exhibent, antica parte germana ſunt, poſtica recentia, ac adulterina. Eodem laborat vitio Numiſma, in quo Annona publica pingitur, cujus averſa pars ad Clementem VII. pertinet: Peccat item aliud, in quo Chriſtum Petro tradentem claves intuemur, quod recentius omnino videtur. Error hic oſcitantiæ cuſorum tribuendus, qui ex gemina formæ parte, non pari ac ſocia, ſed diſſimili ac aliunde adſcita, Numiſma ſignarunt.

Johannes Antonius de Rubeis, aliis *Roſſi*, vel etiam *Roſcius*, mira quadam, ac penè dixerim Divina arte, Numiſmatibus, ac lapillis incidendis adlaboravit. E lapillis unum Magni Hetruriæ Ducis Muſeum ſervat[a], tertia cubiti parte uſquequaque protenſum, cujus dimidia, quæ ſuperior eſt, pars, Coſmum Ducem, ac Heleonoram Uxorem exhibet, manibus lancem ſuſtinentes, cui Florentiæ urbs inſidet;

[a] *Vaſar. par. 2. lib. 1. pag. 297., & par. 2. pag. 392.*

det; reliqua verò dimidia pars inferior ſeptem Coſmi, ac Heleonoræ filios ad vivum repræſentat. Commendatur etiam Roſcius a Petro Leone Caſella [a] in eo, quem de illuſtrium Artificum elogiis confecit libro, quòd Athlantem miro ac raro artis magiſterio Jaſpide inſculpſerit. Placet elogium exſcribere.

Si Roſcii inclyta manu,
Jaſpide in tantillula
Se ſculptum Athlas inſpexerit,
Non ovum in Ideæ Ilio
Prolemve bimulam Hectoris
Ridebit imparem ſibi
Sed hunc gemellum, & gemmeum, &
Excellere artis munere, &
Majorem Athlantem Athlantium
Stellis opus mirantibus
Dictum probabit Hercule.

Præter ea, quæ in opere dabimus, Roſcii Numiſmata, illud nobile eſt, ac præcipuum, quod Marcelli II. effigiem refert pluviali ornatam, in quo anaglypha multa, & infra: IO. ANT. RVB. MEDIOL. Hoc Numiſma facie caret averſa. Eumdem Roſcium, ut putamus, auctorem habent duo Numiſmata maximi moduli, quæ juſſu Populi Romani procuſa ſunt. Unum Romæ faciem, ex ea parte quæ geminam objicit Portam, Angelicam ſcilicet, atque Arcis Hadrianæ, exhibet, cum epigraphe: VRBE. COMMVNITA; ac in exergo Romam tropheis inſidentem, & armis, hac inſcriptione: GABRIEL. SORBELLONVS. S. P. Q. R. In alio Numiſmate, antica pars Tyberim fluvium, Lupam, ac Pueros; & in proſpectu Urbem Romam, arborem, aquæductus, ac Unicornium

a *Pag. 164. edit. Lugd. 1606. in 8.*

Digitized by Google

nium refert, literis appositis: FELICITATI. TEMPORUM. S. P. Q. R. In postica, Roma armis insidet dextera victoriam tenens, sinistra ramum aridum, in cujus summo Phœnix Solis radio percussus aduritur: in prospectu ædium ruinæ, & duo Templa mole exigua, figurâ orbiculata.

Alios quamplures rei nummariæ Artifices coævos omnes vidit hæc ætas, quos nobis enumerare tantùm, ea est rerum inopia, sat erit. Horum primus *Caradossus* Mediolanensis, de quo Vasarius [a], & Pompejus Gauricus, licet immutato paulisper nomine, *Pharadoxum* appellet, & auri tractandi benè peritum dicat. *Antonium* quemdam *Bononiensem* produnt Numismata; alium addit, *Pilotum* nomine, præfatus Vasarius [b], quem, in vita *Pierini del Vaga*, in arte versatissimum, suumque amicum appellat. Balleonius in Historia, quam de Pictoribus adornavit, meminit *Hieronymi Piloti* Palmæ discipuli, ac Pictoris egregii. Hunc Pilotum sanguine junctum superiori fuisse si quis afferat, fortasse ab errore excusabitur.

Multi cudendis Julii III., Pii IV., Pauli item IV., & Gregorii XIII. Numismatibus insudarunt Artifices, nimirum *Johannes Cavinus*, & *Alexander Bassianus* Patavini; *Franciscus*, *Federicus*, *Laurentius*, & *Johannes Antonius* Parmenses omnes. Eruditissimus Eques Franciscus Victori [c]. *Marmittam* Parmensem addit, Pictura ac gemmarum sculptura celeberrimum, cui filium tribuit *Ludovicum*, qui & formas signare, & pari ingenio nova excudere Numismata, & vetera novit adulterare. An præter Ludovicum, aliquem ex iis, quos Parmenses supra descripsimus, Marmitta nactus sit filium, res omnino incerta. De his Artificibus nil peculiare addendum superest, uno excepto Johanne Cavino,

a *Par. 3. vol. 2. pag. 37. edit. Bonon.*
b *Par. 3. pag. 446. 146. & 920. par. 3. lib. 2. edit. Flor.*
c *Differt. Glyptogr. pag. 20.*

no, cujus opera procusum fuisse anno v. Pontificatus Julii III. Numisma illud, quod ordine decimum quintum Bonannius numerat, res notissima est ex literis, quæ sub Pontificis humero apparent, modò exemplaria integra sint, & temporum injuria nondum attrita.

Nicolaus Bonis, cujus nec Patriam, nec gesta adhuc novimus, multa, multorumque Pontificum, Sixti V., Gregorii XIV., Pauli V., & Clementis VIII. dedit Numismata. Unum, Barone Stoschio monstrante, Numisma vidimus, nobile quidem, & ad vetustorum normam concinnatum, triplici metallo compositum, quorum unum alteri inseritur.

Cusoribus accensendum *Paulum S. Quirico* Parmensem, etsi Balleonius id taceat, Eruditorum nemo inficiatur. Vir fuit sermone lepidus, ore venustus. Multorum Pontificum, & Cardinalis Mauritii de Sabaudia servitio addictus, etiam inter Canonicos Ecclesiæ S. Mariæ in Cosmedin numeratur. Sculpturam calluit; Pauli V. Statuam, quæ in Sacrario Liberianæ Basilicæ visitur; & Crucifixi imaginem, qua Sacellum Sacchetti in Ecclesia S. Johannis Florentinorum ornatur, ex ære fudit. Nec saxo solum, sed & cera multorum posuit imagines. Obiit Romæ Urbano VIII. Pontifice, anno ætatis sexagesimo quinto.

Georgium Ravennatem, ac *Johannem Antonium Moro* Cusores optimos nobis exhibent Pauli V., Gregorii XV., Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VII. præclara Numismata. Plura daremus, si plura ex historia suppeterent. Dabunt fortè quibus licebit meliores adire fontes, & uberiores.

Omnium tamen, qui nedum in Italia, sed in tota latè Europa floruerunt, longè clarissimus hoc ævo occurrit *Johannes Cormannus*. Opus auctorem probat; ea nempe Nu-

mismata, quæ pro Paulo Jordano Ursino, pro Cardinali Vidmano, & potissimùm sub Innocentio X. excudit, quorum illud præclarissimum, quod Capitolium repræsentat. Sed vir tantus ideò infelix, quod nedum æmulum, sed adversarium nactus est Molum, collegam quidem, sed facultate, & ingenio longè imparem. Accusatus, adnitente Molo, apud Pontificem, quod Numisma excudisset, in antica parte Innocentii, in postica Olimpiæ Maidalchinæ, quæ Pontifici affinitate juncta erat, imaginem referens, Capitolino carceri traditur, ubi, ut ex Valesio rerum notitia instructissimo accepimus, vitreis scyphi fragmentis dissectis venis, mortem sibi intulit. Sunt & alia Cormanni opera ceris expressa, ære, ac chalybe viriculo incisa; Alia item extant Numismata, quæ Baro Stoschius antiquitatis studiosus a Moli Hæredibus pretio redemit. Multas etiam Cormanni ceras, ex Ursina hæreditate in domum ac familiam Lanti pervenisse, compertum est.

Gaspar Molus, de quo supra aliquid, non Romanus Patria, ut Scilla [a] censuit, sed ex Lugani oppido in Statu Mediolanensi, Florentiæ primùm, dein Romæ Cusoris artem exercuit. Florentiæ quidem, ubi Monetariam Officinam administravit, & nonnulla etiam pro familia Gonzaga Numismata edidit; Romæ verò ab Innocentii X. ætate ad Alexandrum VIII., quo agente, multas ad Nummos cudendos signavit formas. Et Romæ, & Florentiæ iis edendis Nummis, qui inter argenteos omnium sunt maximi, & vulgari idiomate appellantur *Piastre*, felicior fuit; hinc primus creditur, qui ejusmodi Nummos suo nomine signaverit, ducto initio ab anno XII. Pontificatus Urbani. Integram Moli Numismatum seriem, qua P. Bonannius utitur in opere, una cum plurima supellectile cerarum, æris, formarum, ac

a *Vid. delle Mon. Pont.*

ac plumbi, ex quo majora Alexandri VII. Numismata educta sunt, emit Baro Stoschius a juniore Gasparo Moli filio. Hæc dum scribimus, nullus superest e Moli familia, una excepta ejus Filia, eaque vidua; jam enim paucis ab hinc annis marium postremus, unus e Pontificis familia; & anno præterito ejus Filia, uxor Equitis Johannis Andreæ Coltrolini, vita cesserunt.

Equitem *Hieronymum Lucenti* Cusorem, ac Sculptorem egregium, suumque Concivem, jure meritò Roma commendat. Clementis X., ac Innocentii XI. cudit Numismata, neque a signandis Nummis abstinuit, sicut ii omnium maximi Nummi argentei (*Piastre*), qui, expresso Auctoris nomine, anno II. Pontificatus Innocentii prodierunt, apertè docent. Quemnam sculptoriæ artis gradum attigerit, ex eo Angeli simulacro licet colligere, quod S. Angeli Pontem ornat, clavosque tenet præ manibus. Duos suscepit Liberos, unum Paternæ Artis imitatorem, alium in Romana Curia Advocatum. Prior, Ambrosius nomine, ingens Mortarium ex ære fudit, quod, nobili opere distinctum, in Transpontina regione apud Pharmacopolam, Auctoris nomine, & anno MDCL. in eo appositis, dudum observavi.

Servata temporum ratione, esset a nobis hic inferenda *Hamerana* familia. Verùm, quia nostra etiam ætate eadem familia Romæ viget, ac floret, non erit abs re postremo Præfationis loco sermonem de illa instituere. Post Hameranos ordine proximior succedit *Antonius Pilaja* Messanæ natus anno MDCLVI. Decennis puer Romam delatus, incidendi artem excoluit, in qua nonnisi mediocriter versatus est. Sigillis incidendis primùm, mox Numismatibus cudendis vacavit, e quibus meliora, ac potiora habita sunt quæ Svecorum Reginæ, Johannis Poloniæ Regis, Innocentii XII., ac Maffeji Farsetti Ravennatensis Ecclesiæ Archiepiscopi,

imaginem referunt. Obiit in extrema senectute anno MDCCXXXIX., ætatis LXXXIII., filio Petro Paulo, non ultimo inter cupri incisores, post se relicto.

Ea Numismatis forma, ex qua, primo Alexandri VIII. anno, Nummus ille inter argenteos maximus prodiit, qui SS. Petri & Pauli effigiem exprimit, geminos habuit Artifices *Johannem Franciscum*, ac *Antonium Travani*. Obiit Romæ Antonius anno MDCCXLI. ætatis LXVII., cujus vestigiis *Balthassar* privignus inhærens, præclarum nostra ætate pro Raymundo Despuig Magno Equitum S. Johannis Jerosolymytani Magistro, Numisma confecit.

Circa finem elapsi seculi, ac currentis initia, novus Cusor *Johannes Ortolani* Venetus se nobis offert. Is Numisma, in quo Alexandri VIII. nobile sepulchrum expimitur, elaboravit; Nummum argenteum maximi Nummi dimidium (*mezza Piastra*) una cum minoris ripæ, vulgo *Ripetta* portu, anno VI. Clementis XI., excudit, ac Duodi Venetæ Reipublicæ Legati simulacrum ad pectus usque, ex ære liquavit. Pari studio *Stephanus Ortolani*, Johannis germanus frater, signavit Numismata, unum pro Svecorum Regina, aliud pro Cardinali Grimano. Obiit fratrum uterque; Johannes quidem an. MDCCXXXIV., ætatis LX., Petro filio, qui Patris studia, bonasque artes imitatur, relicto; Stephanus verò an. MDCCXXXVII., ætatis LXVIII.

Geminos hac ætate produnt Artifices Pontificia Numismata, nimirum *Jo. Baptistam*, ac *Petrum Paulum Borner* Helveticos, quorum postremus Nummis signandis sub Innocentio XII. aliquandiù præfuit, ac Jacobi III. Angliæ Regis Numisma percussit; tandemque anno MDCCXXVII. Romæ quinquagenarius occubuit. Vidi ego nonnulla Clementis XI. Numismata *Hedlingeri*, ac *Westneri* natione Germanorum, cura, ac manu percussa; sed ejusmodi Virorum vix nomen

Digitized by Google

nomen assequi licuit. Utinam accedat aliquando, qui eas, quibus premimur, ignorantiæ tenebras, tandem discutiat.

Nulli fortè secundus nostra floruit ætate *Ferdinandus Saint Urbain*, Vir inter optimos quosque Cusores summo jure collocandus. Natus est anno MDCLV. Nancii in Lotharingia ex nobilibus parentibus; obortisque in Patria, ac Provincia gravioribus dissidiis, adhuc puer, una cum fratre Maximiliano, Monachium Bavariæ secessit, ubi apud Amitam se recepit. Italiam ingressus, studiis bonarum artium Bononiæ vacavit; mox Romam veniens, favente Cardinali Albergato, Academiæ, quam Galliæ Reges instituerunt, adscriptus est. Cardinalem Albergatum Bononiam usque sequutus, novas cudendis Nummis Bononiensibus incidit formas, potissimum Nummo illi argenteo, qui duobus Juliis Romanis æquivalet, atque ex impresso signo denominatur *Cavallotto*, sublata veteri forma vulgari nimiùm, ac rudi. Romam regressus, & picturæ exercitio omnino dimisso, imprimendis in Nummorum, ac Numismatum formis usque adeò profecit, ut ab Innocentio XII. Monetarii Opificii cura ei fuerit demandata, quam Clemens XI. non confirmavit solùm, sed novis proventibus auctum Ferdinandum, utrique Fusorio, & Vaticano, & Hadrianæ Arcis, præfecit. Eumdem Petrus Cardinalis Otthobonus præelegit, ut Numisma conficeret maximi moduli, quod nobile Alexandri VIII. sepulchrum ponit ob oculos.

Maximiliani, ac Ferdinandi fama ad Lotharingiæ Ducem Leopoldum perlata, optimus Princeps, utrumque fratrem summa benevolentia, ac favore est prosequutus. Maximilianum, qui Juris, ac literarum studia confecerat, ejus, qui Ducis nomine Romæ Administer erat, ab epistolis primùm esse voluit; deinde ad Ducis ipsius graviora negocia apud S. Sedem Romæ tractanda designavit; quo in

munere, quum ſeptem ſupra viginti annos egiſſet, anno MDCCXXXII. vita ceſſit. Pari cura Ferdinandum, Nancium accitum, rei Monetariæ, atque Architecturæ moderatorem creat; quo tempore Sancti Franciſci Xaverii Ædiculam eo in loco, quem Tyronibus excipiendis Patres Societatis conſtituerant, delineavit. Sed prima, ac potior excudendis Numiſmatibus Ferdinandi ſolicitudo. Hiſtoriam metallicam Lotharingiæ Ducum confecit, ac ſeptem, & triginta Numiſmatibus complexus eſt. Ducitur Hiſtoriæ initium a Gerardo Alſatiæ Comite; definit in Leopoldo. Unumquodque Numiſma prima facie unum e Ducibus exhibet; Duciſſam adverſa. Duo, præ cæteris, Numiſmata præſtantiora ſunt, quorum unum in exergo Lotharingiæ Tabulam Geographicam, alterum Duciſſarum refert inſignia. Eadem methodo, ac artificio, Aurelianenſium Ducum, ac Romanorum Pontificum Hiſtoriam Numiſmatibus inciſam, aggreſſus eſt; ſed poſteriorem, quæ ad Pontifices pertinet, nequaquam abſolvit.

Præter ea, quæ pro Mutinenſi Duce, ejus, qui hodie vivit, Patre; pro Cardinali Ulyſſe Gozzadino; Cardinali Noriſio; ac ſummo militiæ Duce Marſilio, percuſſit Numiſmata; alia confecit duo, quorum unum Aloyſio XIV. Galliarum Regi; aliud, omnium fortè poſtremum, Clementi XII. quem jam tum, cum Pontificii Ærarii præfecturam gereret, primùm noverat, atque coluerat, dono dedit. Aloyſii Numiſma ſuis manibus Regi obtulit una cum forma, ex qua Numiſma prodierat; Hinc, multis ornatus muneribus, potiſſimùm verò Numiſmatibus omnino centum ex auro, & argento, Galliæ Regum vultum referentibus, ac Regiæ ſcientiarum Academiæ Pariſiis adſcriptus, reverſus eſt. Clementis Numiſma, quod Pontificis effigiem ex una, ex alia verò facie ſtantem figuram, quæ Publicæ Felicitatis typus

Digitized by Google

pus erat, repræsentabat, suo premio non caruit. Inter Viros Equestris Ordinis a Pontifice relatus est; quamvis, quo tempore Diploma Nancium pervenit, jam Ferdinandus e vivis excesserat: quamobrem, quem Patri honorem Clemens detulerat, in Claudium filium transtulit, qui Viennæ in Austria moram trahit, paterni studii, ac disciplinæ sedulus æmulator. Obiit Ferdinandus mense Januario anno MDCCXXXVIII., ætatis LXXXIII.

Superest, ut ad *Hameranam* Familiam tandem deveniamus. Hic verò mirum ne subeat, si paulo fusiori stylo procedat oratio; duo enim sunt in caussâ: Longum Familiæ servitium in re Nummaria, cui sexaginta sex annorum spatio vacavit, & vacat adhuc; & rerum dicendarum copia, quam hactenus defuisse, non semel conquesti sumus. Rem igitur paulò altiùs repetamus.

Johannes Andreas Hameranus Hermanskerker Monachii in Bavaria natus, ac occasione initi duelli inde digressus, in Italiam, Paulo V. Pontifice, se recepit. Romæ, ubi sedem fixit, eam quam callebat artem coluit, ac cudendis, liquandisque Numismatibus, & characteribus, totus incubuit. Duas habuit uxores, Margaritam Corradini, ex qua die x. Octobris MDCXX. filium suscepit nomine *Albertum*; & Margaritam, Lactantii Aguccia, & Sophiæ Stancari Bononiensium filiam, ex qua duas procreavit filias, Annam Mariam, atque Theresiam, quas deinde honestis Viris connubio sociavit. Obiit Jo. Andreas Liburni die XVII. Augusti MDCXLIV.

Patre, cui comes adhæserat, ejusque funus curaverat, vita functo, *Albertus* Romam repetens, delineandi, ac incidendi artem optimè calluit, ut. nedum sacra Numismata, quorum formas Hæredes adhuc servant, sed, & ea, quæ privato studio, atque exercitatione, sub Pontifici-

bus

bus Clemente IX., ac X. excudit (potissimum verò, quod anno I. Clementis IX. Pellicanum exhibet) apertè docent. Nupsit Mariæ Agucciæ Novercæ Margaritæ sorori, ex qua liberis duobus, Anna scilicet, & Johanne Alberto post se relictis, vita cessit Romæ die XX. Junii MDCLXXVII., sepultusque est in Campo Sancto prope Basilicam Vaticanam. Vir sanè, & singulari artis peritia, & suavissimis moribus omnibus carus. Ejus tumulo hæc epigraphe inscripta legitur:

D. O. M.
ALBERTO HAMERANO HERMANSKERKER
EX MONACHIO BAVARIÆ ORIVNDO ROMÆ NATO
VIRO ÆRE NVMISMATIBVS
OMNIVMQVE LINGVARVM
CHARACTERIBVS INCIDENDIS
CVNCTORVM SVI ÆVI PRÆSTANTISSIMO
PONTIFICIBVS IMPERATORIBVS AC REGIBVS
OB EXIMIAM VIRTVTIS INDOLEM
SVMMOPERE ACCEPTO
QVI CVM GLORIÆ FASTIGIVM ATTIGISSET
ÆTATIS ANNOS LVII. AGENS
INVIDA MORTE PRÆREPTVS
OMNIBVS SVI DESIDERIVM RELIQVIT
IOANNES MARTINVS PATERNÆ ARTIS HERES
GENITORI AMANTISSIMO
ET PARENTI ADHVC IN VIVIS MARIÆ AGVCCIÆ
SIBI POSTERISQVE SVIS EXTRVXIT
ANNO SAL. MDCLXXVII.

Duo Alberti filii *Anna*, & *Johannes*, præcipuo incidendi magisterio instructi, egregiam sculptorum laudem sunt consequuti. Anna quidem sub muliebri sexu cor servans virile, difficilem, ac periculi plenam cristalli ser-

Digitized by Google

ferro cælandæ artem novit, & fragili vitro multas accommodavit, aptoque ordine concinnavit historias; cujus rei argumento sunt spherica quædam cristalli segmenta, aureis Vaticanæ Basilicæ Candelabris inserta, in quibus docta fœminæ manus, nonnulla, quæ ad Sacram Historiam pertinent, viriculo pinxit. Obiit Anna honesto viro jam nupta, annum agens ætatis sextum supra trigesimum.

Johannes vicissim incidendis metallis excelluit. Natus est die xxx. Octobris MDCXLIX., & pubertatem nondum egressus, Patri, in Massa Carrariæ Monetariæ officinæ occupato, sociam manum adhibuit, magnumque ex opere præstito, captavit lucrum. Romam reversus, multa, ac præclara sub Clemente X. dedit Numismata; ex quo, ab Innocentio XI. universum, cùm Numismatum, tùm Nummorum negocium illi creditum. Nec alteri cudendorum Numismatum, cura sub Pontificibus Alexandro VIII., ac Innocentio XII., fuit demandata. Eodem Cusore, & Artifice, ea Clementis XI. Numismata, quæ anno Pontificatus I. III., & IV. designantur, prodierunt; quamvis, quod tertio procusum est anno, & Centumcellarum Portum exhibet, cæteris est ignobilius ob Artificis apoplexiæ morbo correpti infirmitatem, ex qua tandem occubuit die xxv. Junii MDCCV.

Præter Numismata, alia multa, ac præclara Johannis opera proferuntur. Ad hæc pertinent Cardinalium Nerlii, Costaguti, ac Portocarreri; necnon illustrium Virorum, Livii Odescalchi, Mareschalli Turrenæ, Parmensis Ducis, ac Christinæ Svecorum Reginæ imagines ære incisæ. Certatim a Principibus conquisitus, rei Nummariæ Moderator electus est, ac Monetarium opificium Massæ Ducum, Marchionis Fossæ Novæ, Magni Ducis Hetruriæ, Marchionis de Carpio, quo tempore Vicariam Regis potestatem Neapoli exercebat, ac Principis Ostfrisiæ Orientalis an-

no

Digitized by Google

no MDCLXXXIV., ſumma gratulatione, ac plauſu gubernavit. Quid plura? multorum, qui Romæ aderant, vel Roma aberant, admirationem, & oculos in ſe convertit. Non pauci, iique ſummi Viri, ad illum, vel operi incumbentem, vel cum opus aliquod abſolviſſet, conveniebant. Alii, qui Romæ adeſſe non poterant, magno propoſito præmio, invitarunt; quod & Galliarum Rex Aloyſius XIV. non ſemel, etſi fruſtra ſemper, tentavit. Nec ultima Johannis laus eſt, quod Romæ inter præcipuos, qui Pictorum Academiæ ſub titulo S. Lucæ præerant, fuerit cooptatus.

Ex Johanne, ac Birgitta Marchionni, nati ſunt *Beatrix, Otho, Hermenegildus*. Beatrix, quam immatura nimium mors rapuit anno MDCCIV., ætatis vigeſimo nono, ſociam Patri manum adhibuit, multaque nedum cera adumbravit, ſed etiam in Numiſmatum, ac ſigillorum uſum docto incidit viriculo; potiſſimum verò Numiſma illud, quod Clementis XI. anno III., expeditionem Cardinalis de Tournon ad Sinarum Imperium, repræſentat.

Fratrum uterque, Hermenegildus, ac Otho ſuperſunt, ac univerſum Numiſmatum, ac monetarum negocium Romæ curant. Hermenegildus natu major, vel a primis juventæ annis, magnam ſui ſpem, ac expectationem injecit. Altero Clementis XI. Pontificatus anno, Numiſma dedit, quod Chriſtum exhibet, qui Crucem defert: Anno III., factus Sororis æmulus, aliud de Cardinali Tournonio excudit Numiſma; ac raro artificio, exiguam figuram Leoni ſociam, ut fortitudinis typum daret, perfecit. Ab anno V. Clementis XI. univerſa excudit Numiſmata; cumque anno VI. multos inter competitores, omnium præclariſſimum argenteum Nummum maximi dimidium ediderit, quod minoris ripæ Portum exprimit accuratiſſime, jure merito præcipuum Monetarii munus, quod adhuc obtinet, illi colla-

latum. Omnimoda metallorum notitia pollet, dignus idcirco, cui, tamquam arbitro, acquiescant quotquot aurum Romæ tractare norunt, si fortè aliqua de metallis incidat disputatio. Anno MDCCXXX. a Siciliæ Prorege Panormum accitus, ut Monetariam officinam curaret, annum ferè ibi egit, largissimo menstruo, multaque strena receptis. Inter primarios Academicos S. Lucæ, ac S. Josephi in Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Martyres, annumeratur.

Superest, ut de Othone Hermenegildi fratre, nonnulla dicamus. Ut eamdem, quam a majoribus acceperat, artem profiteretur, lineis ducendis sub magisterio Equitis Benedicti Luti, Otho primùm incubuit. Mox, figuris cera adumbrandis intentus, tandem cudendis Numismatibus totum se dedit. Primum Othonis Numisma Carolum VI. Romanorum Imperatorem, una cum expugnatis Albæ Græcæ, & Themesvariæ arcibus, exhibet. Huic alia bene multa accessere, e quibus ista seligimus: Unum pro Portugalliæ Rege, ea, quam anno MDCCXVII. contra Turcas paravit, navali expeditione depicta: alterum de quadruplici fœdere ab Hollandiæ Statibus constanter rejecto; alia item nonnulla pro Jacobo III. Angliæ Rege, ejusque Uxore Clementina Sobieski, nec non pro Regiis Principibus eorum filiis. Sub initium Pontificatus Innocentii XIII. Fratrem Hermenegildum in re Nummaria laborantem primùm adjuvit; eoque Roma abeunte, quo tempore abfuit, Clementis XII. nonnulla Numismata, Nummosque aliquot percussit. Nummos inter argenteos ille præcipuus, qui Ecclesiæ S. Johannis Florentinorum faciem refert: Maximi argentei Nummi dimidius est. Duos item præclarissimos signavit argenteos Nummos, quorum pretium assibus triginta respondet: In uno S. Andreæ Corsini imago visitur; in alio verò mulieris rotam gestantis effigies, publicas vias a Pontifice compla-

na-

natas, ac reſtitutas deſignat. Anno MDCCXXIII., Thereſiæ Velli ex ingenua familia Otho nupſit, multaque prole parens, mares duos, ac fœminas quinque, lætus enumerat; atque ita inſtituit, ut non mediocrem de futuro in Patria diſciplina progreſſu, nobis ingerant expectationem.

Antequam pedem hinc efferamus, eos omnes, in quorum manus hoc Volumen pervenerit, monitos volumus, nos hanc de Numiſmatibus tractationem, ut Italorum utilitati potiſſimùm conſuleremus, Italico ſermone inſtituiſſe. Abſoluto libro, dura mihi, atque amicis viſa res eſt, adeò utilem, ſcituque neceſſariam Numiſmatum notitiam, ſolis Italiæ finibus coercere. Hinc, ut alio idiomate, quod & aliis extra Italiam obvium eſſet, hoc eſt latino, redderetur, communibus ſuffragiis ſtatutum. Hanc provinciam, quæ mihi, Antiquis Imperatorum Numiſmatibus altero volumine explicandis occupato, erat inacceſſa, alteri erudito quidem Viro, ſed aliis negociis diſtento, demandavi. Quare, ſi quid fortè excidit, aut minus accuratum, aut minus elegans, norit Lector nos aliena lingua loqui, nec Interpretem ſatis otii, ut verſionem incudi redderet, habuiſſe. Si quid etiam in ſententiis fortaſſe peccatur, illud rogamus, ut Lector amicè moneat, ac meminerit, hoc unum Auctori fuiſſe propoſitum, antiquitati conſulere, ac Opus conficere, quod, ſi minus perfectum quis deprehenderit, profecto nemo negaverit laborioſum.


Frequentes in quaque Libri pagina occurrunt numeri, alii in margine, alii in textu poſt epigraphem adnotati. Priores iidem ſunt, quibus Bonannius utitur, & ſua in Opere recenſet Numiſmata, quos idcirco intactos referimus. Poſteriores, qui gemino veluti unco clauduntur, varios Numiſmatum modulos indicant, quos, collatis numeris, ex variis in priore Libri pagina impreſſis circulis, licet cognoſcere.

SE-


Digitized by Google

Digitized by Google

COLORES IN INSIGNIBVS EXPRESSI EXPLICANTVR.



Moduli Numismatum



Digitized by Google

SERIES
NUMISMATUM PONTIFICIORUM
A MARTINO V. AD BENEDICTUM XIV.

MARTINUS V.



HABITO Conſtantiæ ad ſchiſma, quod multos annos Eccleſiam vexaverat, eliminandum, Concilio, ii, ad quos Pontificis electio ſpectabat, in Epiſcopali Palatio VI. Idus Novembris An. Dom. MCDXVII. collecti, brevi communi omnium conſenſu ad Pontificatum Maximum evexerunt *Odonem* Cardinalem *Columnam*, qui in S. Martini honorem, cujus feſto die electus

Digitized by Google

fuerat, *Martinus* dici voluit. Romæ hic, quò commigraverat, ad x. Kal. Martias An. MCDXXXI. obiit, sepultusque est in Lateranensi Basilica cum hac epigraphe:

MARTINVS . PAPA . QVINTVS
SEDIT . ANNOS . XII . MENS . III . DIES . XXII
OBIIT . ANNO . MCDXXXI
DIE . XX . FEBRVARII
TEMPORVM . SVORVM . FELICITAS

I.

I. 2. MARTINVS . V. COLVMNA . PONT. MAX. *Pontificis effigies capite nudo, cum pluviali arabico opere ornato.*

PONT. ANNO . PRIMO . MCDXVII . ROMA. *Pontificis stemma columna coronata.* [4]

De hujusce illustris, excelsæque Familiæ antiquitate, atque splendore [a], quam, certa monumenta a sæculo XI. Prænesten, aliaque Oppida possedisse, formidabilemque exstitisse, testantur, post *Sansovinum* [b], historiam miro ordine digestam nostris temporibus exaravit Clarissimus Vir *Franciscus Valesius* Romanus, præterito anno fato functus, illaque in quatuor ingentia volumina dispertita brevi in publicum proditura existimatur. Genealogiam etiam peculiari libro contexuit *Philadelphus Magnosius*, Auctor cæteroquin in antiquis rebus recensendis non satis adcuratus. Ex Epistola quadam *Pauli Jovii* [c] ad Cosmam I. Medicen Florentiæ Ducem, a *Vasario* laudata, discimus, a *Victore Pisano* Veronensi, qui multa cudit Principum Numismata, inter alia *Martini Pontificis Numisma expressum cum stemmate Columnensium*, idque est, quod nunc damus. Celebrem hunc Artificem Pontifex Florentiâ Romam accivit, atque in Lateranensi illum Basilica aliqua pingere curavit. Notandum hic, non potuisse Vasarium, ut ex ipsius assertione eruimus, hujus Pictoris effigiem reperire, licet duo Numismata, in quibus semetipsum expresserat, ille cudisset, dictus ideò a *Pomponio Gaurico* [d] *in se cælando vir ambitiosissimus*: In primo exstat effigies in ipso flo-

a *Jobert Science des Med. tom. 1. pag. 20. tab. 2. Paris. 1739.*
b *Franciscus Sansovinus de Familiis illustribus Italiæ, edit. 1609. pag. 9.*
c *Lettere di Monf. Giovio raccol. dal Domenichi pag. 59. Maffei Verona illustrat. tom. 4.*
d *Pomp. Gauric. de Sculpt. c. 17. Thes. Ant. Græc. Gronov. col. 774. tom. 9.*

flore juventæ, & circa eam: PISANVS . PICTOR. Typus verò, laurea corona cum his litteris in medio . F. S. K. I. P. F. T. In fecundo effigies jam fenefcens.

Hoc Pontificis *Martini* Numifma renovatum fuit, iterumque cufum, ut & multa alia, proximè elapfo fæculo fub *Francifci* Cardinalis *Barberini* S.R.E. Camerarii aufpiciis, Principis litteris dediti, litterarumque, ac bonarum artium mirifici Protectoris.

II.

MARTINVS . V. COLVMNA . PONT. MAX. *Caput cum Tiara tribus coronis referta*, *vulgò* Triregno, *& pluviali*. 3.

QVEM . CREANT . ADORANT . ROM. *Pontifex recèns electus, a duobus Cardinalibus, cæteris prope adftantibus, coronatus*; *Effigies genibus flexis*, *& Altare*. [4]

Hoc cufum Numifma admodum recens eft, & Numifmatibus aliis infequentium Pontificum ejus pars poftica eft appofita. Artifex quidem multum peccavit, genibus flexis repræfentans militem de Helvetorum præfidio, quum nonnifi fub Julio II. primùm Helveti Pontificum præfidium conftituerint.

III.

MARTINVS . V. COLVMNA . PONT. MAX. *Effigies*, *ut num. I.* 7.

OPTIMO . PONTIFICI . ROMA. *Mulier armata*, *fedens fuper trophæo armorum*, *finiftra tenet cornucopiæ*, *atque olivæ ramum*, *dextraque extenfa libram*. [4]

Qui hoc Numifma expreffit, Pifanus fortaffe, ut ex fufione elicitur, Romæ figuram imitavit, quæ in variis Neronis Numifmatibus confpicitur, pro Parazonio, quod habet in finiftra, & pro Victoria, quam in dextra, fubftituens fymbola Juftitiæ, Pacis, & Copiæ, quibus fruebatur Roma *Martini V.* Pontificatu, ut fidem facit *Paulus Benedicti de Magiftro* ocularis teftis in fuis Ephemeridis vulgari Romanâ dialecto confcriptis, quæ in Bibliotheca Vaticana adfervantur [a]: *Die* xx. *Februarii*, *morì Papa Martino V. quale viffe ne lo Papato* XIV. *anni*, *& tenne uno quieto*, *& tranquillo ftato*, *che fe annava con l'auro in mano attorno a Roma docento miglia de notte*, *& de giorno ficuro*, *& fece granniffimo bene à la Città de Roma*; quæ verba fic latinè fonant: *Die* xx. *Februarii obiit Martinus*

[a] *Cod.* 3255.

nus Papa V. qui vixit in Pontificatu XIV. *annos, remque publicam quietam, & tranquillam reddidit, adeout quisque securus diuque noctuque aurum in manibus ferre posset ad* CC. *ab Urbe lapidem, fuitque de Romana Urbe multum benemeritus.*

IV.

5. MARTINVS. V. COLVMNA. PONT. MAX. *Caput nudatum: pluviale arabicè ornatum.*

DIRVTAS. AC. LABANTES. VRBIS. RESTAVR. ECCLES. COLVMNAE. HVIVS. FIRMA. PETRA. *Frons Ecclesiæ cum Porticu.* [4]

In hoc Numismate Vaticanæ Basilicæ Porticus repræsentatur, quæ a Martino Pontifice fuit restaurata; Hic alias etiam Ecclesias vetustate penè collapsas novis ædificiis communivit, & auxit, ut in illius vita testatur, qui eodem sæculo floruit, *Platina* [a]: *Martinus autem ab externo hoste quietus ad exornandam Patriam, Basilicasque Romanas animum adjiciens, Porticum S. Petri jam collabentem restituit, & pavimentum Basilicæ Lateranensis opere vermiculato perfecit.* Hoc Numisma fusum, atque Patrum memoria fuit renovatum.

V.

6. MARTINVS. V. COLVMNA. PONT. MAX. *Caput, ut in aliis.* IVSTI. INTRABVNT. PER. EAM. *Janua malè expressa, super qua Salvatoris Imago, & in lateribus duo candelabra.* [4]

Literarum hujusce Numismatis prisco ævo fusi figuræ sunt admodum deformes, ut sunt illæ, quas dicimus Gothicas. Vetusta Societas Sanctissimi Salvatoris Oratorii S. Laurentii dicti *Sancta Sanctorum* ad S. Johannis in Laterano, habet pro specialibus insigniis Salvatoris Simulacrum cum duobus candelabris. Harum iconum marmore expressarum non paucæ in Urbe conspiciuntur, quarum quædam sæculum XV. præseferunt, in quo vixit *Martinus.* Societas vero fundata, vel potius in meliorem formam redacta per *Petrum Columnam*, Cardinalem a *Nicolao IV.* ad annum MCCLXXXVIII. creatum, præest Sacello, in quo servatur antiquissima, & Thaumaturga Icon Sanctissimi Salvatoris, ut ex *Benedicto de Mellinis* [b], qui de hac re librum


---

a *B. Platin. Vit. Pontif. pag.* 221. *edit. Veneta an.* 1562.

b *Bened. Mellin. dell' Orat. di S. Loren. num.* 48. *pag.* 174.

Digitized by Google

librum ſcripſit, eruitur. In memoriam igitur præfati Cardinalis *Columnæ*, qui de eadem Gente fuit, ac Pontifex, Societas hoc Numiſma cudi curavit; cujus verba adludunt Oratorio, quod Baſilica etiam appellatur, quum in eo venerentur, & Imago Salvatoris *Acheropita* appellata, ſive opus non humanæ manus, & aliæ inſignes reliquiæ. Hac de cauſa *Nicolaus III.* in eo Oratorio adfigi juſſit: NON. EST. IN. TOTO. SANCTIOR. ORBE. LOCVS. Hæc inſcriptio adhuc ibidem viſitur.



Poſt



POst *Martini* fatum, convenientes Cardinales apud Sanctam Mariam supra Minervam (qua Ecclesia pro Conclavi usi sunt) v. Nonas Martias Anni MCDXXXI. Pontificem elegerunt *Gabrielem* Cardinalem *Condulmerium* Venetum, qui nomen assumsit *Eugenii*. Obiit VII. Kal. Mart. Anni MCDXLVII. sepultusque est in Basilica Vaticana hoc epitaphio:

Eugenius jacet hic Quartus, cor nobile cujus
Testantur vitæ splendida facta suæ.
Illius ante sacros se præbuit alter ab ortu,
Alter ab occasu Cæsar uterque pedes;
Alter ut accipiat fidei monumenta latinæ,
Alter ut aurato cingat honore caput.
Quo Duce & Armeni Græcorum exempla secuti
Romanam agnorunt, Ethiopesque fidem;

Inde

Inde Syri ac Arabes, mundique e finibus Indi:
Magna sed hæc animo cuncta minora suo;
Nam valida rursus Turcas jam Classe petebat,
Dum petit ast ipsum sustulit atra dies.
Qui semper varios mundi contempsit honores,
Atque hæc, impressa condite, dixit, humo;
Sed non quem rubro decoravit ille Galero,
Sed non Franciscus, stirps sua, clara tulit,
Susceptique, memor meriti tam nobile, quod nunc
Cernis, tam præstans, surgere jussit opus.

I.

EVGENIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum triplici* 1. 2.
regno, & pluviali.

Insignia familiæ Condulmeriæ, quæ sunt fasciæ duæ transversim ductæ, cum clavibus, & Regno. [4]

Hoc Numisma posterioribus temporibus fuit renovatum, fusumque.

II.

SVB. EVGENIO. PAPA. IIII. ANNO. XPI. MCCCCXLI. 3. 4.
VNITI. SVNT. *Pontifex Pontificiis vestibus ornatus, sedens cum pallio, dextra benedicens, & sinistra claves tenens: Ab utroque latere duo parva stemmata, in uno claves, in altero fasciæ.*

GRAECI. ARMENI. IN. SYNODO. FLORENTINA. CVM. SEDE. APOSTOLICA. *Effigies coronata genibus flexis, manibusque junctis: In dextera alia similis effigies, genibus etiam flexis; & in superiori parte caput Divi Petri inter nubes.* [3 & 5]

Pulcherrimum hoc Numisma aureum, magnique ponderis fusum visitur in Pinacotheca Magni *Etruriæ* Ducis [a]. Eugenius Pontifex ad ann. MCDXXXVIII. Concilium Ferrariæ indixerat, quò commigrare debebat *Johannes Palæologus* Imperator Orientis, pro unione Latinæ Ecclesiæ cum Græca, tot jam annos ab illa scissa [b]: Et quidem pius hic Imperator Martio mense ejusdem anni Ferrariam cum *Josepho* Patriarcha CPolitano, aliisque Græcis Episcopis pervenit. Sed quum in

a *Numism. Mus. Florent. tom. 1. cum animadv. Clarif. Gorii.*

b *Horat. Justinian. Præfat. ad Act. Concil. Florent. Labbaus Concil. Tom. 13. col. 3.*

Digitized by Google

in ea Urbe pestilens morbus serpere inciperet, XVII. Kal. Februarias *Eugenius* inde discessit, & VI. Kal. ejusdem Florentiam, quo Concilium transtulerat, pervenit. Insequenti mense Imperator etiam Græcus cum suis Episcopis venit; unde post varias sessiones, terminus impositus fuit antiquis controversiis, unioque compacta inter ambas Ecclesias [a]. Antequam Imperator excederet, Florentiam Nuncius venit ab Armenorum Patriarcha *Constantino* missus, cum literis *Pauli de Imperialibus* Consulis, sive Gubernatoris pro Januensi Republica Theodosiæ [b], qui multum pro unione adlaboravit, adeout Armeni Episcopi se Concilii, atque Pontificis decreta recipere promiserint; quod etiam factum est: mense enim Novembri articulis fidei subscripserunt [c]. Qui igitur in Numismate genibus flexis coronatus visitur, est *Johannes Palæologus* Imperator CPolitanus; cujus etiam Numisma conspicitur, dum Florentiæ commoraretur, cusum, in Pinacotheca Magni Ducis [d]. In hujus antica visitur effigies Imperatoris cum pileo extraordinario, Græcanicoque, & circum: ΙΩΑΝΝΗϹ. ΒΑϹΙΛΕΥϹ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Ο. ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟϹ. In postica idem Imperator ab alio comitatus (ambo equitantes) Crucem adorat manibus junctis; & hæ literæ: ΕΡΓΟΝ ΤΟΥ ΠΙϹΑΝΟΥ ΖΩΓΡΑΦΟΥ *Opus Pisani Pictoris*. Hoc Numisma a *Jovio* memoratum [e], descriptum videtur apud *Ducangium* [f], *Bandurium* [g], *Lucchium* [h], ac tandem apud clarissimum Marchionem *Maffejum* [i]. Alia effigies, quæ in Eugenii Numismate genibus flexis spectatur, non Patriarchæ CPolitani, sed Armenorum potiùs Nuncii, sive eorum Patriarchæ, mihi videtur.

III.

6. EVGENIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero I.*
NICOLAI. TOLENTINATIS. SANCTITAS. CELEBRIS. REDDITVR—SIC. TRIVMPHANT. ELECTI. *Pontifex habitu sacro cum Cardinalibus inter Sanctos adscribit* Nicolaum Tolentinatem *ante Altare*: *In superiori parte, Spiritus Sanctus*. [4]

In hoc Numismate, posterioribus temporibus cuso, repræsentatur solemnis Canonizatio *S. Nicolai* ab *Eugenio* facta Pentecostis festo die

a *Lab. col. 558.*
b *Justinian. tom. 5. pag. 349. in Act. Concil.*
c *Idem par. 3. pag. 363. num. 19.*
d *Numis. Mus. Flor. tom. 1.*
e *Lett. del Giov. raccol. dal Domen. pag. 59.*
f *Carol. Ducang. Hist. Byzant. illustr. in fam. Augg. pag. 245.*
g *Bandur. Imper. Numis. tom. 2. pag. 772.*
h *Sylloг. Numism.*
i *Veron. Illustrat. part. 3.*

die Nonis Junii MCDXLVI. Ex *Platinæ* [a] verbis eruitur, hoc factum fuiſſe in veteri Eccleſia S. Auguſtini, quæ poſtea a fundamentis in ampliorem formam a Cardinali *Rothomagenſi* fuit redacta: *Nicolaum Tolentinatem*, inquit *Platina*, *Ordinis S. Auguſtini*, *miraculis clarum in Sanctos referens* (Eugenius) *a S. Petro cum omni Clero*, *ſupplicando*, *ad S. Auguſtinum profectus ſolemnia ipſe celebrat*, *adſtante P. R. Cardinaliumque omnium cœtu*. Sed *Angelus Roccha* ſcribit [b], ſolemnitatem habitam fuiſſe in Baſilica Vaticana: *Nicolaus*, ait ille, *Tolentinas relatus fuit in Sanctorum numerum Romæ in Baſilica S. Petri ab* Eugenio IV. *die Dominico* v. *Junii*. Hæc tamen controverſia diluitur a *Lælio Petronio* Auctore ſynchrono, cujus Ephemerides manuſcriptæ in Bibliotheca Vaticana [c] adſervantur, & a Cl. Muratorio in ſuis rebus Italicis editæ; licet paragraphus, in quo hoc narrat, ſit mutilus: Ait igitur, Pontificem, facta in Divi Petri Apotheoſi, ad S. Auguſtinum proceſſionaliter commigraſſe, Miſſarum ſolemnia celebraturum; cujus rei cauſa: *Per lo Amore à detto S. Nicola foro coperte*, *& adornate le ſtrade de drappi d'oro*, *& de velluti*, *& di lana*, *& mondate tutte da S. Agoſtino*, *inſino à Santo Celſo*, *& ſtimato fu*, *che la ſpeſa*, *che fero li Frati di S. Agoſtino*, *valeſſe cinquemila ducati*; Hoc eſt: *Propter D. Nicolaum*, *viæ pannis auro contextis*, *holoſericis villoſis*, *atque lanis coopertæ ſunt*, *atque ornatæ*, *inſuperque immunditiis purgatæ a S. Auguſtini Eccleſia ad S. Celſi*; *ita ut Fratres S. Auguſtini*, *juxta exiſtimationem factam*, *ad quinque millia aureorum expenderint*.

IV.

EVGENIVS . IIII. PONT. MAX. *Effigies*, *ut in præcedenti*. 5.
QVEM . CREANT . ADORANT — ROMAE . *Pontificis coronatio*. [5]

Numiſma poſterioribus temporibus fuit cuſum, & poſtica pars eadem eſt, ac quæ in *Martini V.* Numiſmate ſupra a nobis recenſito, conſpicitur.

a *Platin. in Eugen. IV. fol.* 231.
b *Angel. Rocch. de Canoniz. Sanct. Oper. tom.* 1. *pag.* 148. *& Emus Lambertinus in Opere de Canon. Sanct.*
c *Codd.* 1433. 6389.



Cardinalis *Thomas Luganus*, dictus ab aliis *Parentucellus*, Sarzanenſis, in Conclavi habito apud Fratrum Prædicatorum Cœnobium electus fuit Pontifex nomine aſſumto *Nicolai V.* xv. Kal. Apriles anni MCDXLVII. obiitque VIII. Kal. eaſdem an. MCDLV. ac ſepultus fuit in Baſilica Vaticana in urna marmorea, cui ſequentes verſus fuerunt adſcripti [a]:

Hic ſita ſunt Quinti Nicolai Antiſtitis oſſa,
Aurea qui dederat ſecula, Roma, tibi:
Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omni,
Excoluit doctos doctior ipſe viros;
Abſtulit errorem, quo ſchiſma infecerat Urbem,
Reſtituit mores, mœnia, templa, domos.

Tum

a *Torrig. Grott-Vatic. par. 2. pag. 98.*

Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,
Sancta Jubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Friderici, ac Conjugis aureo;
Res Italas, icto fœdere, composuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit: En Tumulo fundite thura sacro.

I.

NICOLAVS . V. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum Tiara, & pluviali arabicè contexto.* 3.
Insignia Pontificis, quæ sunt claves decussatæ. [4]

II.

NICOLAVS . V. PONT. MAX. *Pontificis effigies, ut supra.* 4.
Insignia jam descripta corona laurea circumdata. [4]

III.

NICOLAVS . V. PONT. MAX. *Pontificis effigies, ut supra.* 1. 2.
TOMAS . LVGANO . DI . SARZANA . MCDIIIL. *Insignia Pontificis, ut supra.* [4]
Hoc Numisma est posteris temporibus cusum. Sunt qui ajunt, Pontificem, quòd ignobili esset genere, hæc insignia assumsisse; alii vero in causa esse scribunt humilitatem, subduntque, illum fuisse e gente Parentucella nobili Sarzanensi[a].

IV.

NICOLAVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedentibus.* 5.
FELIX. ROMA. *Urbs mœniis circumdata, sed rudi opere.* [4]
In hoc Numismate commemorantur ædificia, quæ Pontifex hic fieri Romæ curavit; is enim Urbem, non solum tutiorem muris restitutis reddidit, ut insignia ipsius, quæ a Porta Divi Pauli ad Portam Capenam, & a Latina ad Majorem[b], conspiciuntur, fidem faciunt; sed etiam augmento Palatii Vaticani decoravit, necnon multarum Ecclesiarum restauratione, ac in meliorem formam reductione. Varia ejus ædificia multis commemorat verbis *Jannottus*

a *Ciaccon. in Vit. col. 955. Vid. Cl. Georg. in Vit. edit. Rom. 1742. in 4.*
b *Martinel. Rom. Sacr. cap. 2. pag. 2. & seq. edit. secund.*

Digitized by Google

Manettus in vita hujus Pontificis, quæ in Bibliotheca Vaticana MS. reperitur, postmodum a Cl. Muratorio publici juris facta, & *Platina*[a].

Verba FELIX. ROMA. reperiuntur etiam in tegula quadam tectus Basilicæ veteris S. Petri anno MDCVI. demolitæ, quæ adservatur in Archivo Canonicorum; legitur in eadem[b]: REGNANTE. D. N. THEODORICO — FELIX. ROMA. Sic item: FELIX. CARTHAGO. in Numismatibus Maxentii, & Childerici Vandalorum in Africa Regis, ac: FELIX. TICINVM. in Numismate Baduelæ, sive Totilæ[c].

V.

6. NICOLAVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedentibus.*
ANNO. IVBIL. — ALMA. ROMA. MCDL. *Porta Sancta clausa.* [4]

VI.

7. NICOLAVS. V. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, ut supra.*
RESERAVIT. ET. CLAVSIT. ANNO. IVBIL. MCDL. *Pontifex, qui imponit primum lapidem pro Portæ Sanctæ occlusione.* [4]

Artifex, qui præterito sæculo delineavit, & cudit ambo hæc Numismata, expressam voluit vulgi opinionem circa Portæ Sanctæ reserationem, nec observavit, sacram cæremoniam aperiendi, & claudendi illam tempore Jubilei ab *Alexandro* VI. sæculo ineunte XVI. primùm constitutam, ut suo loco per nos manifestum fiet.

Nicolaus V. Annum Sanctum celebravit MCDL. incredibili exterorum concursu; Quo tempore res maximè infausta evenit supra Pontem Ælium, nunc S. *Angeli*, a *Paulo de lo Mastro* descripta, qui plura tunc expressit, quæ in aliis non leguntur; ideoque, licet haud brevis sit ejus narratio, non immerito, quæ hic a nobis extra textum donetur, existimata est, ut in suis Ephemeridis, quæ manuscriptæ custodiuntur in Bibliotheca Vaticana, legitur *: Scribit igitur, ut summatim dicamus, anno MCDL. mense Decembri Ro-

a *Platin. in Vit. Nicol. V. pag. 238. Georg. in Vit. p. 77. T. 3. p. 2. rer. Ital. Burmann. Thes. Ital.*
b *Torrig. Sacr. Grott. Vatic. pag. 130.*
c *Bandur. Numism. Imper. tom. 2. pag. 148. 629. 646.*

* Menzione de l'anno del Giubileo 1450. lo mese di Natale à Roma venne molta Gente per lo perdono alle quattro Chiese di Roma, li Romani un mese, e li Paesani, quindici di gli Oltramontani, & tanta moltitudine venne à uno tratto, che le Mole non potevano supplire, & li Forni manco ad tante persone, che moltiplicavano: Lo Papa ordinò, che ogni Domenica fosse mo-

Digitized by Google

Romam innumerabiles homines convolasse ob indulgentias: has quidem Romanos incolas menstrualibus, cæteros verò quindecim dierum precibus lucratos fuisse: Tantam multitudinem eodem tempore advenisse, ut ad parandos advenis panes nec molendini, nec furni sufficerent, ideoque Pontificem primùm octo dies, deinde tres tantùm ad preces faciendas constituisse; hoc usque ad medium Januarium: Deinceps Romam peregrinis vacuam penitùs exstitisse usque ad Quadragesimale jejunium, quo, aucto peregrinorum numero, multi sub dio in vineis dormire coacti sunt: In Hebdomada Sancta adeo ad Divi Petri confluentium numerum excrevisse, ut Pons S. Angeli frequenti populo impervius esset, proindeque multi, inter quos ipse *Paulus*, qui hæc refert, cum virgis ad tertiam noctis horam jussi sint, qui turbam inde agerent, ac confusionem arcerent; & hoc ad Majum mensem: Majo verò mense non ita turbis Romam pressam fuisse, pestilentem enim morbum invasisse, quo Romani, exterique obibant: Xenodochia, & Ecclesias ægris, mortuisque plenas: Ægros ut canes, quum ob aerem pestiferum, tum ob magnum calorem, pulveremque, per vias cecidisse: Pontificem cum Aula Roma excessisse, & Fabriani bullatam edidisse Constitutionem, qua quinque tantùm dierum precibus ad Kal. Octob. Indulgentiæ elargirentur: Octobri ineunte eum Romam repetiisse; hanc verò Urbem adeò fuisse advenis repletam, ut deficiente pane, hospitiis, domibusque, ad defendendos a fa-

mostrato lo Volto Santo, & tutte le reliquie de le Chiese; lo Papa faceva la Benedizione, & non supplivano le Mole. Lo Papa concesse tre dì à confessi, & contriti, & questo durae da Natale à mezzo mese de Gennaro, e poi restette, cho non ci venia quasi persona, talche gl' Industrianti stevano malcontenti, quasi disfatti; Et à mezza Quaresima cominciò à rivenire tanta la Gente, che per tutte le Vigne stevano à dormire per lo tempo bono, & essendo la Settimana Santa intervenne, che per quelli, che givano, e quelli, che venivano era tanta folla ne la salita de lo Ponte, che durae fino à doe, e tre ore de notte, talchè bisognava, che li Fanti de Castello, & io Paolo colli bastoni in mano, andassimo à sfollare, altrimenti fariano periti molti, & la notte remanevano per li Portecali, & strate, & chi aveva Patre, chi Matre, chi Figliuoli chi Fratelli, e chi Compagni sperduti, e chiamavansi l' uno all' altro, peccato à vederli, & durae insino all' Ascenzione de Maggio. Poi la Gente restette, perchè venne gran morìa, & morivano Romani, & altri, talchè Ospedali, & Chiese erano piene trà ammalati, & morti, & cascavano morti per la strada, come cani, trà l'aere infetto, & li disagi, abbrusciati da lo caldo, & da la polvero erano de morti infiniti, & molti avevano denari, & non li valevano. Fatte le Funzioni, se partì lo Papa, & la Corte de Roma, & andæ à Fabriano, & fece una Bolla, che in cinque dì se avesse lo perdono tutto per tutto Settembre. P[illegible] stato questo tempo tornæ lo Papa, & la Gente revenne tanta, che in Roma non se poteva stare, & ogni Casa era Albergo, & non bastava, domandavano per l' Amor de Dio so lero albergati, & non trovando remanevano per le strate à dormire morti de freddo, non se poteva supplire à lo pane per li Molini, & Forni, & il Papa pigliae per par-

a fame, & frigore homines, Pontifex ſingulis Sabbathis Apoſtolorum Capita, Dominiciſque diebus Vultum Sanctum oſtendi curaverit, Benedictione inſuper impertita: Hæc nihil profuiſſe, nam plateas ſemper gentibus plenas, quum Benedictio daretur, S. Petri atrium plenum, necnon Neronis Montem, vulgò *Palazzuolo*, vineaſque conterminas, licet diſſitas, unde tamen Pontifex conſpiceretur; donec Decembris die XVIII. ob euntium, & redeuntium per Pontem Ælium multitudinem, ad CLXXII. hominum ſint necati, IV. Equi, & Mulus: Tum Paulum de Sarto Pontis Regioni Præfectum, alioſque, qui providerent, advocatos; Arciſque Præfectum Portam æneam claudere juſſum: Licet hi cum duobus Mareſcallis gentem a Ponte arcerent, cadavera que ſecus viam acervatim collocarent, plenis nihilominus Pontis Zonis, Arcubuſque, hominibus, plures in flumen dejectos; Poſt factum cadavera, ipſo *Paulo* adjutante, ad Divi Celſi tranſlata. Hìc deinceps commemorat Urbis de hac re luctum, clamoreſque parentum, filiorum, fratrum, ac ſororum ad mediam noctem protractos; additque, Pontificem, ter ſex curribus adhibitis, CXXVIII. mortuos ad Campum Sanctum, ubi uſque ad Dominicam inſequentem, ut a ſuis agnoſcerentur, inſepulti remanſerunt, adduci curaſſe, ſex in S. Mariæ ſupra Minervam, reliquos in S. Celſi ſepultos: Ex mortuis, plures juve-

partito, che ogni Sabato faceva moſtrare le Teſte, & la Domenica lo Volto Santo, & allo uſcire da le grade Eſſo dava la Benedizzione, & indulgenzia, acciò non ſia affamata Roma, & non baſtava, lo Sabato ſeguente era pieno ogni coſa, le eſtrat piene, le piazze tutte piene, & quando lo Papa dava la Benedizzione, era la piazza piena, & lo monte di Nerone, cioè il Palazzuolo, & le vigne de qualunque loco ſe vedeva la Loggia, & più non lo vedevano, & durao queſto fino à Natale, & eſſendo à dì 18. di Decembre uno Sabato alle 24. ore, cadde la maggiore sfortuna de lo Mondo, che correva la gente da S. Pietro, moſtrato lo Volto Santo, accio la Domenica ſeguente ſe poteſſe andar con Dio, cioè la Domenica ſeguente, fatta la benedizzione, fù tamanta la infruttaglia à mezza la ſalita de lo Ponte, che ci moriro cento ſettanta, & due Perſone affocate da la Folla, & quattro Cavalli, & una Mula, & ciaſcuno ſopra li morti. Sentendoſi, che ce moriva tanta gente, chiamarono lo Caporione de Ponte Paolo de lo Sarto, & Cittadini, & fù dato ordine à lo Caſtellano, che ſerraſſe la Porta di bronzo, che non ci entraſſe più perſone. In Ponte ſtevano li doi Caporioni, & i doi Maliſcalchi parati à lo ſalire de lo Ponte, che nullo paſſaſſe, & ſcoſtorno li corpi morti da la ſtrati ammo itoniti de qua, & de là di la via, & così facemmo sfollare la Gente: Erano piene le Zone de lo Ponte, & quelli Archi, talchè à loro diſpetto ſe calcava in Fiume, & sfollato portammo li Corpi morti à S. Celſo, & io Paolo ne ajutai à portare circa 12, gran pietà à vedere 172. corpi morti, e chi piagnere Patri, chi Matre, chi Figlio, chi Sorella, chi Fratello, le raddoppiavano le ſtridi uſque ad mediam noctem. A mezza notte lo Papa mandò ſei carri tre volte, che foro dicidotto carri, & felli portare à Campo Santo, & vi ſtettero tutta la Domenica ſeguente, che non volle foſſero ſeppelliti, acciocche li loro li riconoſceſſero, & furo in quelli carri 128. corpi morti, ſei ne furo portati à la Minerva, & lo reſto in S. Celſo, & la maggior parte de li morti erano Jovani gagliardi, & Femmine,

juvenes fortes, fœminaſque, ſenum, parvulorumque paucos; veſtimenta in S. Celſo contigua domo, ut ſua unicuique diſtribueret, cuſtodiſſe Benedictum *Pauli* patrem; De cætero hoc anno Trapezitas, Pharmacopolas, & ſacrorum Vultuum Pictores multum feciſſe lucri, ut & hoſpitia præbentes, eos præſertim, qui cauponas in plateis S. Petri, & S. Johannis, ac in viis habebant; reliquas item artes exercentes, ſed non ut quos memoravimus.

VII.

NICOLAVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedentibus.* 8.
SED. AN. VIII. DI. XX. OB. XXV. MAR. MCDLV. ANDREAS. GVACALOTIS. *Pontifex in navi, cui inſcriptum eſt,* ECCLESIA. *ſiniſtra tenet crucem; a qua pendet parvum quaſi velum, in quo duæ claves.* [4]

Fudit hoc Numiſma *Andreas Guacalotis*, ſive *Guacialotus*, poſt obitum Pontificis optimum ipſius regimen, dum vixit, oſtenſurus; & licet non affabre factum, ob raritatem tamen eſt in pretio. Aliud ejuſdem artificis Numiſma melioris eſt notæ apud Baronem Stoſchium, in quo repræſentatur *effigies nuda Nicolai Palmerii* Ordinis S.Auguſtini Epiſcopi Hortani, Viri docti, cum literis hiſce: NVDVS. EGRESVS. SIC. REDIBO; & in ſecundo circulo: NICOLAVS. PALMERIVS. SICVLVS. EPISCOPVS. ORTAN. In poſtica adeſt figura nuda habens clepſydram in dextra, haſtam in læva; circumque: ANDREAS. GVACIALOTVS. CONTVRBENALIS. B. P. In medio: VIX. AN. LXV. OBIIT. A. D. MCCCCLXVII. Hoc Numiſma memorat Illuſtriſſimus *Fontaninus* [a], & apud *Ughellium* [b] in ligno expreſſum viſitur. Cl. Dominicus Georgius Sanctiſſimi Domini Noſtri ex intimis Sacellanis pluribus probat, Andream e Prato in Tuſcia ortum traxiſſe, multaque munia in Urbe obiiſſe [c].

Alfon-

a *De Antiquit. Horta lib. 2. cap. 3. pag. 301. 2. tom. 3. edit.*
b *Ughell. Ital. Sac. tom. 1. col. 800.*
c *In Vit. Nicol. V. pag. 153.*

mine, pochi Vecchi, & poche Creature; li veſtimenti forn dati in guardia à Benedetto mio Patre, & meſſi in una Cammera à S. Celſo, & molti quærebant ſuos, li panni juſti erano cerchi. La connizione de lo Jubileo fù queſta, li Banchieri, & li Speziali, & Pentori de Volti Santi ferno gran teſoro, Hoſtarie, & Taverne, maſſime quelli, che le fero fare per le ſtrate, & in piazza de S. Pietro, & de S. Janni, & tutte le arti, ma queſte ſopra tutte.



ALfonsus Cardinalis *Borgia* Valentiæ in Hispania natus, qui nomen sumsit *Calixti*, Summus Pontifex electus fuit sexto Idus Apriles MCDLV. obiitque VIII. Idus Sextiles An. MCDLVIII. sepultus est in Basilica Divi Petri, unde precibus Illustrissimi *Johannis Baptistæ Vives Paulus V.* transferri permisit ad Ecclesiam *S. Mariæ Montis-ferrati* Nationis Aragonensis, quod privatè factum est tertio nonas Februarias anni MDCX.

I.

1. 2. CALIXTVS. III. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum mitra, & pluviali magni pretii.*

ALFONSVS. BORGIA. GLORIA. ISPANIE. *Pontificis insignia expressa per Bovem.* [4]

Non fine causa temporibus suis *Calixtus* nuncupatus est: GLORIA. HISPANIAE. ipse enim, ut ait *Volaterranus* [a], fuit *Juris Pontificii*

a *R. Volaterran. Anthropol. lib.* 22. *pag.* 517. *edit. Basil.*

by Google

tificii scientia doctissimus. Ipse Hispaniam, schisma ab ea eliminaturus, missus fuerat, ibique ita apud *Alfonsum* Regem se gesserat, ut *Egidius* Barchinonensis post obitum *Petri de Luna* creatus schismatice Pontifex, huic cedens dignitati, ad pedes *Martini V.*, eo auctore, se substraverit [a]. Pacem insuper *Alfonsum* inter Aragoniæ Regem, & *Johannem* Regem Castellæ procuravit, atque conclusit.

II.

Idem Numisma minori forma novissime restitutum. [5]

III.

CALIXTVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut supra*. 3.

HOC. VOVI. DEO. VT. FIDEI. HOSTES. PERDEREM. ELEXIT. ME. (*pro* elegit.) *Aliquot triremes in mari ordinatim positæ*. [4]

In hoc Numismate noviter fuso innuitur votum a *Calixto* factum bellum inferendi Turcis, si ad Pontificatum eveheretur. Hujusce rei, post S. *Antoninum* [b], expresse meminit *Platina* [c], qui etiam voti verba refert. *Calixtus* revera S. R. E. Cardinales, ac alios, ad Europæos Principes, ad *Ussumcassanum* Persarum Regem, ad Armeniæ Principem, & ad Tartarorum Gentem legavit, ut eos contra Turcas adducerent: Quare maxime lætatus est, quum ipsi nunciata fuit victoria contra hos a *Johanne Hunniade* apud *Albam Græcam*, vulgò *Belgrado*, decimoseptimo Kal. Sext. anni MCDLVI. relata. Misit insuper Pontifex *Scarampum* Cardinalem cum sexdecim Triremibus, quibus ille Classem Turcarum fregit, & ab eorum conatibus liberam reddidit Insulam *Mitylenem*, quam *Calixtus* restituit Principi, qui eam possidebat [d], sub directo Apostolicæ Sedis dominatu.

IV.

CALIXTVS. III. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum mitra, & pluviali*. 7.

NE. MVLTORVM. SVBRVATVR. SECVRITAS. *Prospectus Urbis propugnaculis munitæ, & in medio Insignia*. [4]

a *Platina in Calix. III. pag. 239.*
b *Histor. part. 3. t. 22. cap. 12. pag. 578. tom. 3. edit. Lugdun.*
c *Platina in Vit. Calix. pag. 239. col. 2.*
d *Raynald. Annal. Eccles. tom. 18. ad ann. 1457. num. 31.*

Calixtus III. quum se totum dedisset bello in Infideles promovendo, parum, vel nihil ædificia curavit. In hoc novo Numismate mœnia repræsentantur urbis, fortasse Romæ, quasi ipse ea, vel restituerit, vel exstruxerit; sed hujusce rei nullum habemus testimonium, nec *Martinellus* [a], qui Urbis ædificia multis describit, meminit; unde dicendum est, per errorem Numismati adjectam posticam partem, alii fortasse Pontifici adtribuendam.

V.

CALIXTVS. PAPA. III. *Effigies Pontificis, ut præcedentes.*
CLAVES. REGNI. CAELORVM. *Claves Pontificiæ coronatæ.* [4]
Posticam hujus Numismatis partem potius *Nicolao V.* adsererem, cujus specialia insignia erant claves; ita ut, quum *Calixtus* Pontificatum assumsit, sola effigies fuerit immutata.

Æneas

a *Floravant. Martinell. Rom. Sacr. cap. 1. pag. 2.*



ÆNeas *Silvius Piccolomineus* Senensis a Cardinalibus ad Pontificatum supremum fuit evectus XIV Kal. Septembres anno MCDLVIII. Obiit Anconæ quum Classem Venetam adscenderet in Orientem transfretaturus contra Turcas XVII. Kal. Septembris an. MCDLXIV. Cadaver Romam translatum fuit; ibique marmoreo sepulchro conditum in Basilica Vaticana; inde ab *Alexandro* Cardinali *Peretto* ad Ecclesiam S. Andreæ a Valle transportatum, quæ Ecclesia exstructa fuit, ubi erat Palatium Gentis *Piccolomineæ*; ibi hæc inscriptio legitur.

PIVS . II. PONT. MAX. NATIONE. TVSCVS. PATRIA SENENSIS. GENTE. PICCOLOMINEA. SEDIT. ANN. VI. AVGVSTA. IN. AVGVSTO. PONTIFICATV. GLORIA CONVENTVM . CHRISTIANORVM. MANTVAE. PRO

Digitized by Google

FIDE . HABVIT . OPPVGNATORIBVS . ROMANAE . SEDIS . INTRA . ATQVE . EXTRA . ITALIAM . RESTITIT CATHARINAM . SENEN. INTER . SANCTAS . CHRISTI RETVLIT . IN . GALLIA . PRAGMATICAM . ABROGAVIT . FERDINANDVM . ARAGONEN. IN . REGNVM . SICILIAE . CIS . FRAETVM . RESTITVIT . REM . ECCLESIAE . AVXIT . FODINAS . INVENTI . TVM . PRIMVM ALLVMINIS . APVD . TOLFAM . INSTITVIT . CVLTOR IVSTITIAE . ET . RELIGIONIS . ELOQVIO . ADMIRABILIS . PARATA . CLASSE . AC . VENETORVM . DVCE CVM . SVO . SENATV . COMMILITONIBVS . CHRISTI HABITIS . IN . BELLO . TVRCIS . INDICTO . ANCONAE DECESSIT . EX . PATRVM . DECRETO . IN . VRBEM . RELATVS . IN . BASILICA . S. PETRI . ANN. MCCCCLXIV. CONDITVR . TVM . RELICTO . IBIDEM . CAPITE . S. ANDREAE . APOSTOLI . VBI . AD . SE . EX . PELOPONNESO ADVECTVM . COLLOCATVR .

I.

1. 2. PIVS . II. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum pileolo*, *vulgo* Camauro, *& parvo pallio*, *vulgò* Mozzetta.
GLORIA . SENENSIS . DI . CASA . PICCOLOMINI. *Quinque lunæ corniculatæ intra Crucem dispositæ*, *quæ hujus familiæ sunt insignia*. [4]
Hoc Numisma fusum ab aliquo indocto censeo, quum ad Pontificatum evectus est Cardinalis Piccolomineus, ut ex epigraphes simplicitate, partim Latine, partim Italice expressæ, adparet.

II.

7. PIVS . II. PONT. MAX. *Effigies*, *ut supra*.
PONT. ANNO . SECVNDO . MCCCCLX. *Insignia gentis Piccolomineæ*. [4]

III.

Idem Numisma recentiùs cusum. [4]

IV.

IV.

PIVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*
OPTIMO. PRINCIPI. [4]

Optimi Principis laudem Veteres in Numiſmatibus dederunt potiſſimum Imperatoribus Antonino Pio, & Trajano [a]: & jure merito Pio II. Pontifici eadem laus adtributa in hoc fuſo Numiſmate, qui ob egregias animi dotes deſiderium ſui omnibus reliquit, atteſtante Cardinali Papienſi, qui ſic Cardinali Senenſi ſcribit [b]: *Audis quotidie* (Pium) *magis, & magis laudari, & apud multos etiam deſiderium ejus eſſe.* 5.

V.

AENEAS. PIVS. SENENSIS. PAPA. SECVNDVS. *Effigies, ut in præcedentibus.* 4.
ALES. VT. HAEC. CORDIS. PAVI. DE. SANGVINE. NATOS. *Pelicanus, qui roſtro ſuum vulnerat femur, ut filios ſanguine alat.* [4]

In hoc Numiſmate alluditur Pontificis erga ſuum gregem eximiæ charitati, qui licet ſenex, morbiſque afflictus, ſæpe voluit Anconam viſere, ubi quum navim adſcendere meditaretur, populum ſuum a Turcarum tyrannide vindicaturus, diem clauſit: *Mortuus* (inquit Cardinalis Papienſis [c]) *pro veritate eſt; & pro redemptione plebis captivæ, offerens ſe hoſtiam Deo, & relinquens exemplum Sacerdotibus, quales eſſe pro ſuis plebibus debeant.* Fudit hoc Numiſma, juxta *Molinetium* [d], *Andreas* Cremonenſis, verſum appinxit *Campanus.*

VI.

PIVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut numero III.* 3.
VELOCITER. SCRIBENTIS. SOBOLES — NE. TANTI. ECCLESIAE. PACISQVE. AMANTIS. DELEATVR. MEMORIA. *Abacus cum tapete, multis libris referta; & in uno legitur:* IMPOSITA. TVRCARVM. LEX. [4]

Paulo poſt mortem *Pii*, doctiſſimi, indefeſſique viri, hoc Numiſma fuſum fuit. Opera, quæ edidit, recenſet *Ludovicus Jacobus de S. Carolo* in Bibliotheca Pontificia, & in vita adhuc inedita *Pii II.* R. P. *Bandiera* Senenſis, Presbyter Oratorii S. Hieronymi de Charitate.

VII.

a *Mediob. Numiſ. Orſel. pag. 19.*
b *Epiſt. 10 pag. 593. poſt comment. edit. Francofurt. 1618.*
c *Card. Pap. Epiſt. 40. pag. 489.*
d *Molinet. Hiſt. Pontif. per Numiſm. in Præfat.*

VII.


Hoc Numisma majori modulo fuit novissimè cusum. [3]

VIII.

PIVS. II. TERMAX. PONTIFEX. *Effigies, ut in aliis.*

Tres bases sertis ornatæ, supra mediam stat Cherubim alis in Crucis formam compactis, supra dexteram Aquila, Cycnus supra lævam. [4]

Hoc Numisma in forma ovali fusum non facile invenitur; ejus posticâ notatur Pontificis in tribus Artibus, Theologiâ, Philosophiâ, & humanis Litteris, excellentia.



Post

Digitized by Google



POst obitum Pii Pontificatum adeptus est *Petrus Barbus* Cardinalis Venetus III. Kal. Septembres MCDLXIV. qui nomen sibi indidit *Pauli* II. Ecclesiamque moderavit ad VIII. Kal. Sextil. An. Dom. MCDLXXI. & sepultus est sequenti addita inscriptione, in Basilica Vaticana:

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX.

I.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Pontificis effigies capite nudo, pluviali iconibus Apostolorum ornato, & Pontificiis insigniis.* 1.2.
ANNO. MCDLXIV — ROMA. *Insignia Gentis* Barbæ, *Leo saliens cum transversa fascia.* [4]

II.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies similis cum pluviali simplici.*
Insignia eadem coronâ circumdata; a Bonannio omissa. [4]

III.

III.

3. 4. PAVLO. VENETO. PAPE. II. ITALICE. PACIS. FVNDATORI — ROME. *Effigies dimidiata Pontificis cum pluviali. Pontificis Insignia.* [4]

IV.

Aliud simile cum Insigniis intra coronam, ut numero III. [4]

Quum animum Paulus II. ad bellum contra Turcas, qui sibi Albaniam subjecerant, intendisset, primùm incubuit sedandis litibus inter Italiæ Principes vigentibus, præsertim inter Ferdinandum Regem Neapolitanum, Venetam Rempublicam, Galeaziumque Mariam Sfortiam Ducem Mediolanensem, ac Rempublicam Florentinam; & in hoc voti compos factus est. Pace itaque Italiæ restituta, commeatu, apparatuque bellico constituto, exercitum legit sub Bartholomæo *Coleonio* Bergomate Duce invictissimo, mare transfretaturum, ac gentem Turcam e propria domo expulsurum. Bullatam insuper edidit, pro Pace inter memoratos Principes confirmanda, Constitutionem, quæ incipit: *Ut liberius justissimum bellum* [a]; & B. Virginis festo Purificationis die solemniter publicare curavit dictam Pacem in Ecclesia S. Mariæ in Ara-Cœli anno Domini MCDLXVIII. [b] Novis deinceps difficultatibus ortis, Pontifex S. Marci festo die ejusdem anni, in Ecclesia suis Ædibus adjacenti, in Divi *Marci* honorem Deo dicata, officia celebravit, & ipso præsente, Legati Regis, Rerumpublicarum, Ducisque pacis signo juxta Ecclesiasticum ritum se invicem salutarunt, junctis mutuò dextris, cujus actus publici memoriam nova Constitutione Pontifex [c] servatam voluit. Sed hæc omnia, novis in diem exsurgentibus difficultatibus, in cassum ivere.

V.

Aliud Numisma cum eadem effigie, & epigraphe in utraque parte. [4]

VI.

13. PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* ANNO. CHRISTI. MCCCCLXX. HAS. AEDES. CONDIDIT. *Ædium prospectus.* [4]

Petrus Cardinalis Barbus nondum Pontifex anno Dom. MCDLV. initium

a *Raynald. Annal. Ecclef. tom. 19. ad ann. 1468. num. 15.*
b *Card. Papiens. Comment. lib. 4. pag. 391. & 499.*
c *Vide Bull. Rom. in Paulo II.*

Digitized by Google

tium dedit constructioni valde illis temporibus magnificæ Ædium juxta Ecclesiam suam Titularem Sancti Marci: & ut vetustorum Numismatum erat amator [a], posuit, Antiquos imitatus, in fundamentis Numismata, quæ cudi curaverat, cum propria effigie, & his verbis: PETRVS. BARBVS. VENETVS. CARDINALIS. SANCTI. MARCI. & in postica insignia, cum galero rubeo, &: ANNO. CHRISTI. MCCCCLV. Hujusce ædificii meminit Michael Cannesius, sive Canensius Viterbiensis, Episcopus Castrensis, qui illis temporibus floruit, conscripsitque vitam Pauli II. a se Guilielmo *Estoutvillæo* Cardinali Rothomagensi dicatam, quæ nondum edita reperitur in Bibliotheca Angelica Sancti Augustini de Urbe. Hunc Michaelem (nomine tantum indicato) memorat Ughellius in Catalogo Episcoporum Castrensium [b]; quum scribit: *Domum juxta dictam Ecclesiam* (S. Marci) *Tituli sui magnis impensis, testudineoque ædificio construxit, cujus in fundamenta cæremoniali cum benedictione aliquam auri, argentique Numismatici depositionem, ut ædificiis fieri assolet, optimis auspiciis jecit*. Pontifex factus ædificium ampliavit, *Juliano Majanensi* [c] architecto, insumsitque, juxta memoratum *Cannesium*, centum, sexdecimque aureorum millia. Hoc etiam Numisma maximo modulo cusum, ad normam veterum deauratum, ac circulo inclusum conspicitur.

VII.

Aliud Numisma cum eadem epigraphe intra coronam quernam. [5]

VIII.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies præcedentibus similis*. 18.

HANC. ARCEM. CONDIDIT. ANNO. CHRISTI. MCCCCLXV. *In medio Insignia Pontificia cum Tiara triplici corona redimita, absque clavibus*. [4]

Existimatum est, in hoc Numismate, significari ædes D. Marci; sed hæ nonnisi improprie arx possunt appellari. Verosimilius igitur mihi videtur, designari arcem a Paulo constructam Tuderti, Urbem illam pacificam ut redderet, in multas factiones divisam, Pontificique inobedientem, ex relatu *Cannesii*: *In Umbria cum Civitas Tudertina continuis civium discordiis, gravibus factionibus, &* in-

a *Vide Vindic. Pauli II. Emi Cardinalis Quirini*.
b *Ital. Sacr. to. 1. col. 620. prima edit. & col. 582. secunda*.
c *Vasar. Vita Pictor. tom. 1. par. 2. pag. 352*.

inteſtinis odiis æſtuare conſueverat, & contumaci, ſuperbaque cervice Pontificibus obſiſteret, ad eam rerum fluctuationem tollendam inſignem in ea arcem ingentis molis, mirificique operis, funditus erexit.

His diebus Numus hic inventus eſt ſub mœniis *Arcis Caſciæ*: fortaſſe Paulus, ſi non exſtruxit, reſtituit tamen hanc arcem.

IX.

9. PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

HILARITAS. PVBLICA. *Mulier ſtans, cornucopiæ in læva, palmam in dextra habens; juxta pedes ſpicæ: & corona in altero latere.* [4]

Hilaritatis typus ex vetuſtis Numiſmatibus erutus fuit, atque mirifice imitatus. Talis eſt, quæ conſpicitur in Numis [a] M. Aurelii, Lucillæ, & Didiæ Claræ. In noſtro verò Numo adjungitur corona juxta pedes, ad Veteres, qui ſe in feſtivitatibus coronabant, exprimendos.

Pontifex Paulus honeſta præbuit oblectamenta, & ſpectacula populo, qui ſub illius Pontificatu copia fruebatur. Bacchanaliorum diebus, homines, ac animalia varii generis currere faciebat per Viam Latam a Porta Flaminia ad proprias Ædes, quæ via hac cauſa Curſus eſt appellata. *Platina* coævus ſcriptor ſic rem narrat [b]: *Ludi autem erant pallia octo, quæ curſu certantibus in carnis privio proponebantur ſingulis diebus. Currebant ſenes, adoleſcentes, juvenes, Judæi, ac ſeorſim, paſtillis primo quidem plenis, quo tardiores in curſu eſſent. Currebant & equi, equæ, aſini, bubali, tanta cum omnium voluptate, ut omnes præ riſu pedibus ſtare vix poſſent. Curſus autem, & ſtadium erat ab Arcu Domitiani, uſque ad Ædes Sancti Marci.*

X.

10. PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut aliæ, pluviale ſimplex.*

HILARITAS. PVBLICA. *Mulier ſimilis cum cornucopiæ, palma, & duobus pueris, qui circa eam ludunt.* [4]

In quodam Hadriani [c] Numo inſpicitur Hilaritas cum uno puero. In utroque fortaſſe Numo ſignificatur Ætas aurea, quum genus humanum erat in infantia. Aliqui putant ex montibus, e quibus Palma egreditur, Numiſma ad Julium III. pertinere.

XI.

a Theſaur. Numiſ. Mediob. edit. noviſſ. pag. 211. Oyſel. Numiſ. pag. 332.
b Platin. in Vit. Pauli II. fol. 253. col. 2.
c Mediobar. Numiſ. pag. 180.

XI.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*
CONVIVIVM. PVB. ERGA. POP. ROM. *Duplex cornucopiæ, & in medio*: ROMA. [6]

Non satis habens hic Pontifex, Populo spectacula præbuisse, voluit etiam plures annos publicis eum epulis excipere. Audi Episcopum Castrensem rem totam describentem: *Post diem Agonalium convivia Romanis Magistratibus, & universo Populo ante Ædes, quas ipse construxerat juxta Basilicam B. Marci, quotannis exhibuit, interdum electissimis piscibus, aliquando autem exquisitis undique optimis carnibus, vina quoque varii generis, albi, nigrique coloris electissima adhibuit, & in ipsis quidem conviviis tantus omnium rerum, ac mensis servientium ordo, taciturnitasque fuit, ut nihil prorsus a quoquam impertinenter, & incommode factum, dictumve fuit; ipse autem Pontifex, exactis conviviis, ad majorem erga Romanum Populum benevolentiam, animique hilaritatem ostendendam, e domus fenestra, unde convivantem populum secrete perspicere poterat, Nummos argenteos in omnem multitudinem diffundere solitus est.* *Paulus* vero *de Magistro* in suis Ephemeridis, diem notat, in quo epulæ factæ sunt; dicens, MCCCCLXVI. *a dì* XV. *di Febraro la Santità Sua fece fare uno Convito da magnare nobilissimo, che saria cosa incredibile a chi l'udisse raccontare, a tutti i Cittadini Romani, allo Senatore, e a tutti li Forastieri, che erano in Roma, e poi gittao grandissima quantità de denari, magnato che fo. La Domenica di Carnobale la dimane Nostro Signore Papa Paolo II. fece un convito da magnare alli Conservatori, & allo Senatore, & a tutti gli altri Officiali, & Capitani, con tutto lo Popolo di Roma, & fu uno convito nobilissimo Papale, e lo stesso ripetè negli altri anni.* Hoc est: *Ad* XVI. *Kal. Martias anni* MCDLXVI. *Pontificem tam sumtuosas epulas, ut vix credi posset, civibus Romanis, Senatori, exterisque omnibus, Romæ degentibus, præbuisse, post deinde magnam auri copiam diffundisse. Die Dominica (fortasse ultima) Carnis privii, mane Paulum II. prandio excepisse Conservatores, Senatorem, aliosque Magistratus, Ducesque cum omni Populo Rom., hocque convivium vere Papale, insequentibus annis continuatum.*

XII.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies præcedentibus similis.* 14.

LAETITIA. SCHOLASTICA. A. BO. *Mulier stans florem in dextra tenens, circumque duos pueros.* [5]

Siglæ A. BO. leguntur a R. P. *Philippo Bonannio* [a] per *Accademia Bononiensis*, quasi nova Pontifex huic Universitati privilegia concesserit. Nullus tamen ex Historiarum Bononiensium Scriptoribus hanc rem memorat, ne diligentissimus quidem *Antonius Masinius* [b], qui tantùm a Paulo asserit numerum Bononiensium Senatorum auctum. Dicere quis posset his litteris claudi Artificis nomen, qui Numum cudit, appellatus fortasse *Antonius Bononiensis*; sed & hoc auctore caret. Pontifex *Paulus* in Universitatem erexit, juxta ejus bullatas Litteras datas bissexto Kal. Martias anni MCDLXVIII. atque a *Raynaldo* [c] memoratas, Scholas Urbis Andreopolitanæ in Scotia.

XIII.

6. PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum Tiara, & pluviali.*

AVDIENTIA. PVBLICA. PONT. MAX. *Pontifex supra Thronum duobus Cardinalibus comitatus; vir genua flexus illius pedes deosculatur, alii genibus etiam flexis, manibusque ante pectus junctis, supplices illi præsentantur.* [5]

Omni nota sumus destituti, qua possimus tutò dicere, in hoc Numismate significari, ut quidam volunt, *Bursum Atestinum* Ferrariæ Marchionem, qui nobili pompa Romam quum venisset, Paschatis festo a Pontifice Ducis Ferrariæ titulo fuit insignitus: multo minus Federicum II. Imperatorem Romam solemniter ingressum; Unde tantùm demostrari voluisse, credibile est, benignitatem, & clementiam *Pauli*, qui initio præsertim Pontificatus sui, etiam vilissimis quibusque aures præbebat, eosque in necessitatibus sublevabat, atteſtante *Cannesio*, qui sic scribit: *Fuit autem in audiendo patiens ad multarum horarum spatium, sedulus, atque hilaris, nullius etiam infimæ sortis personam aspernatus, attrectansque persæpe Caputiolum, quod ei ab utroque armo ante pectus pendebat.*

XIV.

5. PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies, ut numero I.*

PA-

a *Numis. Pontif. tom. 1. pag. 86. n. 14.*
b *Bonon. perlustrat. par. 3. pag. 184.*
c *Raynald. Annal. Eccles. tom.* XIX. *ad ann.* MCDLXIX. *n.* 31.

PABVLVM. SALVTIS. *Sancti Apostoli Petrus, & Paulus insidentes radicibus rupis, unde egreditur fons, ad quem oves multæ sitientes accedunt; supra fontem visitur agnus cum nimbo, in dextra calix, e lateribus duæ exsurgunt palmæ.* [4]

Petrus Patriarcha Antiochenus e Natione Maronitarum, qui Libanum montem incolunt, Romam aliquot Sacerdotes misit, qui instruerentur in Dogmatis veræ fidei ab Apostolis traditæ [a]. Pontifex Paulus, ut bonus Pastor, non dereliquit hanc Gregis sui partem; illis enim e fonte doctrinæ Catholicæ propinavit. Quare confirmato in dignitate Patriarcha, bullatas ad illum scripsit literas, in quibus summa capita veræ religionis continebantur. Palmæ, quæ ex utroque latere Apostolorum conspiciuntur, regionem indicant, in qua isti Populi degunt, *Palmarum* feracem.

XV.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Caput, ut in aliis.*

ANNO. CHRISTI. MCCCCLXX. HAS. AEDES. CONDIDIT — TRIBVNA. S. PETRI — ROMA. *Prospectus antiquæ Tribunæ Basilicæ Vaticanæ.* [4]

Nicolaus V. novam Tribunam, Bernardo Rossellinio Architecto, in Ecclesia Divi Petri construere incœperat, ampliorem veteri ab Imperatore Constantino ædificata: Paulus II. prosequutus est ædificium, cujus meminit Episcopus *Cannesius*: Ejus verba, utpote testis ocularis, libenter adduco, potissimè quum sint adhuc inedita: *Aggressus est* (Paulus II.) *absidem, quam Tribunam vocant, juxta ædem Petri Apostoli a Nicolao V. magnificentissimè inchoatam, ipse suis expensis perficere, in quam supra* v. *millia aureorum dedit.* Credibile est, novam Tribunam, vel nunquam terminatam, vel tantum sustentaculum fuisse veteris, musivis ornatæ operibus jam a *Ciampinio* [b] descriptis, quæ destructa fuit, quum novam Pontifex Sixtus V. inchoavit Basilicam anno MDLXXXVII.

XVI.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Pontificis effigies, ut in postica.*

PAVLO. VENETO. PAPA. II. ANNO. PVBLICATIONIS. IVBILAEI — ROMA. *Effigies Papæ cum Tiara, vittis pendentibus, & pluviali. Numisma forma ovali.* [2]

Hic

a *Raynald. Annal. Eccles. tom.* XIX. *ad ann.* MCDLXIX. *num.* 26.

b *De Sacr. Ædif. Constant. cap.* 4. *sect.* 62. *pag.* 42. *Vid. Torrig. le Sag. Grott. Vatic.*

Digitized by Google

Hic Numus est ovalis, & major quam alii; Bonifacius Papa VIII. decreverat singulis centenis annis Jubileum Romæ celebrandum. Clemens VI. tempus L. annorum constituit; & Urbanus VI. triginta trium. Tandem Paulus II. anno MCDLXX. sua speciali Bullata Constitutione Kal. Majis edita ad XXV. annos reduxit [a]; quod confirmavit Sixtus IV. Quare hoc Numisma, quod nullus memorat, tunc fuit fusum, quum Pontifex Paulus Jubileum anni MCDLXXV., ad quem non pervenit, indixit.

XVII.

8. PAVLVS. II. PONT. MAX. *SS. Petrus, & Paulus Apostoli.*
PAVLVS. PP. II. *Pontifex sedens supra solium duobus stipatus Cardinalibus; & aliquot Personæ ante ipsum genibus flexis.* [4]

In hoc fortasse Numismate indicantur filii Thomæ Palæologi fratris Constantini ultimi infelicis Imperatoris CPolis; qui appellabantur Andreas, Helena, & Zoe, sive Sophia [b]; omnes a Pontifice humaniter excepti, & retenti.

XVIII.

7. SACRVM. PVBL. APOSTOLIC. CONSISTORIVM. PAVLVS. VENETVS. PP. II. *Papa in Consistorio in medio Cardinalium, & coram magno Populo: Inferiùs verò Pontificis Insignia Gentilitia.*
IVSTVS. ES. DOMINE. ET. RECTVM. IVDICIVM. TVVM. MISERERE. NOSTRI. DO. MISERERE. NOSTRI. *Judicium Universale.* [1]

Repræsentatur in hoc raro, prægrandi, fusoque Numismate Consistorium, in quo Pontifex post maturum Causæ examen, postque plura monita, anathematizavit Georgium Podibrachium Bohemiæ Regem Hussitam hæreticum, Regno excisum illum declarans, ejusque subditos a jure jurando liberos. De hoc egregio facinore, sic Cardinalis Papiensis [c]: *Inter hæc jam appetebat dicta Judicio dies, instructaque per Delegatos Cardinales ad sententiam erant omnia, neque Georgius Podibrachius Bohemiæ Rex ad dicendam Causam usquam apparebat. Itaque vocatis in Senatum Patribus, Commentariisque actorum perlectis, dato etiam ad disquirendum spatio, tandem omnium una oratione perjurus, sacrilegus, hæreticusque, constare de his criminibus, non cognitione tantum, sed fama convincitur; utque au-*

a *Cherub. Bullar. tom. 1. in Paul. II.* Ineffab. Provid. *num. 7. pag. 331.*
b *Carol. Ducange Hist. Byzant. illustr. in Famil. Augg. pag. 248. Georg. Phranza cap. 28.*
c *Card. Papiens. Comment. lib. VI. pag. 437.*

Digitized by Google

auctoritas major decernendi esset, ex quavis ratione, omnique Antistitum ordine, qui tunc Romæ erant Doctores Divinæ Legis, & Pontificiæ, adesse in consilium jubentur, qui rogati sigillatim sententiam, in idem cum Patribus judicium convenere. Hic Numus perrarus, & anaglyptice delineatus conspicitur apud Macrum [a].

XIX.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Caput nudatum cum pluviali, & in rationali Insigniis.* 10.

SOLVM. IN. FERAS. PIVS. BELLATVR. PASTOR. *Aper in Silva a Venatore, & canibus insequutus* [b]. [4]

Hoc novæ cusionis Numisma fortassè vigilantiam Pontificis indicat, in persequendis Hæreticis, qui Campos Domini electos vastabant; ut fecit occasione Georgii Podibrachii Bohemiæ Regis per nos memorati, & Rochizanis impii Pragensis Episcopi.

XX.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies, ut in primo.* 19.

TV. PRO. ME. NAVEM. LIQVISTI. SVSCIPE. CLAVEM. *Brachium, quod e nube egreditur, & manu clavem tradit cuidam, qui ex parte visitur, quique illam manibus velatis excipit.* [4]

Ad Divum Petrum hujusce noviter cusi Numismatis emblema refertur, cui tradidit Dominus Claves Regni Cœlorum. Figura eadem cum iisdem literis conspicitur in novis Numis II. Victoris, & Alexandri etiam II. [b].

XXI.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies numeri I.*

IACOBVS. GOTTIFREDVS. ROMAN. PHISICVS. EIVSDEM. SVFFRAGIO. HAS. AEDES. A. FVNDAMENTIS. EREXIT. [4]

Jacobus Gottifredus Pauli II. Archiater, & charus [d], magnificas iis temporibus ædes construxit in Foro Pasquini, in cujus fenestris legebatur: PAVLVS. II. PONT. MAX. Hisce ædibus anno MDCXCII. ab Hæredibus venditis, ac dirutis, Ecclesia Agonizzantium elevata est; in earum demolitione hic Numus inter Fundamenta fuit repertus, a memorato fortasse Doctore Physico cudi curatus in Pontificis, & ædificii sui memoriam.

Fran-

a *Macr. Hierolex. pag.* 137.
b *Jobert. Science des Medail. tom.* 1. *pag.* 10. *tab.* 2.
c *Ciaccon. Vit. Pontiff. tom.* 1. *pag.* 807. *&* 811.
d *Mandosius de Archiatris Pontiff.*

Digitized by Google



FRancifcus Roboreus Ordinis Minorum Conventualium Cardinalis Tituli S. Petri in Vincula, electus Pontifex v. Id. Sextil. an. MCDLXXI. fub Sixti IV. nomine, defiit vivere Idib. iifdem an. MCDLXXXIV. & fepultus eft in Bafilica Vaticana ænea urna conditus cum fequenti epitaphio.

SIXTVS. IV. PONT. MAX. EX. ORDINE. MINORVM DOCTRINA. ET. ANIMI. MAGNITVDINE. OMNIS MEMORIAE. PRINCIPI. TVRCIS. ITALIA. SVMMOTIS AVCTORITATE. SEDIS. AVCTA. VRBE. INSTAVRATA. TEMPLIS. PONTE. FORO. VIIS. BIBLIOTHECA IN. VATICANO. PVBLICATA. IVBILEO. CELEBRATO LIGVRIA. SERVITVTE. LIBERATA. CVM. MODICO AC. PLANO. SOLO. CONDI. MANDAVISSET. IVLIANVS. CARD. B. M. MAIORE. PIETATE. QVAM. IMPEN-

SA

SA. F. CVR. OBIIT. IDIB. SEXTIL. HORA. AB. OCCASV. V MCCCCLXXXIIII. OPVS. ANTONII. POLAIOLI. FLORENTINI. ARG. AVR. PICT. AERE. CLARI. ANNO. DÑI MCCCCLXXXXIIII.

I.

SIXTVS. IIII. PONT. MAX. *Pontificis effigies cum Tiara, & pluviali, in quo ejusdem Insignia.*

FRAN. DE. LA. ROVERE. DI. SAVONA. A. MCDLXXI. *Insignia Pontificis, hoc est Quercus.* [4]

II.

SIXTVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut in praecedenti.* 1. 2.

ETSI. ANNOSA. GERMINAT. *Insignia.* [4]

Horum Numismatum primum cudendum forte curavit aliquis ex Pontificis Consanguineis. Secundum posterioribus temporibus est cusum. Apud Panvinium [a] legimus, Gentem Roboream valde antiquam, & nobilem in Insubria exstitisse, inde postea Savonam transmigrasse; subjungiturque, ad Pontificatum evecto sub nomine Julii II. Cardinali Juliano, Sixti ex Fratre Nepote, existimatum fuisse eam Gentem e prosapia Comitum de Subere descendisse admodum antiqua, atque potenti in Senensium finibus. Novus cusor Numismatis, antiquae huic (verae, an suppositae?) Gentis origini adblanditur.

III.

SIXTVS. IIII. PONT. MAX. SACRI. CVLT. *Effigies cum Tiara, & pluviali, in quo Insignia.* 3.

HAEC. DAMVS. IN. TERRIS. AETERNA. DABVNTVR. OLYMPO. *Pontifex in Sede Pontificia, cujus capiti Tiaram imponunt SS. Franciscus, & Antonius.* [4]

Suam hoc Numismate Pontifex testatam voluit devotionem erga hosce Sanctos, in quorum honorem Sacellum construxit in Basilica Vaticana [b]. Devoto praesertim animo coluit S. Franciscum, cujus Ordinem fuerat amplexus, atque illius patrocinium assequutus: ejus enim intercessioni suam promotionem tribuebat [c]. In translatione Cadaveris

E Sixti

a *Vit. Sixt. IV. post Platin. fol. 458.*
b *Torrigio Sac. Grotte Vatican. part. 2. pag. 145. secund. edit.*
c *Wadding. Annal. Minor. tom. VIII. ad an. 1503. num. 46. ultima edit.*

Digitized by Google

Sixti in novam S. Petri Basilicam Numus huic similis in Sepulchro inventus est [a].

IV.

3. SIXTVS. IIII. PONT. MAX. SACRI. CVLTOR. *Effigies cum Tiara, & pluviali.*

CVRA. RERVM. PVBLICARVM. *Pontis prospectus intra coronam lauream.* [4]

Antiquus Pons, a monte qui prope adstat Janiculensis dictus, deinde Antoninus, sumto ab Imperatore, qui illum instauraverat [b], nomine, pene disjectus Tiberinarum aquarum impetu plura sæcula remanserat, unde Pontis rupti, & Pontis in unda nomen aucupaverat, quæ denominatio adhæsit Ecclesiæ adjacenti S. Salvatoris, ut Constitutio Leonis IX. anni MXLIX. fidem facit, in qua memorantur Episcopatus Portuensis bona [c]; hunc Pontem Sixtus denuo restauravit ob annum Jubilei, qui adventabat, opusque est aggressus ope Baccii Pintellii [d], primo imposito lapide, referente Stephano Infissura in suis Diariis, III.Kal.Majas anni MCDLXXIII. multisque Numis huic similibus injectis. Non tantùm Pontem construxit Pontifex, sed Templis Urbem, viisque ornavit, teste *Raphaele Volaterrano* [e]: *In operibus publicis æque maximus Urbem a situ, ac cæno vindicavit, viis primum munitis, posticibus quoque ejectis, quæ viam occupabant, vicorumque Magistris, ac Curatoribus institutis. Templa insuper vetustate obsita, omnia restituit, Romam denique ex lutea lateritiam fecit, sicut olim Augustus ex lateritia marmoream fecerat.*

In quodam hujus Pontificis argenteo [f] Denario effigies visitur, circumque illam: SIXTVS. IIII. VRBE. RESTAVRATA. RESTAVRATOR. VRBIS. Et in alio, in quo Ostiæ propugnaculum exprimitur, legitur: SIXTVS. IIII. PONT. MAX. VRBE. RESTAVRATA.

V.

4. SIXTVS. IIII. PONT. MAX. VRBE. RESTAVRATA. *Pontificis effigies, ut supra.*

Pon-

---

a *Torrig. ibid. pag. 151.*
b *Nardini Roma Ant. lib.* VIII. *cap. 3. pag. 500. Numism. Vatic. max. moduli tom. I.*
c *Ughell. Ital. Sacr. tom. I. col. 19.*
d *Vasar. in Vita tom. I. par. 2. pag. 393.*
e *Anthropol. lib.* XXII. *pag. 540.*
f *Scilla breve Notiz. delle Monete Pontif. pag. 25.*

Digitized by Google

Pontifex in Throno, juxta eum multi genibus flexis. OPVS. VICTORIS. CAMELIO. VI. [4]

Sixtus IV. excepit Romæ ſplendore, qui ejus animo par erat, duos Reges, treſque Reginas. Primus fuit *Chriſtianus* Daniæ, Sveciæ, & Norvvegiæ [a] Rex, qui cum Johanne Saxoniæ Duce Romam pervenit Aprili menſe anni MCDLXXIV. Huic Regi Numus tunc fuit Romæ cuſus, in cujus antica ipſius effigies, &: CHRISTIERNVS. DACIAE. REX. CVI. ENSIS. ET. DEVS. III. SVBEGIT. REGNA; in poſtica multi equites (ſolemnem ingreſſum Romæ factum certe repræſentantes) & circum eos: TALIS. ROMAM. PETIIT. SIXTO. IV. PONT. MAX. ANNO. III., & infra minoribus litteris: MELIOLVS. SACRAVIT., quod eſt Artificis nomen, qui mihi, comparatione facta, aliquot etiam Sixti Numos cudiſſe videtur. Alter fuit Ferdinandus Rex Neapolis, qui Romam venit ad annum MCDLXXV. VIII. Idus Januarias, ut notat Stephanus Infiſſura, animo Jubileum lucrandi.

Reginæ verò fuerunt, I. Carlotta Cypridos Regina, a Fratre illegitimo Regno ejecta; erga quam a Prædeceſſoris temporibus Romæ commorantem, Pontifex liberalitatis, & paternæ charitatis ſpecimen præbuit. II. Catharina Boſniæ Regina, Thomæ Regis vidua, quæ Romæ obiit, & in Eccleſia S. Mariæ in Ara-Cœli [b] ſepulta eſt. III. Ferdinandi Regis Neapolitani uxor. Excepit etiam Sixtus Andream Palæologum, & Peloponneſii Deſpotam. Omnium meminit *Volaterranus* [c], dicens: *Miſeros, atque a Turcis ejectos Principes, Boſniæ, Cyprique Reginas, præterea Andream Palæologum Peloponneſi, & Leonardum Toccum Epiri Deſpotas aluit, Saxoniæ Ducem, Chriſtiernum Daciæ, deinde Sveciæ, noviſſime Ferdinandum Siciliæ Reges Apoſtolorum limina ſalutatum venientes, magnificentiſſimè excepit.*

Victoris Camelii hujus Numiſmatis fuſoris, artificiſque iis temporibus diligentiſſimi, præter nomen, nulla fere habetur cognitio. Effigiem quidem ſui a ſe ipſo in Numiſmate expreſſam habemus, unde dignoſcitur, vixiſſe uſque ad principium XVI. Sæculi, quum circa eam legatur: VICTOR. CAMELIVS. SVI. IPSIVS. EFFIGIATOR. MDVIII. In poſtica viſitur Sacrificium ad antiquos

 Nu-

a *Jo. Meurſius Hiſt. Danica lib* 2. *pag.* 8. *editionis Amſt.* 1638.
b *Caſimir. da Roma Notiz. della Chieſa d'Arac. in quarto* 1740. *apud Bernabò*.
c *Volater. MS. Vatic. ſig. num.* 149. *&* 3.

Digitized by Google

Numos efformatum cum : FAVE . FOR. SACRIF. Haud ſcio, an hic *Victor Camelius* idem ſit, ac *Victor Gambellus* (paucarum litterarum immutatione) Æneæ Vico memoratus, qui illum inter excellentes ſuo ſæculo artifices numerat, ob imitationem antiquorum Numiſmatum Romanorum Imperatorum [a]. Hunc *Molinetius* primum inciđiſſe Numiſmatum typos aſſerit [b].

VI.

9. SIXTVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies ſimilis numero I.*

PARCERE. SVBIECTIS. ET. DEBELLARE. SVPERBOS. SIXTE. POTES. — CONSTANTIA. *Mulier lævam ſupra columnam tenens, & dextra arripiens haſtam; variis armis circumdata.* [4]

Numi epigraphe ſumta eſt ex lib. VI. Æneid. Sixtus certè pluries ſui animi robur, & conſtantiam in Sedis Apoſtolicæ juribus vindicandis demoſtravit; ideo bellum movit Reipubl. Florentinæ, cum qua fœdus inierant Veneta Reſpublica, & Dux Mediolanenſis. Poſt anno MCDLXXXII. Ferdinandum Siciliæ Regem expertus eſt hoſtem, qui in eum Columnenſes, & Sabellos incitavit; Romamque Calabriæ Ducem cum exercitu miſit, qui, expugnata *Tarracina*, Civitate Lanuvina capta, præcluſa ad commeatus per Tiberim Romam inferendos Viâ, Pontificis animum non valuit frangere, donec in ejus auxilium Robertus Malateſta a Venetis conductus venit, qui cum hoſtibus in *Campo mortuo* prope Veliternas congreſſus, eos effregit. Tunc Pontifex, qui victor bellum proſequi commodè, immo ſuo maximo fructu poterat, Pacem donavit *Ferdinando* Regi, eam expetenti; & in memoriam hujuſce rei, Templum in Sanctiſſimæ Virginis *de Pace* honorem excitavit [c].

VII.

7. SIXTVS. IIII. PONT. MAX. VRB. REST. *Effigies Pontificis, ut in numero I. viſitur.*

IVL. CARD. NEPOS. IN. OSTIO. TIBERINO. *Arcis cum Turribus proſpectus.* [4]

Julianus Cardinalis *Roboreus Sixti IV.* nepos, qui poſtea Pontificatum etiam

a *Enea Vic. Diſcor. lib. I. cap. 23. pag. 67. edit. Ven. 1555.*
b *In Praf. ad Hiſt. Pontif. per Numiſ.*
c *Raynald. Annal. tom. XIX. ad ann. 1482. num. I. fol. 119. Borgia Hiſt. di Vellet. pag. 377.*

etiam est adeptus nomine *Julii II.*, prope ostia Tiberina, ubi Claudius Portum magnificum construxerat, Arcem ita eorum temporum more munitam excitavit, ut sub Alexandro VI. Pontificis iram veritus, Româ per flumen habitu mentito in hanc arcem se receperit, unde, postquam illam ab expugnatione tutam reddidit, in Galliam transfretavit. Arcem tamen non multo post amissam, Carolus VIII. Galliæ Rex, quum Regnum Neapolitanum recuperatum venit, recepit anno MCDXCV [a]. Alexander Pontifex post duos annos, a bello in Ursinos liber, arcem oppugnatum suum exercitum misit cum Hispanis ductis a Consalvo Cordubensi, dicto *Magno Duce*; ab hoc obsidione Arx pressa, tormentorum bellicorum adspectu, pactionem fecit; ideoque Consalvus Romam triumphans ingressus est [b].

VIII.

SIXTVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, ut numero VI. cum Tiara.* 6.

CITA. APERITIO. BREVES. AETERNAT. DIES. *Pontifex, qui solemniter Portam Sanctam reserat, cum duobus Angelis supra, circumque multis Episcopis, & aliquot Peregrinantibus genuflexis.* [4]

IX.

SIXTVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 5.

GLORIOSA. DICTA. SVNT. DE. TE. CIVITAS. DEI. *Pontifex Portam Sanctam reserans.* [4]

X.

SIXTVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 10.

ANNO. IVBIL. — ALMA. ROMA. 1475. *Porta Sancta.* [4]

XI.

SIXTVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies cum Tiara, & pluviali.* 11.

CONSTITVIT. EVM. DOMINVM. DOMVS. SVAE. *Inferius verò:* ROMA. *Porta Sancta.* [4]

Quatuor hæc Numismata sunt noviter cusa. In primo verba indicant Constitutionem a Sixto IV. anno MCDLXXII. [c] publicatam ad confir-

a *Guicciard. lib. pag. 50. edit. Ven. 1640.*
b *Lib. 3. pag. 93.*
c *Cherub. Bullar. t. I. pag. 44.*

Digitized by Google

firmandam Pauli II. Constitutionem, qui, ut supra dictum est, Jubileum ad singulos XXV. annos indixerat. Altera annum indicant Jubilei MCDLXXV. a Sixto IV. celebrati. Epigraphes indicant curam *Sixti* in suam Urbem, & populum, pro qua merito *Restitutor Urbis*, dictus fuit. Apud *Scillam* [a] Numus argenteus ad hanc rem adducitur, in quo legitur: SIXTVS. IIII. V. REST. Siglas iterpretantur, *vrbs* REST*ituta*; ego potius, quia posteriora verba punctis expressa id permittunt, *vrbis* REST*itutor*, legerem.



Johan-

a *Scilla delle Monet. Pontif. pag.* 25.



J*Ohannes Baptiſta Cybo* Cardinalis S. Cæciliæ, Januenſis, Pontifex inauguratus fuit IV. Kal. Septembres anni MCDLXXXIV., ſub Innocentii VIII. nomine, obiit VIII. Kal. Sextil. anni MCDXCII., ſepultus in Baſilica Vaticana, in monumento perpulchro cum ſtatuis æneis, & hoc epitaphio.

INNOCENTIVS. VIII. CYBO. IANVENSIS. P. O. M.
VIXIT. AN. VII. M. X. DIES. XXV.
OBIIT. ANNO. D. MCDXCII.

In novam Baſilicam tranſlato ſepulchro, nova etiam inſcriptio appoſita fuit, videlicet:

INNOCENTIO. VIII. CYBO. ITALICAE. PACIS. PERPETVO. CVSTODI. NOVI. ORBIS. SVO. AEVO. INVENTI. GLORIA. REGI. HISPANIARVM. CATHOLICI NOMINE. IMPOSITO. CRVCIS. SACROSANCTAE. RE-

PER-

Digitized by Google

PERTO. TITVLO. LANCEA. QVAE. CHRISTI. HAVSIT. LATVS. A. BAIAZETE. TVRCARVM. TYRANNO DONO. MISSA. AETERNVM. INSIGNE. MONVMENTVM E. VETERI. BASILICA. HVC. TRANSLATVM. ALBERICVS. CYBO. PRIMVS. MASSE. FERENTILLI. DVX MARCHIO. CAPRARIAE. PRONEPOS. ORNATIVS AVGVSTIVSQVE. POSVIT. MDCXXI.

I.

INNOCENTIVS. VIII. PONT. MAX. *Effigies cum Tiara, & pluviali.*

Insignia Gentis Cyboæ, *fascia oblique ducta, cubisque albis cæruleisque distincta, & superne crux.* [4]

II.

INNOCENTIVS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero I.*

Pontificis Insignia. [4]

III.

INNOCENTII. IANVENSIS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali.*

INGRESSVS. SVM. IN. INNOCENTIA. MEA. *Pontificis Insignia.* [4]

IV.

1.2. INNOCENTIVS. VIII. PONT. MAX. *Effigies cum Tiara.*

ANNO. DOMINI. MCDLXXXIV. *Pontificis Insignia.* [4]

Hoc Numisma novissimè cusum est; cætera antiqua, & fusa. De antiqua, & nobilissima Gente Cyborum tractant Sansovinus[a], & alii.

V.

INNOCENTII. IANVENSIS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

IVSTITIA. PAX. COPIA. *Tres Mulieres, Justitia libram tenens læva, Pax in medio cum Olivæ ramo, & cornucopiæ, & Copia cum altero cornucopiæ.* [3]

Innocentius natura Pacis studiosissimus, & Amore erga Subditos præclarus exstitit. His ut pacem pararet, & rerum copiam, bella studuit componere, quæ invitus susceperat, teste Volaterrano, qui[b]: *Innocen-*

a *Sansov. delle Famigl. d'Ital pag. 101.*
b *Volaterran. Anthrop. lib. XXII. pag. 510.*

centius, inquit, *ad pacis studia conversus, nihil potius habuit, quam Urbis quieti, copiæque studere: Quapropter ejus toto tempore, & Urbis amantissimus fuit, & Urbs a crassatoribus, latrociniisque tuta cum esset, in vindicandis sceleribus inexorabilis*. Simile Numisma repertum fuit in sepulchro hujus Pontificis, quum reseraretur nonis Septembr. anni MDCVI., in novam Basilicam Divi Petri transferendum [a]. Artifex certè optimus illud fudit, fortasse Antonius Pollarolus, qui ab hoc Pontifice Romam fuit accersitus.

VI.

INNOCENTIVS. VIII. PONT. MAX. *Effigies cum Tiara, & pluviali*. 3.


ECCE. SIC. BENEDICETVR. HOMO — ROMA. *Vir genibus flexis ante Pontificem, qui supra Thronum duobus stipatus Cardinalibus sedet*. [3]

Hoc Numisma est novissimè cusum. Repræsentat Zemem, vel Zizimum Mahomethis Secundi Turcharum Imperatoris, duorum Imperiorum, & plurium Regnorum subactoris, filium. Mahomethe mortuo, successit ei Primogenitus Bajazethes Secundus; Zizimus, qui exercitum in Syria adversus Sultanum ducebat, cum eodem in Asiam minorem perrexit, Bithiniamque occupavit, eo consilio, ut Asiâ potiretur, Fratri Europa relicta. Bajazethes opposuit illi Acomathem *Bassam*, sive Ducem, qui cum Zizimo congressus apud Prusiam, ejus exercitum fudit. Princeps a Sultano exceptus, sui exercitus reliquias Copiis Caramaniæ Principis adjunxit. At secundò victus anno MCDLXXXII. omni spe excidens Rhodum transfretavit, ubi a Religionis S. Johannis Magno Magistro exceptus fuit; inde Galliam petiit, & in Alvernia mansionem elegit. Interim Magnus Magister Petrus Dalbussonius illum Pontifici Innocentio, qui fœdus Christianorum Principum in Turchas curabat, tradidit. Romam Zizimus nono Kal. April. anni MCDLXXXIX. pervenit, ibique, ut a Bosio [b] fuse narratur, magnificentissimè habitus, permansit usque ad Alexandri VI. Pontificatum, a quo traditus fuit Carolo VIII. Galliæ Regi, dum Neapolitanum Regnum subactum ibat, data ab eo mare transvehendi, bellumque Bajazethi inferendi, haud levi spe. Zizimus verò Capuæ in itinere obiit anno MCDVC.

F Ele-

a *Torrig. Sag. Grott. Vatic. pag. 214.*
b *Istor. della Relig. di Malta part. 2. lib. 14.*

Digitized by Google



ELectus fuit Pontifex Cardinalis *Rodericus Borgia* v.Idus Sextiles anni MCDXCII. Nomen ſumſit *Alexandri VI.*, &, mortuus XIV. Kal, Septembres anni MDIII., ſepultus eſt in Baſilica Vaticana, unde cum Calixto III. avunculo translatus fuit ad S. Mariæ de Monte-ſerrato Eccleſiam, ut ſupra diximus.

I.

2. ALESSANDRO. VI. PONT. MAX. *Effigies Pontificis capite nudo, & pluviali elegantiſſimo.*

RODERICO. LENZVOLA. D. BORGIA. S. P. MCDXCII. *Stemmatis area in duas partes diviſa, in dextera Bos viſitur, lævam tres faſciæ tranſverſæ ſecant.* [3]

Rodericus Borgia Valentiæ, Patre Goffredo Lenzolio, Matre Iſabella Borgia Calixti III. Sorore, ortus eſt; cognomine Patris relicto, Matris cognomen accepit, propriiſque Inſigniis bovem addidit. Hoc Numiſma eſt poſterioribus temporibus cuſum.

II.

II.

ALEXANDER. VI. PONT. MAX. *Caput Pontificis nudum, cum pluviali.* 5.

OB. SAPIENTIAM. CVM. FORTVNA. CONIVNCTAM. *Bos; & in aere Genius alatus, qui pannum usque ad terram extendit, quod est instar veli tumidum.* [3]

Artifex hujus fusi Numismatis ostendit, Alexandrum maximos honores esse assequutum ob Sapientiam Fortunæ conjunctam. Non idem tamen sentit Raphael Volaterranus [a], qui sic in suis Diariis tunc temporis scribebat: *Vir est ingenii ad quæcumque versatilis, & animi magni, sermo ei promptus est, & in mediocri litteratura est callidus, sed ante omnia miræ ad res tractandas industriæ.*

III.

ALEXANDER. VI. PONT. MAX. *Effigies cum Tiara, & pluviali.* 3.

CORONAT. *Pontifex coram multo Populo a duobus Cardinalibus Tiara redimitus.* [3]

In Basilica Vaticana Alexandrum VI., VII. Kal. Septembres fuisse coronatum, refert Stephanus Infissura, qui cæremoniam spectavit. Hic Auctor, quem præteritis annis Johannes Georgius *Ekardus* edidit, sed multis lacunis, & erroribus scatentem, sic ait: *Die* XXVI. *Augusti coronatus fuit Alexander VI. in S. Petro, deinde, prout de more, accessit ad Ecclesiam S. Joannis Lateranensis, cui per Urbem factus fuit maximus honor, multi Arcus Triumphales, & magis quam nunquam* (lege *unquam*) *aliis Pontificibus factum fuit, per Romanum Populum potissimè.*

Hoc Numisma optimè fusum, opus mihi videtur Antonii Pollaroli, qui Romam, ut diximus, ab Innocentio VIII. accitus, multis ibi Pontificum Numismatibus, referente Vasario [b], fusis, ad annum vixit MCDXCVIII. ut eruitur ab epitaphio sui monumenti in S. Petri in Vincula Ecclesia siti [c].

IV.

ALEXANDER. VI. PONT. MAX. IVST. PACISQ. CVLTOR. 6. *Caput nudatum, cum pluviali parvis iconibus ornato.*

ARCEM. IN. MOLE. DIVI. HADR. INSTAVR. FOSS. AC.

F 2 PRO-

a *MSS. in Bibliotb. Vatic. jam citat.*
b *Vasar. Vite de' Pittori tom. 1. part. 2. pag. 169.*
c *Martinelli Rom. Sag. pag. 185. secunda edit.*

Digitized by Google

PROPVGNACVLIS. MVN. *Arx S. Angeli cum munimentis, & supra eam Angelus*. [3]

Sepulchrum, quod sibi Hadrianus Imperator ædificavit, Romanis Asylum, & Arx fuit tempore Gothorum, quos frustra signorum, & columnarum fragmentis in eos injectis fugare conati sunt, nam paulo post Vitiges Rex Româ, & Arce potitus est [a]. S. Angeli nomen Arci impositum fuit ob apparitionem S. Michaelis Archangeli, qui, ut ferunt, in summitate ejus, ensem in vaginam reponere visus est S. Gregorio Papæ, qui solemnibus litaniis ad Basilicam Vaticanam pergebat Deum placaturus, quum populus pestifera lue affligeretur [b]. Variis temporibus hæc moles a Pontificibus novis munimentis fuit adaucta, novissimè Alexander VI. veteribus saxis nova mœnia superimposuit, ædesque addidit: Turrim Portæ imminentem, quæ aditum muniret, & Pontem, ædificavit, quatuor propugnacula ad arcis latera pridem extructa latiori fossa circumsepsit. Totum opus ab Antonio Sangallo celebri iis temporibus Architecto [c], anno MCDXCVII. absolutum est, ut legitur in epigraphe adscripta.

V.

6. ALEXANDER. VI. PONT. MAX. *Pontificis effigies nudato capite, & pluviali iconibus ornato*.

RESERAVIT. ET. CLAVSIT. AN. IVB. MD. *Pontifex in medio Cardinalium, & Episcoporum, primum lapidem, Portam Sanctam clausurus, imponens*. [4]

Alexander VI. primus fuit inter Pontifices, qui anno Jubilei solemniter Portam auream, vel Sanctam Basilicæ Vaticanæ claudi jusserit, per Constitutionem Phœbæo [d] memoratam. Hanc Portam Pontifex a Johanne Burcardo a cæremoniis [e], qui illam multis ornatibus decoraverat, reserari jusserat. Eadem hæc Porta [f] integra sub Paulo V. in novam Basilicam translata fuit. Bullatam postea Alexander dedit Constitutionem, in qua per semetipsum memoratam Portam clausurum admonebat: At podagra laborans, quum id per se ipsum agere non posset, per Cardinales Consentinum, & Mutinensem peragi curavit [g].

Pius

a *Procop. de Bello Goth. lib. 1. cap. 3.*

b *De hac Mole Dissertationem scripsit Abbas Franciscus Valesius Romanus claræ memoriæ, quæ a SSmo D. N.* BENEDICTO XIV. *mss. servatur. Anaglyphum antiquum marmoreum videre est in Ecclesia in Monte Cœlio ad honorem D. Gregorii exstructa, Mausoleum cum Angelo, ac D. Gregorio repræsentans.*

c *Vasar. tom. 1. part. 3. pag. 50.*

d *Phœb. de Ann. Jub. part. 2. cap. 8. pag. 141.*

e *Diar. MSS. in Biblioth. Vatic.*

f *Panciról. Rom. Sag. pag. 25.*

g *Phœb. par. 2. cap. 8. pag. 149.*

Digitized by Google



PIus hic Laudomiæ Todeſchinæ Pii II. ſororis filius, Genti Piccolomineæ adoptatus, ad Pontificatum maximum adſcendit x. Kal. Octobres anni MDIII. ſed brevi e vita exceſſit xv. Kal. Novembres ejuſdem anni; ſepultus eſt in Baſilica Vaticana, indeque a Cardinali Montalto in Eccleſiam S. Andreæ a Valle translatus, & e conſpectu Pii II. cum ſequenti epigraphe collocatus.

PIO . III. PONT. MAX. PII. II. NEPOTI . CVNCTIS VIRTVTIBVS. ORNATISSIMO. POST. LEGATIONES VRBIS . PICENI . GALLIAE . ATQVE. GERMANIAE INTEGERRIME. OBITAS . AD. SVMMVM. PONTIF. EVECTO. VI. ET. XX. DIE, PVBLICO. OMNIVM. LVCTV. VI. MORTIS. ABREPTO . IACOBVS . ET. ANDREAS. FRATRI. SANCTIS. POS. VIXIT. ANN. LXIII. M. V. D. X. OBIIT. ANN. SAL. MDIII. XV. KAL. NOV.

I.

1. 2. PIVS. III. PONT. MAX. MDIII. *Effigies Pontificis nudo capite, cum pluviali Spiritu Sancto, & Angelicis capitibus ornato.*

GLORIA. SENENSI. D. C. PICOLOMINI. *Pontificis Insignia, ut in Pio II.* [3]

II.

3. PIVS. III. PONT. MAX. *Effigies Papæ, ut supra.*

Insignia domus Piccolomineæ intra lauream coronam. [3]

Quia Pius paucos vixit dies, Numismata nulla ejus tempore fuerunt fusa, & eorum, quæ a me sunt relata, unum est fusum a persona fortasse privata, alterum noviter cusum. Fuit Pius III. adoptatus ab altero Pio Pontifice, suæ matris Laudomiæ Nannio Tedeschino Viro Senis opulento conjunctæ, Fratre.

III.

4. PIVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

SVB. VMBRA. ALARVM. TVARVM. MDIII. *Vir thorace amictus genibus flexis ante Pontificem super Throno sedentem, duobus Cardinalibus hinc, & inde adstantibus.* [4]

In hoc Numismate exprimitur Cæsar Borgia Dux Valentini, qui post exaltationem Pii Romam reversus, Pontifici se subdidit [a]; & ab Ursinis, suis hostibus, in Civitate Leonina obsessus, præ timore in Palatium Vaticanum aufugit, indeque in Arcem S. Angeli. Sannazarius, qui tunc vivebat, hoc perpulchrum Epigramma de hac re, ludens super Insigniis Borgiarum, composuit [b].

Qui modo prostratos jactarat cornibus Ursos,
In latebras Taurus concitus ecce fugit:
Nec latebras putat esse satis sibi, Tybride toto
Cingitur, & notis vix bene fidit aquis.

Sic

a Guicciard. Hist. lib. VI. pag. 164. Ven. 1640.
b Actii Sinc. Sannaz. Epigr. lib. I. pag. mihi 143.



Sic denominari voluit *Julianus* Cardinalis a *Ruvere*, Sixti IV. Nepos, quum primùm Pontifex Kal. Novembribus anni MDIII. electus est. Pontificatum tenuit ad IX. Kal. Martias anni MDXIII., quo obiit, sepultusque est in Divi Petri Basilica, licet nobilissimum ei exstructum fuerit a Michaele Angelo Bonarrotio Architecto, monumentum in Ecclesia S. Petri ad Vincula.

I.

IVLIVS. LIGVR. PAPA. SECVNDVS. *Pontificis Effigies capite nudo cum pluviali arabice contexto.* 1. 2.

ETSI. ANNOSA. GERMINAT. *Quercus Pontificis gentilitia.* [4]
Hoc, & Sixti IV. Numisma idem emblema habent in postica parte; utrumque verò recenter est cusum.

II.

IVLIVS. LIGVR. PAPA. SECVNDVS. *Effigies, ut numero I.* 3.

BENEDICT. QVI. VENIT. IN. NO. D. *Pontificis Insignia.* [4]

For-

Formæ, five typi ad Numos cudendos jam erant inventi, auctore Andrea Cremonensi, ut refert *Molinetius* [a], cadente sæculo xv. Julii Pontificatu verò artibus ingenuis, Picturæ, Sculpturæ, & Architecturæ, Raphaelis Urbinatis, & Michaelis Angeli Bonarotii ars, & ingenium summam dederant, quâ nil superius sperari posset; nihil igitur mirum, si Julii Numismata ut plurimum affabre sunt delineata, & efformata.

Numus hic fusus est quum Julius Bononiam perrexit, Populoque adclamante ingressus est IV. Idus Novembres anni MDVI. Quum Astrologi Pontificem ab eo ingressu deterrerent, quasi ille dies esset nefastus, juxta eorum vanam scientiam, eos *Julius* irridens [b], *sprevit, ac detestatus est, illud Christianum elogium præfatus, videlicet: In nomine Domini procedamus, & ingrediamur*, referente Paride de Grassis Cæremoniis Præfecto, cujus Diaria MSS. in Archivo Vaticano, & apographa nonnulla in variis Romanis Bibliothecis adservantur.

Hujus formæ fortasse fuerunt Numismata, quæ Pontifex x. Kal. Martias insequentis anni in fundamentis jecit arcis, quam in illa urbe construere meditabatur.

III.

16. IVLIVS. LIGVR. PAPA. SECVNDVS. *Caput Pontificis nudatum; cum Spiritu Sancto in pluviali adposito.*

VIA. IVL. III. ADIT. LON. M. ALT. LXX., *in exergo*: VATICANVS. MONS. *Duo ædificia super duobus collibus medio interjecto muro conjuncta.* [3]

Ut duplex Palatium Pontificium ope duorum ambulacrorum conjungeret, sicque ex duobus Palatiis super totidem Vaticani Montis collibus ita constitutis, ut inter utrumque vallis jaceret (in qua impluvium, quod *Belvedere* appellant) unum fieret, usus est Pontifex Julius anno MDIII. Bramantis opera, qui duo memorata ambulacra architectatus est: *In ima vallis parte*, inquit Vasarius [c], *duorum ordinum altitudine xystum Doricum composuit parastatis tyburtinis ornatum; supra quem alterum ordinem Jonicum fenestratum, ita ut æquare primum Pontificiarum Ædium ordinem, & Pomarium, dictum* Belvedere; *ubi eò pervenit, xystum* cccc. *pas-*

a *Hist. Pontif. per Numism. in Præf.*
b *Ghirardac. Istor. di Bolog.*
c *Vit. de' Pittor. par. 3. p. 55.*

passus in longum excedentem constituit Romam versus, alterumque similiter nemus respicientem: hi xysti vallem claudunt; sic enim Vasarii verba latine sonant. Longitudo M. pedum in Numi epigraphe adnotata respondet xystis cccc. passuum Vasario memoratis, ad quos triplex aditus ferebat, si τὸ III. ADIT. per *trium adituum* legimus. In magni ambulacri Romam respicientis restituti, coopertique anno MDCXXXIII. ab Urbano VIII.[a] corona magnis literis sic legitur.

IVLIVS. II. PONT. MAX. LIGVRVM. SEXTVS. PATRIA SAONENSIS. SIXTI. QVARTI. NEPOS. VIAM. HANC STRVXIT. PONTIFICVM. COMODITATI.

IV.

IVLIVS. LIGVR. PAPA. SECVNDVS. *Effigies, ut supra*. 5.

IVSTITIAE. PACIS. FIDEIQVE. RECVPERATORI. *Duæ mulieres, quæ se amplexibus excipiunt; in medio Ara cum igne: quæ est a dextris ramum habet olivæ, quæ a sinistris navis gubernaculum, & pede globum premit*. [4]

Vix dum Julius ad Pontificatum evectus, paci stabiliendæ inter Ludovicum XII. Galliæ Regem, & Ferdinandum Regem Aragoniæ incubuit, missis per eum ad Regem Gallum Archiepiscopo Thebarum Carolo e Carretto, & ad Hispanum Cosma Aretino Episcopo; eo tandem mediatore induciæ Februario mense anni MDIV. ad tres annos hos inter Reges pactæ fuerunt[b].

V.

IVLIVS. LIGVR. PAPA. II. MCCCCCV. *Pontificis effigies cum camaleucio sine stola*.

TEMPLI. PETRI. INSTAVRATIO. MCCCCCV. *Prospectus exterior Templi Vaticani, ut tunc Bramantes illud delineaverat*. [2. 4.]

VI.

IVLIVS. LIGVR. PAPA. II. MCCCCCV. *Effigies cum camaleucio, & pluviali nonnullis figuris adpositis ornato*. 8.

TEMPLI. VATICANI. INSTAVRATIO — VATICANVS. MONS. *Idem Prospectus*. [2. 4.]

Basilica Vaticana in honorem Divi Petri Deo dicata, jampridem constructa, quum temporis vetustate collaberetur[c], Nicolaus V. renovare eam in animum habuit, sed morte præventus, non perfecit. Perfecit quidem Julius II., vir excelso præditus ingenio, qui opus demanda-

G

a *Torrig. Sag. Grott. Vatic. pag. 147.*
b *Raynald. Annal. Eccles. ad an. 1505. num. 11. tom. XX.*
c *Vide Bonann. in Histor. Templ. Vatic. Eques Carolus Fontana &c.*

Digitized by Google

davit Lazaro Bramanti [a]. Hic post multas delineationes, illam tandem, quæ adhuc in Numismatibus Leonis X. visitur [b], fecit. Est hæc ad similitudinem Crucis Græcæ cum maximo Tholo inter duas Turres, quæ in prospectu conspiciuntur. Juxta hanc delineationem operi manus imposita est, & Ecclesiæ veteris parte dimidia dejecta, lapidem primum XIV. Kal. Majas anni MDVI. Pontifex posuit. Præsens Numisma, ut & tria alia Julii II. percussit Caradossius, in cudendis formis Artifex eximius, ut Vasarius [c] testatur. Calybem unius vidimus fractum apud Hameranos.

VII.

10. IVLIVS. LIGVR. PAPA. II. *Caput nudum cum pluviali arabicè contexto.*

ANNONA. PONTIFICIA. *Mulier ambulans, & dextera in altum attollens aliquot spicas, læva verò cornu tenens copiæ.* [3]

Licet bello aliquatenus Julius Pontifex distractus, sedula tamen opera subditorum felicitati incubuit, providens, ne Roma fame premeretur, frumento in eam terra, marique invecto. Fames fuit an. MDV. ut ex Blasii Bonaccursii [d] Diariis elicimus, qui sic loquitur: *Fu in questo tempo la Città (di Firenze) affamata assai dalla carestia, la quale fu universale, e quasi per tutto il Mondo, ne in Lombardia, ne in Romagna, ne in Campagna di Roma si ritrovava grano, se non con grandissima difficoltà.* Hoc est: *Hoc tempore urbs Florentia, multum fame laboravit, quæ fuit pene universalis in toto Orbe; atque in Insubria, Romandiola, ac Latio, frumentum nonnisi magno labore, comparabatur.* Eodem anno simili emblemate cusus est Denarius, in quo intra Quernam Coronam, ad instar Civicæ Veterum, sic legitur: ROMA. SEDITIONIBVS. FAMEQVE. LIBERATA [e].

VIII.

7. IVLIVS. LIGVR. PAPA. II. MDVI. *Pontificis effigies, ut in præcedentibus.*

CONTRA. STIMVLVM. NE. CALCITRES. *Eques, qui Angelum inter nubes adspiciens, terrore perculsus, deorsum decidit, scutoque in terram lapso, oculos dextra tuetur: Duo Pedites fugæ se accingunt: Et in solo mulier se erigens.* [3]

Hoc numisma optimè, primùmque cusum delineatum credo a Raphaele

a *Vasar. Vite de' Pittor. part. 3.*
b *Vide Scillam, Mon. Pontif.*
c *Vite de' Pitt. par. 3. vol. 2. pag. 37. edit. Bonon.*
d *Pag. 103.*
e *Scilla Notiz. delle Mon. Pont. pag. 28.*

Digitized by Google

le Urbinate; Johannes *Luchius* ſæculo præterito ineunte typis illud mandavit [a], exiſtimans, in eo bellum a Julio II. in Alphonſum Ferrariæ Ducem geſtum deſignari: Idem ſentiunt Bonannius [b], & Molinetius [c]. At quî fieri id poterit, quum in Numiſmate annus, quo cuſum eſt, MDVI., ipſo Bonannio adſerente, exprimatur, & bellum in Ferrariæ Ducem, nonniſi anno MDXI. peractum ſit? Exprimet potius bellum Bononienſe. Cuique notum, Pontificem iſthoc anno ſuas copias miſiſſe Bononiam verſus [d], & indixiſſe Johanni *de Bentivolis*, ut ea Urbe, qua multos annos fuerat potitus, excederet; hunc copias paraſſe, ut Pontifici reſiſteret; ſed Ciamontis Gallorum Ducis adventu cognito, quod ſe imparem Pontificiis, ac Gallicis copiis agnoſceret, Bononiâ exceſſiſſe [e]. Verba in Numo expreſſa ſunt ea, quibus Deus Saulum, ne Eccleſiam perſequeretur, prohibuit, & mulier, quæ ſe erigit, Bononiam a Tyranno liberatam deſignat.

IX.

IVLIVS. LIGVR. PAPA. SECVNDVS. MCCCCCVI. *Caput nudatum Pontificis cum pluviali, in quo* IV. *figuræ delineatæ viſuntur.*

PASCITE. QVI. IN. VOBIS. EST. GREGEM. DEI. *Redemtor ſedens, & inferius aliquantulum S. Petrus, qui claves porrigit Pontifici ante illum genuflexo.* [3. 4.]

Oſtendit hoc cuſum Numiſma, quamvis apocryphum, quum pars poſtica ad alios pertineat Pontifices, Julii II. ad Pontificatum electionem unanimi Cardinalium conſenſu factam: Nam quum Conclave ingreſſus eſſet [f], (res quidem antehac inaudita,) nocte eadem, ne clauſo quidem Conclavi, pridie Kal. Novembres, Duce Valentino tantùm id ægrè patiente, ad Pontificatum eſt aſſumtus. Duo diverſimode in antica cuſa Numiſmata vidimus.

X.

IVLIVS. LIGVR. PAPA. SECVNDVS. *Effigies Pontificis, ut numero I., cum Inſigniis in* rationali. 17.

PORTVS. CENTVMCELLAE. *Proſpectus Arcis Centumcellarum.* [4. 5.]

G 2 XI.

a *Sylleg. Numiſ. elegant. pag.* 21.
b *Hiſt. Pont. per Num. pag.* 32.
c *Num. Pont. tom.* 1. *pag.* 146. *& ad calcem tom.* 2. *pag.* 844.
d *Guicciardin. lib.* VII. *pag.* 189.
e *Arnold. Ferrar. in Vita Lud. XII.*
f *Guicciard. Hiſt. lib.* VI. *pag.* 65. *Panvin. poſt Plat. fol.* 274.

XI.

15. IVLII. II. ARCIS. FVNDAT. *Caput Pontificis nudatum, cum arabici operis pluviali.*

CIVITA VECCHIA. *Postica eadem, ac numero præcedenti.* [5]
Hæc Numismata sunt ambo percussa, secundum vero in minori modulo, quam primum. Ab incursionibus Pyratarum oræ Africanæ, ditionem Ecclesiæ tutaturus ædificavit Julius Pontifex Arcem Centumcellarum: Ipsemet illuc se conferens, attestante Paride de Grassis cæremoniis Præfecto [a], primum lapidem posuit, in quo scriptum erat: IVLIVS. SECVNDVS. PONTIFEX. MAXIMVS. ARCEM. CENTVMCELLENSEM. PORTVS. ET. VRBIS. COMODITATI. CONDIDIT. ANNO. MDVIII. [b] Jecit ibi in fundamenta, ut refert memoratus Paris de Grassis, multa Numismata secundæ formæ.

XII.

18. IVLIVS. II. PONT. MAX. *Pontifex sedens cum Camaleucio, & brevi pallio.*

POST. TENEBRAS. LVCEM. *Turris in summitate montis posita, supra quam Sol nubibus circumdatus.* [4]
Luchius hoc adducit Numisma, quod cusum putat post initum fœdus Cambracense. Hoc secretò Pontificem inter, Imperatorem Maximilianum, Regem Galliæ Ludovicum, & Ferdinandum Hispaniæ procuratum est. Emblema sumtum est ex Jobi cap. XVII. [c] *Post tenebras spero lucem*; & utpote multas recipiens significationes, non determinat certum tempus, quo Numisma est cusum, nec causam, qua cusum.

XIII.

9. IVLIVS. LIGVR. PAPA. SECVNDVS. *Effigies Pontificis nudo capite, cum pluviali arabicè texto, & figura in rationali.*

TEMPLVM. VIRG. LAVRETI. MDVIIII. *Templi Frons.* [5]
Ob devotionem erga Virginem Deiparentem Julius II. ornavit, muniitque, architecto Bramante [d], Ecclesiam Lauretanam, in qua pie colitur domus Virginis Nazarena. Tursellinus [e] narrat oppugnationi Mirandulanæ incumbentem Pontificem divinitus grave periculum evasisse, quippe qui, domo, quam incolebat, tormentariâ pilâ per-

a *In Diar. MSS.*
b *Vasar. Vita di Michelangelo par. 3.*
c *Ver. 12.*
d *Vasar. Vit. de' Pit. p. 3. Manni de Sigill. tom. 7. pag. 33.*
e *Torsell. Hist. della S. Casa lib. 2. cap. 11. Martorelli Histor. di Loreto tom. II. edit. 1735.*

percuſsâ, incolumis ſervatus ſit; quare in rei memoriam in Lauretano Sanctuario eam pilam ſuſpendi mandaſſe.

XIV.

IVLIVS . LIGVR . PAPA . SECVNDVS. *Effigies Pontificis nudo capite, cum pluviali arabicè contexto, ut ſupra.* 4.

OSCVLATAE . SVNT. *Pax manu lauri ramum tenens, a dextris verò Juſtitia, cum libra, & cornucopiæ, ambo manibus ſeſe amplexantes.* [5]

Poſtquam plura ſæcula urbem Romam duæ factiones, Urſinorum, & Columnenſium, quibus cæteræ familiæ illuſtriores adhærentes, ad ſuas partes populum ſtudebant adducere, vexaverant, tandem Julio II. Pontifice pax inter utramque compoſita eſt, ſolemniterque in Capitolio VI. Kal. Septembres anni MDXI. firmata, rogato inſtrumento a Simeone Antonio Peroto Capitolino Tabellione, quod ſucceſſor Dominicus Tullius publicum fecit: Chartam non ita pridem typis mandavit Clariſs., dum vivebat, noſtrique amantiſſimus Abbas Benedictus Floravantes [a]. Inita ea fuit concordia tanta Pontificis lætitia, ut Numo eo anno cuſo a celebri Caradoſſio, in rei memoriam inſcribendum curaverit in ejus poſtica parte circum ſua Inſignia: PAX . ROMANA [b]. Urſini etiam Numiſma hac occaſione cuderunt.

XV.

IVLIVS . LIGVR . PAPA . SECVNDVS. *Effigies, ut numero I.* 20.

MODICAE . FIDEI . QVARE . DVBITASTI. *Jeſus Chriſtus, qui S. Petrum jam fluctuantem erigit, & e longinquo navicula cum Apoſtolis, in qua:* D. ADIVVA . NOS. [4]

R. P. *Bonannius* hoc quamvis apocryphum in poſtica Numiſma recenſens non explicavit. Mihi quidem eo Matthæi [c] loco Pontifex ſignificaſſe videtur, Deum in maximis Apoſtolicæ Sedis periculis ſibi, & juſtæ cauſæ præſtò ſemper fuiſſe, & animos addidiſſe, maxima inde ſibi conciliata auctoritate. Hiſtorici narrant, coacto Ludovici XII. Galliæ Regis in illum infenſiſſimi operâ Concilio Piſis, ut ei Pontificatus adimeretur; Bononiâ Bentivoli dominatu oppreſsâ; apud Ravennam Pontificio exercitu fracto; Romandiolaque [d] ab hoſtibus occupatâ: brevi tamen Gallos ope Helvetiorum Italiâ fugaſſe, Bononiam, Romandiolam [e], Parmam, Placentiam, cæteraque omnia, quæ amiſerat, recuperaſſe, & in Eccleſiæ ditionem reduxiſſe, ita ut extremis ſuæ vitæ temporibus ad gloriæ, & lætitiæ apicem adſcenderit.

XVI.

a *Rom. Pont. Denar. tom. 2. edit. Rom. anni 1738.*
b *Scill. Mon. Pont. pag. 28. Idem Flor.*
c *Matth. cap. XIV.*
d *Guicciard. Hiſt. lib. X. & XI.*
e *Jovius in vit. Leonis X.*

XVI.

12. IVLIVS . II. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedentibus.*
TVTELA. *Pastor super saxo sedens, læva baculum tenet, capite ad dexteram converso, & multas circum habet oves. Omnia hæc intra coronam.* [4]

XVII.

13. IVLIVS . II. PONT. MAX. *Effigies, ut num. IV.*
PEDO . SERVATAS . OVES . AD . QVIETEM . AGO. *Pastor sedens, & pedum in manu tenens, oves ovile introeuntes respicit.* [4]
Statim, ac Pontificatum adeptus est Julius, in recuperandis oppidis Sedis Apostolicæ a variis Tyrannis occupatis, totus fuit; quare Cæsari Borgiæ ereptâ Romandiola, recuperatâ Perusiâ, quam Jo: Baptista Balleonius subegerat, expulsisque Bononiâ Bentivolis, illos a tyrannica populos servitute liberavit, quieteque donavit. His non adquiescens, Gallis Insubriâ ejectis, Mediolanensi Ducatu Maximiliano Ludovici Sfortiæ filio anno MDXII. restituto, Liberator Italiæ dici voluit. Visu dignum est amiculum Aræ S. Petri in Vaticano ab hoc Pontifice donatum, in quo sic legitur: IVLIVS . II. P. M. ITALIA . LIBERATA.

XVIII.

6. IVLIVS . LIGVR . PAPA . SECVNDVS. *Effigies Pontificis nudo capite, cum pluviali arabicè exornato.*
IVRI . RED. *Frons ædium magnificarum, in quarum medio turris.* [5]

XIX.

17. IVLIVS . LIGVR . PAPA . SECVNDVS. *Effigies, ut numero præcedenti.*
Justitia cum libra stans e conspectu hominis sedentis, qui scalpro saxum cælat, & e longinquo ædificium, ut in præcedenti. [4]
Julius viam, quæ Florida jam dicebatur, Bramantis operâ ampliavit, rectam fecit, & Juliam appellavit; magnas in ea ædes construi curavit, eodem Bramante architecto, in quibus litigantium, & causidicorum comodo Judices, ac Tabelliones sedem haberent. Auspicavit ædificium juxta Ecclesiam S. Blasii de Fovea, opere rudi, sed optimi artificii, ut adparet. Ecclesiam prope Curiam ædificandam mandaverat, eaque nunc dicitur SS. Faustini, & Jovitæ Nationis Brixianæ, ordine Corinthio. Sed hæc ædificia Pontificis mors abrupit, ut perfici nequiverint.

Johan-

a *Vasar. Vit. de' Pitt. to. 2. par. 3. pag. 37. edit. Bonon.* b *Martinell. Rom. Sacr.*



J*Ohannes* Cardinalis *Mediceus* Florentinus, ipſo flore juventæ, utpote nondum XXXVII. annos natus, unanimi Cardinalium conſenſu v. Idus Martias anni MDXIII. Pontificatum aſſumſit, & Leo dictus eſt. IV. Non. Decemb. anni MDXXI. mortuus, in Divi Petri primùm, inde in magnifico ſepulchro in Choro S. Mariæ ſupra Minervam erecto eſt ſepultus hoc titulo tantummodo appoſito:

LEO. DECIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS.

I.

LEO. X. PONTIFEX. MAX. *Pontificis effigies nudo capite, & pluviali D. Pauli Icone ornato.*

GLORIA. ET. HONORE. CORONASTI. EVM. — ROMA. *Inſignia Gentis Mediceæ, hoc eſt ſex pilæ, in quarum ſuprema tria lilia.* [4]

Leonis X. inaugurationem magno gaudio Chriſtianus Orbis excepit [a], præſertim Roma; itaut quum S. Johannem in Laterano ſuprema po-

[a] *Guicciard. Hiſt. lib. IX. pag. 306.*

poteſtate potiturus acceſſit, omnes vias per quas incedundum erat Arcubus ornatas repererit, tantaque pompa, ac plauſu, quo nullus alius Pontifex unquam, fuerit exceptus. Celebritas hæc multis a Jovio [a] deſcribitur.

II.

4. LEO. X. PONT. MAX. *Effigies, ut numero I.*

SCVTA. COMBVRET. IGNI. *Mulier face accenſa, ſcuta, aliaque arma comburens, & olivæ ramum in læva tenens.* [4]

Eodem modo Pax repræſentatur a Veteribus in Veſpaſiani, & Domitiani Numiſmatibus [b]. In Concilii Lateranenſis ſeſſione VI. V. Kal. Majas anni MDXIII. habita, Leo aliquot nominavit ablegatos ad tractandam pacem inter Principes [c], quibus ſe communem Patrem futurum declaravit: & abſolvit a ſchiſmate Cardinales Carvajalem, & Sanctæ Severinæ.

III.

3. LEO. DECIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS. *Effigies nudato capite, cum pluviali leunculis ornato.*

FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA — MEMORIA. OPTIMI. PONTIFICIS. *Tres Mulieres, quarum una arma face comburit: Quæ in medio, dextram ſupra jugum tenet, læva libram, & enſem arripit: Tertia cornucopiæ ſiniſtram admovet.* [4]

Iſtæ tres figuræ Pacem, Juſtitiam, & Copiam, quæ, hoc Pontifice, floruerunt, exprimunt: Quin immo a Pace, ortum ducunt Copia, & Juſtitia, quum inter arma leges ſileant. Enim vero nulli negocio magis Leo, Princeps beneficus, & magnanimus, incubuit [d], quam extinguendis bellis, quæ ipſo Pontificatum auſpicante inter Chriſtianos Principes ſæviebant, hiſque communi conſilio, communibuſque viribus in Turchas excitandis [e]. Per Laurentium Epiſcopum Feltrinum de Pace cum Maximiliano Imperatore egit, literis ad ipſum Imperatorem datis: Præterea Henrico Angliæ Regi, & Ferdinando Hiſpaniæ, qui tunc bello Gallos premebat, & Hungariæ Regi ſcripſit. Exitus verò ſpem fefellit.

IV.

5. LEO. DECIMVS. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra, cum ſtemmate in rationali.* LI-

a *In Vit. Leonis X.*
b *Oyſel. Num. Mediobarb. pag.* 132.
c *Labb. Concil. tom.* IV. *col.* 143.
d *Vid. Orat. de Laudib. Leon. X. edit. Romæ* 1735.
e *Bembi Epiſt. lib.* VI. *epiſt.* 15. 24.

LIBERALITAS. PONTIFICIA. *Mulier, quæ supra aliquot volumina cornu copiæ fundit, libris circumdata, Musicisque Instrumentis.* [5]

Quæ, quantaque fuerit Leonis X. Liberalitas, Jovius [a] describit. *Sparsa est*, inquit, *a Quæstoribus* (quum Pontificiam Dignitatem auspicaretur) *per omnes Regiones larga manu aurea, argenteaque pecunia, tanta Leonis liberalitate*, &c. Hanc potissimum ostendit erga ingenuas artes, quippe qui lectissimos Viros, quos alebat, impense coluit. Audi eumdem Jovium [b]: *Singulos verò vel mediocris nominis Poetas, & exquisitis, nobilibusque artibus instructos tanta benignitate suscipiebat, ut omnes jam excitatis animis ad excolenda studia vehementer accenderentur.*

V.

LEO. X. PONT. MAX. *Effigies numeri I.*

LIBERALITAS. PONTIFICIA. *Eadem postica, ac in antecedenti: Sed præter musica Instrumenta, librosque, hic mitra visitur, & in exergo sertum lauro, & palma contextum.* [4]

Hoc Numisma licèt præcedenti simile, non ejusdem tamen est formæ, nec moduli. Quæ huc usque hujus Pontificis Numismata descripsimus, optima sunt, & ab iis cusa, qui a Jovio extolluntur; scribit enim [c]: *Florebat tum Roma præstantibus ingeniis, copia rerum omnium, & a clementiore Cælo inusitata aeris salubritate, itaut Leo, tantæ virtutis, ac amplitudinis Pontifex, auream ætatem post multa sæcula condivisse diceretur.*

VI.

LEO. X. PONT. MAX. *Effigies, ut numero I.*

S. P. Q. R. LEO. PONTIFEX. MAX. *Sanctorum Petri, & Pauli capita.* [4]

Haud raro in Denariis, & Numismatibus Pontificiis horum Apostolorum Icones, ut Romanæ Urbis Tutelarium conspiciuntur [d]. In Denariis a S. P. Q. R. ad annum MCLXXXVIII. cusis iidem Apostoli repræsentantur: ROMANI. PRINCIPES. denominati.

H Quod

a *In Vita lib. III. pag. 66. edit. Florent. 1551.*
b *Id. ibid. pag. 67.*
c *Id. ibid. pag. 68.*
d *Floravant. de Pontif. Denar. part. II. tab. 1. pag. 17.*

Quod ad eorum pertinet Iconem, ac locum in Numis, & picturis, post multos novissime disseruit doctissimus Auctor in libro, qui *De Floreno aureo* [a] inscribitur, quem benignus Lector poterit adire.

VII.

9. LEO. X. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudatum, cum pluviali arabicè ornato.*

C. P. — ROMA. *Mulier exerta papilla Victoriæ signum gestans, lævaque scuto adhærens.* [5]

Fusis ad Alvianum Hispanis, est a Populo Romano, juxta Jovium, *magno assensu, & ambitione, Julianus Leonis Frater Romana Civitate donatus.* Hic honor fuit Pontifici maxime charus, quare juxta eumdem Jovium, *vectigal salis imminuit, amplificataque Triumvirali Coss potestate, præmiis, ac immunitatibus publicè, privatèque Romanos prosequutus est.*

Numisma huic simile, ad instar veterum [b] cusum, præsertim cujusdam Numi maximi moduli Commodi Imperatoris Musei Vaticani, a me alias illustrati [c], ad Julianum Mediceum spectat. Siglæ C. P., quæ in Leonis Numo sunt, explicantur a R. P. Bonannio [d] ita: CHARISSIMO. PARENTI. Sed quum eædem literæ conspiciantur in memorato Juliani Numismate per me publicato [e], in memoriam Civitatis sibi concessæ, cuso, legerem potius illas per: CONSENSV. POPVLI. Sic enim Populi gratitudo erga Pontificem, magnificumque Julianum exprimetur.

VIII.

11. LEO. X. PONT. MAX. ANNO. IIII. *Pontificis effigies cum Camaleucio, & Tegillo.*

VI. ET. VIRTVTE. *Fallis in aere; subtus parva abacus.* [4]

Si hoc Numisma non retulisset *Luchius* [f], nec interpretatus fuisset, unum ex apocryphis emblematibus Typotii, vel Palatii credidissem. Auctor est *Luchius*, hoc Numisma cusum anno MDXVII., vigente bello inter Franciscum Mariam Urbinatem Ducem, Leonemque Pon-

---

a *Eques Victorius de Flor. Aur. lib. 1. edit. Florent. 1738.*

b *Vistoße Augustin. Orsol. Mediobarb. in* ROMA *Numis.*

c *Numis. max. mod. Mus. Vatic. tom. 1.*

d *Num. Pontif. tom. 1. pag. 170.*

e *In Orat. de Laudib. Leon. X. pag. 138.*

f *Sylog. Numism. pag. 37.*

Google

Pontificem, ad illius e Ducatu expulsionem per hunc armis, ingenioque procuratam alludens: Pontifex Laurentium adfinem suum Ducem Urbini constituit, sed ad modicum, nam non multò post Franciscus Maria sua recuperavit [a].

IX.

LEO. X. PONTIFEX. MAX. *Caput nudatum cum pluviali arabicè ornato.*

S. PETRVS. S. PAVLVS. *S. Petrus stans juxta templum, cum clavibus in dextera.* [4]

Vaticanam Basilicam a Julio II. inchoatam, Leo X. perficiendam suscepit. Inter Bembi [b] Epistolas duæ ab hoc Pontifice ad Raphaelem Urbinatem ædificii Architectum datæ leguntur, in quibus eum monet, ut majori qua posset celeritate juxta delineationem Bramantis operi incumberet, magnamque illi remunerationem promittit. Vasarius in vitis Michaelis Angeli, & Raphaelis rem multis describit. De primo, quum Florentiæ IV.Kal. Quintil. anni MDLXIV. justa persolverentur, cecinit Episcopus Papiensis [c].

Onde il Custode dell' eterno Impero
Teco si gode, che ben vede espresso
Quanto al suo Tempio desti unica Forma.

Hoc est: *Unde æterni Imperii Custos* (Petrus Apostolus) *tecum gratulatur, mire expressum Templum suum, quod, ut nullus alius unquam, efformasti, cernens.*

X.

LEO. X. PONT. MAX. *Effigies, cum pluviali ut supra.* 10.

MENDICIS. IN. PTOCHOTROPHIVM. REDACTIS. *Mulier sedens, circumque eam quatuor Pueri.* [5]

Multi auctores sunt, posticam hujus Numismatis partem ad Pium IV., qui anticâ Leonis X. usus sit, pertinere. Sed quum Periti formam capitis, emblematisque, sed & magnitudinem, circuitum, ac gemmulas, quæ illam exornant, perspexerint, ad hunce Pontificem adtribuunt. Licet publicum ædificium pro mendicis ab hoc Pontifice Romæ extructum nullum reperiatur [d], hoc non obstante, nos non latet, Alexandrum Gelardinum Episcopum Insulæ Hispanæ in Ame-

H 2 rica,

a *Panvin. in Vit. Leon. X. pag. 260. edit. Venet. 1622.*
b *Bembi Epist. edit. Venet.*
c *Apud Juntas in 8.*
d *Bonan. Numism. Pontif. tom. I. pag. 172.*

rica, nunc S. Dominici, munificentia adjutum Pontificia, ptochotrophium, in quo pauperes alerentur, in sua Diœcesi extruxisse [a].

XI.

8. LEO . X. PONTIFEX . MAX. *Effigies, ut numero I.*

Vir quadriga vectus, & Genius, qui ei coronam imponit. [4]

Pulcherrimi hujus Numismatis schema ab antiquis Numis Græcorum, & præsertim a Syracusanis petitum est, in quibus quid simile videre est [b].

Quum Franciscus I. Galliæ Rex Maximiliano *Sfortiæ* Insubrum Duci bellum indixisset [c], post pugnam apud *Melenianum*, expulso Duce e sua ditione, Pontifici etiam Parmam, & Placentiam eripuit. Non potuit hic illicò vim vi repellere, at an. MDXXI. cum Carolo V. inito fœdere Gallos Italiâ expulit, & legitimo Domino Ducatu Mediolanensi restituto, summo gaudio Parmam, ac Placentiam [d] recuperavit, in rei memoriam hoc Numismate cuso.

XII.

14. LEO . X. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedentes.*

S. P. Q. R. LEO . X. PONT. MAX. *Capita SS. Petri, & Pauli, subtusque Pontificis Insignia.* [4]

Brevis fuit Leonis X. Pontificatus, diuturniorem sanè futurum ejus ætas pollicebatur, quod omnibus, sed præcipuè doctis viris in votis erat [e]: *Nemo enim, vel Civis*, inquit Jovius, *vel Peregrinus, qui paulo nobilioris artis famam teneret, nemo, vel malesanus Poeta, nemo alicujus optimarum scientiarum partis non ignarus unquam fuit, qui benignitatem humanissimi Principis non senserit.* Ob hoc fama illius semper vigebit, sua tempora aurea dici meruerunt, omnisque Princeps in eum, ut prototypum debet respicere.

Adria-

a *Victorell. in Vit. Leon. X. post Ciacconium.*
b *Parut. Sicilia Numism.*
c *Raynald. Annal. tom. XX. ad an. 1515. num. 40.*
d *Bonaven. Angel. Histor. Parm. lib. V. pag. 483. Guicciard. Hist. Ital. lib. XIV.*
e *In Vita lib. IV. pag. 96.*

Digitized by Google



ADrianus Florentii filius, Trajecti ad Rhenum, sive Ultrajecti in Belgio natus, SS. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis v. Idus Januar. anni MDXXII. electus est Pontifex, Pontificaliaque gessit, nomine haud mutato, usque ad XVIII. Kal. Octobres subsequentis anni, quo die obiit, sepultusque est in Basilica Divi Petri: Inde corpus translatum in Ecclesiam S. Mariæ de Anima Nationis Germanicæ, & in sepulchro magnifico intra Presbyterium, hac adjecta epigraphe, conditum.

HADRIANO. VI. PONT. MAX. EX. TRAIECTO. INSIGNI INFER. GERMANIAE. VRBE. QVI. DVM. RERVM. HVMANARVM. MAXIME. AVERSATVR. SPLENDOREM VLTRO. A. PROCERIBVS. OB. INCOMPARABILEM SACRAR. DISCIPLINAR. SCIENTIAM. AC. PROPE. DIVINAM

VINAM . CASTISS. ANIMI . MODERATIONEM . CAROLO . V. CAES. AVG. PRAECEPTOR . ECCLESIAE . DERTONENSI. ANTISTES. SACRI. SENAT. PATRIB. COLLEG. HISPANIAR. REGNIS . PRAESES . REIPVBL. DENIQVE . CHRIST. DIVINITVS . PONTIF. ABSENS. ADSCITVS . VIX. ANN. LXIV. MENS. V. D. XIII. DECESSIT XVIII. KAL. OCTOBR. ANN. A . PART. VIRG. MDXXIII. PONT. SVI . ANN. II. VVILHELMVS . ENCKENVOIRT ILLIVS . BENIGNIT. ET. AVSPICIIS. TIT. S. IO. ET PAVL. PRESB. CARD. DERTONEN. FACIVND. CVR. PROH . DOLOR. QVANTVM . REFERT. IN . QVAE . TEMPORA. VEL . OPTIMI . CVIVSQVE . VIRTVS . INCIDAT.

I.

1.2. ADRIANVS . VI. PONT. MAXIM. *Effigies Pontificis cum Pileolo, & Tegillo.*

CORONAT. *Pontifex sub perpulchra Porticu a duobus Cardinalibus coronatus, & custodibus circumdatus.* [4]

Præsens Numisma, elegantissimis quibusque comparandum, coronationem designat Pontificis a Cardinali Diacono peractam sub umbella in magnifica Porticu coram purpuratis Patribus, militia, & populo ob suum adventum lætantibus. Audi quæso Blasium *Ortitium* Auctorem coævum [a]: *In ingressu Urbis* IV. *Kal. Septemb. una voce clamantes, Benedictus qui venit in nomine Domini, existimantes per eum Ecclesiam renovandam, atque omnia reducenda in Sanctorum Patrum pristinum statum, quod maximè ipse conceperat, licet non fuerit executus, ideo forsitan, quod fragilitas nostri temporis non patiebatur, ac fortassè nec immeritò, quia indigebat plusculo tempore, ut maturius rem tam gravem conciperet.*

II.

3. ADRIANVS . VI. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedenti.*

QVEM . CREANT . ADORANT — ROMAE. *Pontificis coronatio.* [4]

Hæc postica posteris temporibus est renovata, ac cusa, ad Numismatum Martini V., & Eugenii IV. normam, & exemplum. Diù,

[a] *Cap.* 21. *pag.* 405.

Diù, multumque Adrianus anceps, an oblatam sibi dignitatem acciperet, fuit, quia (auctor est Blasius *Ortitius* in Itinerario Pontificis ex Hispaniâ Romam [a] :) *Hactenus Beatissimus Dominus noster*, *cum esset timoratæ conscientiæ*, *formidans tantum onus*, *non decreverat illud subire*. *Tandem maturo consilio*, *ut imminentia pericula evitaret* XIV. *Kal. Mart. Missa ex more celebrata*, *Pontificatum acceptare destinavit*.

III.

ADRIANVS. VI. PONT. MAXIM. *Effigies Pontificis*, *ut in præcedentibus*. 4.

SPIRITVS. SAPIENTIAE — ROMA. *Spiritus Sanctus ab alto*, *claves*, *&* *triplex corona supra aliquot libros*. [4]

Jure merito Maximilianus Imperator Præceptorem Carolo V. Nepoti destinavit Adrianum, virum doctissimum, & moribus inlibatis præditum; certè, ut ait Jovius [b], *nec Hadrianus Cæsaris opinionem fefellit*, *cum nemo fuit ipso solidæ doctrinæ opinione celebrior*, *nemo sobrietatis*, *&* *castimoniæ laude ornatior*, *nemo vitæ modestia*, *innocentia*, *ac religione præclarior haberetur*. Ad ipsius scientiam fortasse alludit præsens Numisma.

IV.

Idem Numisma minori modulo cusum. [5]

V.

ADRIANVS. VI. PONT. MAX. *Effigies Pontificis*, *ut numero I.*

LONGO. POSTLIMINIO. *Mulier læva cornucopiæ tenens*, *dexteram alteri mulieri præbet*, *&* *ambo libram suspensam tenent*. [4]

Rarum hoc Numisma, quod in Museo cl. mem. Commendatoris de Puteo adservabatur, designat pacem, qua donare volebat Italiam Adrianus VI. Pontifex factus. *Omnium igitur primum*, inquit Oldoinus [c], *ad placandam Italiam conversus*, *plures Italiæ Principes in gratiam*, *amicitiamque recepit*.

VI.

ADRIANVS. VI. PONT. MAX. *Nudatum Pontificis caput cum pluviali arabicè ornato*. 5.

S. PE-

a *Apud Baluz. Miscell. lib. III. pag. 359.*
b *In Vita Hadr. VI. pag. 117. edit. Florent. 1551.*
c *In Vita Hadrian. post Ciaccon. pag. 434.*

S. PETRVS. S. PAVLVS. *Duorum Apostolorum protomes in duplici cubili: In medio corona.* [4]

Credidissem, non Numisma hoc esse, sed potius Denarium, si me latuisset, illius formam apud Barberinos adservari. Ut Urbes pleræque ac Principatus in denariis proprium Patronum [a], ita & Romani in Monetis, & Numismatibus Apostolorum Principes, ut Ecclesiæ præcipuos Patronos expresserunt [b]. De corona, sive aureola in medio posita, me brevitas loqui non finit: Videat tamen Lector opus Clarissimi Senatoris Bonarrotii de antiquis vitris sepulchralibus, in quo de hac re ille multis differit.

VII.

6. ADRIANVS. VI. PONT. MAX. *Effigies eadem, ac præcedens.*

VT. IPSE. FINIAM. *Ædificium incohatum, circa quod cæmenta, ac trabes ædificatoriæ.* [4]

Ad plura Pontificis opera hoc Numisma, a Luchio [c] etiam, & a Sadlero adductum, possumus referre. Primum ad reformationem pravarum consuetudinum, quam meditabatur; vix enim coronatus, & a Cardinalibus prandio, a memorato Blasio *Ortitio* [d] descripto, exceptus, aliquot indulta, eodem referente, Cardinalibus renovare duxit, & quas vocant expectativas [e] revocare, sperans, brevi juxta Numismatis emblema, negotio manus imponere. Secundò ad fœdus a Pontifice initum cum Carolo V., & Ferdinando Austriæ Archiduce, quod tum ob mortem Pontificis, non sine suspicione veneni, effectum non est adsequutum: *Prosper Columna*, inquit *Ortitius* [f], *putatur veneno mortuus*; & inferius: *Et quia Prosper Columna armis, & consilio exercitui Gallorum resistebat, ideo cum Pontifice toxico interiisse rumor erat.*

VIII.

ADRIANVS. VI. PONT. MAX. *Caput cum Camaleucio, ac parvo pallio, absque stola.*

S. PETRVS. S. PAVLVS. *Duo Apostoli stantes ad ingressum Templi.* [5]

Præ-

a *Differt. medii Ævi tom. II. Clarif. Muratorii edit. Mediolan. 1738.*
b *Florav. Rom. Pontif. Denar. tom. II. Eques Franc. Victor. de Flor. Aur. part. 1.*
c *Syllog. Numif. pag. 50.*
d *Opere laud. pag. 406.*
e *Id. ibid. cap. 23. pag. 401. & cap. 28. pag. 421.*
f *Inter Miscell. Baluz. cap. 35. pag. 418.*

Præfens cufum Numifma ad Bafilicæ Vaticanæ novum ædificium pertinere, nemo eft, qui non videat. Hoc tamen adeò lentè factum eft, ut Michael Angelus Bonarrotius non mediocriter cum fuis amicis fit conqueftus, tum per epiftolas, quum viva voce [a].

IX.

P. M. ADRIAEN. VAN. GOD. GHEKOREN. PAVSVA. ROMENT. VTRECHT. GHEBOREN. (hoc eft: *Pro. Memoria*. ADRIANI. A. DEO. ELECTI. PONTIFICIS. ROMANI. VLTRAIECTI. NATI.) *Effigies Pontificis cum Camaleucio, ad latus duo Infignia, Pontificis, & Ultrajecti.*

Mulier ftans puerum lactans, circumque eam tres alii pueri ludentes. [1]

Hoc prægrande Numifma, duplici circulo ornatum, Trajecti ad Rhenum poft obitum Pontificis fuit fufum, in memoriam tanti viri ex eademmet Civitate ortum trahentis. Poftica, in qua mulier pueris circumdata, nihil aliud innuere videtur, quam Pontificis pietatem erga Pauperes, & amorem fingularem erga fuos Cives [b].



a *Vid. Vafar. Vit. de' Pitt. in Vit. Michaelis Ang.*
b *Vid. Itiner. Blafii Ortitii.*



POntifex electus fuit *Julius Medices* Clemens VII. denominatus XI. Kal. Decembres anni MDXXIII. Obiit VII. Kal. Octob. anni MDXXXIV., ac ſepultus eſt in Baſilica S. Petri, unde poſtea translatus fuit ad S. Mariam ſupra Minervam, & e conſpectu ſepulchri Leonis X. conditus, cum epigraphe:

CLEMENS . VII. PONTIFEX . MAXIMVS.

I.

CLEMENS . VII. PONT. MAX. — MDXXV. AN. II. *Effigies Papæ nudato capite, & pluviali arabicè ornato.*

GLORIA . ET . HONORE . CORONASTI . EVM — ROMA . *Inſignia Medicea ſine ullo ornatu.* [4]

Hoc Numiſma ſimile eſt alteri ſub Leone X. fuſo, ſola mutata effigie, quam barbatam expreſſit reſtitutor inexpertus, quum nondum tunc temporis Pontifex barbam excoleret. De hac familia tam inſigni, in Johanne Gaſtone Magno Etruriæ Duce noviſſimè extincta (Etruria mul-

Digitized by Google

multis viciſſitudinibus ob hanc rem expoſita) hic non loquor: dicam ſolum, Clementem VII., adhuc Cardinalem exiſtentem, ſecunda fortunâ uſum, at Pontificatu aſſumto, multas animi ægritudines, multaſque calamitates expertum fuiſſe; quas tamen æquo animo paſſus eſt [a].

II.

SALVVM. FAC. POPVLVM. TVVM. DOMINE. ET. BENEDIC. HAEREDITATI. TVAE. *Pontifex in Throno cum aliquot Cardinalibus ſedentibus, & aliæ perſonæ ante Templum multis ornatum columnis, ac ſex propugnaculis: Item Protomes SS. Petri, & Pauli, & in medio Pontificis Inſignia.*

ASCENDIT. DEVS. IN. IVBILO. ET. DOMINVS. IN. VOCE. TVBAE. ANNO. IVBIL. MDXXV. *Chriſtus in Cœlum adſcendens*. [1]

Exiſtimo, in hoc ſingulari fuſo, prægrandique Numiſmate Pontificem repræſentari, quum ſub Throno ſedens Imperatorem Carolum V. exſpectaret ante Eccleſiam S.Petronii Bononiæ; ſic Oldoinus [b]: *Pontifex cum intellexiſſet, Cæſarem ingreſſum Bononiam, exivit cum ſacro Senatu e Palatio, & ante Eccleſiam S.Petronii in quodam loco eminenti ad hoc diſpoſito illum expectavit*. Poſtica Jubileum deſignat à Clemente VII. celebratum.

III.

CLEMENS. VII. PONT. MAX. MDXXV. AN. II. *Caput nudatum cum pluviali, in quo Spiritus Sanctus, & unus e Cherubim*. 5.

RESERAVIT. ET. CLAVSIT. AN. IVB. *Pontifex Portam Sanctam claudens*. [4]

Idem eſt hoc Numiſma, ac aliud Alexandri VI. excepta annorum nota, quare recuſum mihi videtur. In Numiſmate a R. P. *Bonannio* adducto viſitur AN. IV., quod eſt anachroniſmus, undè legendum IVB. Celebritates hoc Jubileo peractæ deſcribuntur in Diariis *Blaſii Cæſenatis*, & *Martinelli* Cæremoniis Præfectorum.

IV.

Simile Numiſma, ſed in poſtica adjicitur MDXXV. [4]

a *Videſis Vitam Benven. Cellin.*
b *In Vit. Clem. VII. poſt Ciaccon.*

Digitized by Google

V.

7. CLEMENS. VII. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo duo stantes.*

EGO. SVM. IOSEPH. FRATER. VESTER. *Joseph Justus in suggestu, in quo Insignia Medicea, sedens, se Fratribus ostendit, illis adblanditus.* [4]

Hoc pulchrum Numisma cusum creditur aliquibus a *Benvenuto Cellinio*: Vasarius [a] vero fidem facit, opus esse *Johannis Bernardii* a Castro Bononiensi. Explicationem, quam adducit Bonannius [b], pluris facio, quam Luchii, & Molinetii nugas. Luchius [c] cusum credit anno MDXXVI. ob fœdus initum in Carolum V. inter Franciscum I. Galliæ Regem, Venetos, & Mediolanensem Ducem. Molinetius [d] vero significare censet veniam Columnensibus impertitam juxta conditiones cum Ducibus Cæsarei exercitus, qui Arcem S. Angeli obsidebant, pactas. At R. P. Bonannius verosimiliùs dicit, Numisma exprimere beneficia a Pontifice, ut ipse quidem existimabat, Florentinis facta, mutato eorum regimine, ostensoque semper, se eorum amantissimo [e]. Autumo, opinionem hanc comprobari, a temporis convenientia, quo Johannes Bernardius Numismatis, a Vasario loco memorato adducti, Cusor se Romam transtulit.

VI.

8. CLEMENS. VII. PONT. MAX. *Effigies nudato capite, pluviale arabicè exornatum.*

Imperator sedens in suggestu, solvi jubet aliquot mancipia ante ipsum genuflexa; omnia intra coronam lauream. [4]

Quum Luchius simile Numisma cum effigie Caroli V. adduxerit, locum dedit inquirendi, nostrum esset, necne, genuinum, utpote ad nullum Pontificis opus referendum. Sed perspectis variis hujus formæ Numismatibus in celebrioribus Romæ adservatis Museis, consultisque eruditis hominibus, verè genuinum existimo, & ab Artifice in eo cudendo eamdem posticam partem, quam Numismati Cæsareo apposuerat, adhibitam, alludendo fortassè ad victoriam a Ca-

a *Vite de' Pitt. par. III.*
b *Numism. Pontif. tom. I. pag. 189.*
c *Sylloг. Numism.*
d *Histor. Pontiff. per Numism.*
e *Vide Varch. Hist. Flor. lib. XI.*

Carolo V. de Ariadeno Æneobarbo Algerii Rege relatam [a]. Existimat R. P. Bonannius, in eo designari solutos a censuris per Clementem ab Arce egressum, & Urbem Veterem perventum, Duces omnes, & Principes, qui suæ detentioni manus admoverant [b]. Sed non satisfacit hæc explicatio.

VII.

CLEMENS. VII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, nudo capite, sed barbata, cum pluviali arabicè contexto.* 6.

POST. MVLTA. PLVRIMA. RESTANT. *Christus Columnæ alligatus cum Corona spinea, & flagellis in terra.* [2]

Baccius *Bandinellius*, referente Vasario [c], Clementi VII. tabulam pictam, & Numisma effigiem ipsius Pontificis referentia, in cujus postica parte erat Christus flagellatus, a Francisco de Prato sui amantissimo elaborata, præsentavit: Existimo, hoc Numisma cæteris majus fusum ob retentionem Pontificis, & illatas ei injurias ab Exercitu Cæsareo; quod si non comprobaret Pontificis vultus barbatus, qui imposterum semper voluit quasi in pœnarum memoriam barbam colere, eliceretur certè a denario per *Floravantem* [d] adducto, & inter Numismata a R. P. *Bonannio* collocato, cum parum dissimili postica. Benvenutus *Cellinus* hunc denarium, ut ipse auctor est [e] in sua vita, jussu Pontificis cudit, quum ambo in Arce detinerentur.

VIII.

IVSTITIA. EX. DEO. *Pontifex barbatus, cum planeta, & mitra, mula vectus; ante eum duo milites genibus flexis.* 15. 16.

Pontificis Insignia cum triplici corona, clavibus, & Cruce Melitensi. [5]

IX.

IVSTITIA. EX. DEO. *Pontifex ornatus pluviali, & mitra, equo insidens, cum milite ante eum genuflexo: omnia inter duos palmæ ramos.*

Insignia Pontificis, a duobus palmæ ramis circumdata. [5]

Utroque hoc Numismate alluditur ad fugam Pontificis ab Arce S.Angeli ad vicinos pratos, ubi eum præstolabatur Aloysius Gonza-

ga,

a *Ulloa Vit. Caroli V.*
b *Num. Pontif. pag.* 191.
c *Vit. de' Pitt. tom.* II. *part.* III. *pag.* 432. *edit. Bonon.*
d *De Rom. Pontif. Den. tom.* II. *pag.* 228. *tab.* 2. *num.* 20.
e *In Vita pag.* 62. *& in Aurif. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 66.

Digitized by Google

ga, cum quo Urbem Veterem se recepit. Noctu, ut inquit Jovius [a], fugam arripuit, *nihil prohibentibus portæ custodibus, cum petasatus, & penulatus, subducta que, & velata barba, se dispensatoris ministrum ignobili eo habitu mentiretur*. Aliqui credunt, in uno fugam, in altero reditum designari; quod a vestium diversitate adstruunt (licet hæ in utroque Sacerdotales sint) & a corona palmea, quæ in secundo ad triumphi speciem adpingitur. Melitensis Crux stat pro Bajulivatu Capuano, quo ante Pontificatum longo tempore est functus [b].

X.

10. CLEMENS . VII. PONT. MAX. AN. XI. MDXXXIIII. *Effigies Pontificis capite nudo, cum duabus figuris stantibus pluviale ornantibus.*

VT. BIBAT. POPVLVS. *Moyses virga saxum percutiens, e quo aqua scatet, quam ingens populus partim stans, partim in terra sedens ebibit.* [4]

Sub Paulo etiam III. Numisma hac postica insignitum visitur, cum Epigraphe: VT. BIBAT. POPVLVS. Sed licet illud cusum, hoc fusum sit, hoc tamen est genuinum, quod eruditi existimant in memoriam putei Urbevetani a Clemente VII. effossi, ut Civibus aquæ penuriâ laborantibus consuleret, fusum. Antonius Sangallensis, Architectus magni nominis [c], inventor fuit, qui illum XXV. brachia amplum exstruxit, cum duplici scala cochlide in topho ducta, per quam jumenta descenderent, & adscenderent. Quomodocumque sit, certum quidem est, pulchrum hoc Numisma Benvenuti Cellini [d] opus esse.

XI.

11. CLEMENS. VII. PONT. MAX. AN. XI. MDXXXIIII. *Effigies, ut num. VIII.*

CLAVDVNTVR. BELLI. PORTAE. *Mulier catenis vincta prope Templum clausum, ante quod altera Mulier, cornucopiæ læva tenens, & dextera facem, qua arma aliquot, & scuta comburit.* [4]

R. P. Bonannius figuram vinctam esse hominem vult, fortasse Martem, non Discordiam, ut aliis creditum est; ego vero, qui oculis meis Nu-

a *Histor. tom. II. lib. XXV. pag. 62.*
b *Ursolin. de Pontif. & Card. Florent. in Clem. VII.*
c *Vasar. Vit. de' Pitt. part. III. pag. 322.*
d *Idem ibid. pag. 293.*

Numisma non vidi, de re judicare non possum. At seu Mars, seu Discordia in eo repræsentetur, sanè pacem anno MDXXIX. inter Pontificem, & Carolum V. Imperatorem, Mercurii a Gattinara officiis, initam, in eo ostendi vult Bonannius [a]. Sed quum in altera parte notetur annus MDXXXIIII., mihi nunquam probatum erit, in eo alludi ad negocium ante quinquennium gestum: potius igitur bellum designabit hoc anno cum Florentinis terminatum, qui, Urbe dedita, Principem elegerunt Ducem Alexandrum Mediceum Pontificis Nepotem [b], hac ratione pace sibi conciliatâ.

XII.

CLEMENS. VII. PONT. MAX. ANNO. X. *Effigies Pontificis barbata, cum camaleucio, & brevi pallio.* 14.
CANDOR. ILLAESVS. *Lens vitrea aræ superimposita; per hanc radii solares in unum collecti arborem ex opposito existentem, comburunt, albá chartá, quæ prope adstat, illæsa. In scuto triplex corona Pontificia.* [4]

XIII.

CLEMENS. VII. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedenti.* 2.
CANDOR. ILLAESVS. *Lens, ut supra.* [4]

XIV.

CLEMENS. VII. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedentes.* 3.
CANDOR. ILLAESVS. *Sydus luminosum, in speciem Cometæ.* [4]

Tria hæc Numismata a R. P. Bonannio ex Tipotio auctore dubiæ fidei, cujus omnia emblematibus plena, adducta rejecissem, nisi ea reperissem apud Luchium [c], qui cusa arbitratur anno MDXXXIII. ad significandum Pontificii animi candorem ab invidorum morsibus illæsum.


XV.

CLEMENS. VII. PONT. MAX. *Effigies similis præcedentibus.* 19.
VIRGINI. MATRI. *Templi Frons.* [4]

R. P. Bonannius epigraphe oblitus est in hoc Numo repræsentando. Is animi pendet, an verè huic Pontifici tribuat; ego vero indubiè tri-

a *Pag. 194.*
b *Varchi. Segni. Platin. Vit. Pont.*
c *Syllog. Num. pag. 79.*

tribuo, eo magis, quia Oldoinus in Museo Commendatoris de Puteo illum perspexit, & publicum fecit [a]. Difficile est, Ecclesiam, quæ in eo visitur, designare. Aliqui asserunt, esse Ecclesiam S. Mariæ de Anima Nationis Theutonicæ, ob hujus cum Icone similitudinem; sed hoc mihi improbatur, quum an. MDX. jam fuerit absoluta [b].



Ale-

a *Post Ciaccon. col. 475.*
b *Pancirol. Tesoro nascost.*

Digitized by Google



ALexander Cardinalis Farnesius Romanus III. Idus Octobres anni MDXXXIV. electus Pontifex Pauli III. nomine, IV. Nonas Novemb. anni MDXLIX. decessit, sepultusque est in magnifica, perpulchraque urna in S. Petri Basilica cum hac brevi epigraphe:

PAVLO. III. FARNESIO. PONT. OPT. MAX.

I.

PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XV. MDIL. *Effigies Pontificis, barba prolixa, capite nudo, & pluviali, in quo coronatio est expressa.* 1. 2.

AVITAE. FARNESIORVM. STIRPIS. *Insignia Gentis Farnesiæ, sex lilia, cum Tiara Pontificia.* [3]

Gens Farnesia nostris temporibus extincta morte Antonii Ducis Parmæ, & Placentiæ, Elisabetha tantùm Hispaniarum Regina superstite, illustris etiam ante Paulum III. Pontificem fuit. Multi insignes armis Viri, qui vetustis temporibus floruerunt, ab historicis memoran-

 tur,

tur [a], & præsertim in Chronico Urbevetano, & in alio Monaldeschii [b]. Urbisveteris, & Viterbii Feuda jamdiu possidebant, & eo viribus præstabant, ut multos annos Vici Tyranno restiterint. De quodam ex hac Gente Reipublicæ Florentinæ Duce monumentum exstat in principe Ecclesia Florentina [c]. Hujus Numismatis formæ sunt ruptæ.

II.

3. DIVVS.PAVLVS.III. PONT. OPT. MAX. *Pontificis effigies, nudato capite, cum brevi pallio.*

NEC. PRIMVS. TERTIO. NEC. SECVNDVS. *In area interna:* FVTVRA. VIRVM. OSTENDENT. *Supra epigraphem caput parvum Cherubim.* [4]

Fuit hoc Numisma primis Pauli III. Pontificatus annis percussum, ad significandum, hunc Decessores suos Paulos virtute superaturum fuisse. Tanto plausu Populus Romanus improvisam electionem Pontificis [d] excepit, ut præter varios Triumphales Currus, Nobiles ludicram pugnam, a Blasio Cæsenate [e] cæremoniis Præfecto memoratam, in ejus honorem in S. Petri Platea habuerint, repetitis postea ludis in platea SS. Apostolorum. Notatu dignum est, *Divi* titulum Pontifici adhuc viventi adtributum, quo nos nonnisi impropriè, Sanctos in Ecclesiæ Canone relatos, appellamus; sed adsentationi aliquid donandum, qua de re videatur, quod Molinetius [f], & Bonannius [g] hanc epigraphem defendentes comminiscuntur.

III.

PAVLVS. III. PONT. MAX. ANNO. I. *Caput nudatum, cum duabus figuris in pluviali, & floreo serto.*

Multi genibus flexis ante Ducem intra coronam, e floribus contextam. [4]

Comprobat hoc Numisma aliud Clementis VII., a nobis supra adductum, de quo, an sit genuinum, aliqui dubitant. Postica pars Numi Clementis huic est apposita; in antica effigies Pauli adpicta est,

a *Murat. Rer. Italic. Script. plur. in loc.*
b *Chron. apud eund. Murator.*
c *Leopol. Ferd. de Miglior. Florent. illustr.*
d *Ciaccon. & Victorell.*
e *Cod. mss. in Bibl. Vat.*
f *Pag. 47.*
g *Tom. 1. pag. 198.*

eſt, quæ ideo differt ab effigie Clementis, quod floribus circumdatur. Renovatum fortaſſe fuit Numiſma ſub hoc Pontifice, ob liberationem Vindobonæ a Turcis obſeſſæ, & ob victoriam, quam hoc anno Carolus V. de iis obtinuit [a].

IV.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut numero II.* 4.

DOMINVS. CVSTODIT. TE. DOMINVS. PROTECTIO. TVA. *Milites equitantes, ob fulmina, & tempeſtates præcipites ruunt.* [4]

Alludit hoc Numiſma ad ſubitam fugam Æneobarbi Piratæ, qui Prochyta depopulata, Neapolitanique Regni ora, Cajetâ Tarracinam uſque direptâ, ingentibus copiis Romanos ita terruerat, ut, humano auxilio diffiſi, ſpem totam in publicis precibus poſuerint, ſed quum derepente Pirata diſceſſiſſet, Numiſmate Pontifex factum poſterum memoriæ tradi curavit; in eo R. P. *Molinetius* [b] autumat, repræſentari Paulum, quum adhuc Cardinalis iter faciens ictum fulminis vix evaſit. Sed noſtra interpretatio veriſimilior videtur.

V.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Pontificis effigies, ut numero I.* 5.

ANNONA. PONTIFICIS. *Perſona ſtans cum Palladio, in dextera cornucopiæ tenens, & ante pedes congium cum ſpicis, gubernaculo, & prora navis.* [4]

A vetuſtis Numis hæc poſtica petita eſt, ut videre eſt in pleriſque Neronis, aliorumque Imperatorum [c]. Deſignat hæc fortaſſe frumenti copiam, quam Pontifex, quum annonæ caritas eſſet, ab Inſula Eubœa, aliiſque regionibus Romam advehi curavit [d].

VI.

PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XII. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ΕΠΟΙΕΙ. Alexander fecit. *Caput nudum cum pluviali, in quo perſona ſtans, & alia dimidiata.*

Poſtica pars vacua. (3)

Fuit hic fortaſsè Alexander Baſſianus Patavinus, celebris illis temporibus Artifex [e] ob ea, quæ diximus in Præfatione noſtra.

a *Ulloa in Vit. Carol. V. Octav. Strad. Num. pag. 490.*
b *Hiſtor. Numiſ. pag. 48.*
c *Dialog. dell' Agoſtin. pag. 70.*
d *Panvin. in Vita poſt Platin. tom. 2.*
e *Vide etiam Molinet. in Præfat.*

VII.

6. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudatum cum pluviali arabicè efformato.*

Currus triumphalis a quadrijugis equis vectus, in quo persona togata, & laureata habens in manu Oleæ ramum: Præcedit mulier cum hasta, & Olivæ ramo in dextera: In exergo multa arma; Totum intra coronam lauream. [4]

Quam sit elegans hoc Numisma, ex sola descriptione patet. Quisque videt fuisse antiqua hic imitata, quum similia passim conspiciantur in collectionibus novissimè publici juris factis [a]. Artifex expressit Pontificis Pauli triumphum ob pacem ab ipso Principibus Christianis procuratam. Indicat hoc Pacis signum, quod cum Olivæ ramo triumphantes præcedit.

VIII.

7. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut numero I.*

SECVRITATI. PERPETVAE. *intra coronam Oleaginam.* PAVLVS. III. PONT. MAX. LEONINAM. AGGERIBVS. COMMVNIVIT. *in externa parte.* [3]

Quum Paulus III. Româ Bononiam pergeret, ut Carolum V. conveniret, eumque a bello, quod in Gallos moliebatur, deterreret, Alexandro Vitellio in Historia Florentina [b] celebri, qui tunc suo exercitui præerat, mandavit, ut mœnia, fossas, & vallum *Civitatis Leoninæ* instauraret, muniretque eam præsertim partem, qua prata latius patent. Hoc nomine appellata est hæc Romana Regio trans Tyberim posita a Leone IV. Sanctissimo Pontifice, qui eam muris circumdedit [c], ad arcendos Saracenorum incursus, qui S. Petri Templum pluries invaserant, diripuerantque.

IX.

10. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudatum cum pluviali mirificè complicato.*

LETITIA. ACCITA. PARTA. PACE. PAVLVS. *Epigraphe ferè triangularis cum basi in superiori parte, intra coronam oleaginam tæniis perpulchrè ornatam.* [3]

Numisma hoc cæterorum, quæ huc usque adduximus, optimum, effigiem,

---

a *Numism. max. mod. Mus. Pisani, Theupoli, Medicei, Regis Galliæ, Vindobon. & Vatican. tom. I.*

b *Vide Varch. in Hist. Florentin.*

c *Platina in Vita Leonis IV. tom. I.*

giem, vestesque Pontificis egregiè referens, cusum fuit anno MDXLIV. ad designandam pacem inter Carolum V. Imperatorem, & Regem Galliæ Franciscum I. Paulo III. auctore, Idibus Septembribus signatam, ob quam solemnes supplicationes Romæ in gratiarum actionem peractæ sunt [a].

X.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudatum cum pluviali, in quo S. Paulus stans.* 11.

SECVRITAS. TEMPORVM. *Tres equi in prato pascentes.* [4] Describitur in hoc pulchro Numismate vigilantia Pastoris, qui, hostibus exturbatis, Gregi suo dedit, ut etiam sine Custode ad pabulandum spatiari posset. R. P. Bonannius [b] designari ait societatem a Pontifice cum Imperatore, & Venetis initam, sed nullo sanè indicio adducto. Imitatur hic Nervæ Numus, in quo legitur: VEHICVLATIONE. ITALIAE. REMISSA, in quo duæ mulæ liberè pabulantes [c].

XI.

PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XIII. *Caput nudatum cum pluviali, in quo templum.*

PETRO. APOST. PRINC. PAVLVS. III. PONT. *Templum Divi Petri.* [4]

XII.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo Pontifex Portam Sanctam claudit.*

PETRO. APOST. PRINC. C. *Templum Divi Petri.* [3]

XIII.

PAVLVS. III. PONT. OPT. MAX. AN. XVI. *Effigies cum Camaleucio, & palliolo.* 13.

AN. IVBILAE. MDL. *& in exergo*: PETRO. APOST. PRINC. C. *Templum D. Petri.* [3]

In his Numismatibus conspicitur frons Basilicæ Vaticanæ [d], ut eam construendam designaverat Antonius Sangallus; sed morte præventus Pontifex opus, quod meditabatur, infectum reliquit [e]. Is obiit IV. Idus Novembr. anni MDXLIX., itaut Portam Sanctam non po-

a *Vide Diar. MSS. Johannis Franc. Firmiani, & Pauli Aretini.*
b *Numism. pag.* 211.
c *Mediobar. Numism. pag.* 145.
d *Vid. Luch. Num. pag.* 382.
e *Bonann. Templ. Vatic. cap.* 14. *tab.* XIV. XV. XVI.

Digitized by Google

potuerit reserare [a]: Quare dicendum, secundum hoc Numisma prius cusum, & publicatum, quam annus Jubilei celebraretur. Superioribus etiam annis Paulus in suis Numismatibus Vaticanam Basilicam exprimi curaverat, ait enim Oldoinus [b], quod ipse *Vaticanam Basilicam ex lateritia marmoream reddidit, eamque tiburtino lapide mirificè ornavit*; Hoc est externam faciem ædificii, ob quam tota Basilica, non sine causa, exprimitur.

XIV.

26. PAVLVS. III. PONT. MAX. A. XIIII. *Effigies Pontificis cum thiara, ac pluviali arabicè ornato.*

P. R. SECVRITAS. *Mulier sedens, manu, & capite sella innixis, altera manu hastam tenet, ante eam ara, & accensa fax. In exergo ramus palmæ, & olivæ.* [5]

XV.

25. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies præcedenti similis.*

SECVRITAS. POPVLI. ROMANI. — ALMA. ROMA. *Mulier in suggestu sedens, dextera caput sustinet, ante eam tripos, & accensa fax.* [4]

Pulcherrimæ posticæ duorum horum Numismatum partes ad veterum normam sunt efformatæ. In Othonis Numismate legitur: SECVRITAS. POPVLI. ROMANI. muliere hastata sedente [c]. In altero Vespasiani, mulier sedet, manu capiti supposità [d]. In Getæ Nummo manu se sustentat [e]. In Titi aram habet ante pedes [f]. Omnia hæc symbola conjunxit Artifex, significans palmæ, & olivæ ramis, Principes Pace ope Victoriæ paratâ Populos securos reddere.

XVI.

23. PAVLVS. III. PONT. MAX. A. XIII. *Eadem effigies.*

TV. AVTEM. IDEM. IPSE. ES. — ALMA. ROMA. *Christus Infans super stylobate disputans cum Doctoribus stantibus e lateribus.* [5]

XVII.

24. PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XVI. *Similis effigies.*

Magnifica Porticus, in cujus medio Christus stans, cum Doctoribus e lateribus sedentibus disputat. [4]

Pri-

---

a *Oldoin. post Ciaccon. Torrig. le S. Grotte Vatic. pag.* 129.
b *Post Ciaccon. col.* 557.
c *Vide Oysel. Num. Mediobar. Numism. pag.* 102.
d *Mediob. pag.* 110.
e *Idem pag.* 300.
f *Idem pag.* 110.

Digitized by Google

Primum horum Numifmatum Denarius mihi videtur, illud verò idcirco retuli, quia res mihi non eft planè explorata; fecus vifum eft de Denario Ravennæ cufo, quem inter Numifmata R. P. Bonannius [a] perperam refert. Quidquid Bonannius dicat, defignari credo in Numifmate Concilium Tridentinum ab hoc Pontifice anno MDXXXVII. primùm Mantuæ indictum, poftmodum Vicentiam, demum anno MDXLV. Tridentum translatum [b]. Ad hanc translationem alludit epigraphe ex Pfalmo CVIII. verf. 18. petita, quæ exprimit doctrinam Chrifti femper, & in omni loco eamdem.

XVIII.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudatum cum pluviali, in quo duæ figuræ ftantes.*

VT. BIBAT. POPVLVS. *Moyfes virga faxum percutiens, & Populus eruptam fonte aquam hauriens.* [4]

R. P. Bonannius omittit hoc Numifma fub Paulo cufum, cui fimile retulimus in Clemente VII. fufum, fed genuinum. Qui Numum reftituit, per id fymbolum duo fortaffe labra fignificavit miræ magnitudinis e Libyco marmore nigris, cinereis, albifque coloribus variegato (granitum dicunt) quæ ductis ad ea falientibus, aquas circumquaque emittunt, & in Foro e confpectu Palatii a Paulo inchoati, & ab Alexandro Nepote abfoluti fita funt.

XIX.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies cum pluviali, ut fupra.* 29.
Gryphus ferpente circumplicatus, ambo corona laurea circumplexi. [4]

Non alia de caufa, nifi quia fine epigraphe eft, P. Molinetius [c] hoc Numifma genuinum non exiftimat: Nos, qui vidimus, & authenticum, & mirâ arte elaboratum effe teftamur. Multæ adducuntur interpretationes, fed nulla mihi fatis probatur. Nonnulli Paulo fpem fuiffe tradunt fuâ prudentiâ Henricum VIII. Angliæ Regem apoftatam a fcelere revocandi, quare ferpentis fymbolo Pontificem, gryphi verò Henricum fignificari. Alii cufum credunt a Tribuno Romanæ Regionis XII. *Parionis*, cujus Infigne eft Gryphus, quum in ifta Regione Paulus natus fuerit, & habitaverit. Alii tandem, fortafsè verofimiliùs, demonftrari credunt fubactam a prudenti Pontifice Pe-

a *Num. 22.*
b *Bartholom. Caranza Collect. Concil. pag. 440.*
c *Numifm. pag. 52.*

Perusiam, quæ Gryphum habet in Insigni [a]. Neminem latet, Paulum in ea Urbe Arcem munitissimam excitasse, Antonio *Sangallensi* [b] Architecto, ne, quod sæpiùs evenerat, imposterum defectionem pararet. Hoc factum est anno MDXL.

XX.

30. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedenti.*
Roma sedens cum suis insignibus; & Lupa cum geminis pueris lactantibus: Inferiùs Tyberis figura aquam effundentis. [4]

Neque hoc Numisma genuinum R. P. Molinetio creditur. Ego verò cusum autumo ad demonstrandum Romæ obsequium erga Pontificem, quippe quæ ipso Principe renasci sibi videbatur; sic enim veteres in suis Numismatibus se exprimebant per epigraphem: ROMA. RENASCENS [c]. Flumen Tyberis non ad antiquorum mentem effingitur, qui flumina repræsentabant jacentia, & barbata [d] cum terrea urna cannis palustribus circumsepta: Hic potius mancipium, quam flumen conspicimus.

XXI.

8. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedentes.*
HANC. PETVNT. MIRACVLA. SEDEM. *Statua equestris super basi.* [4]

Paulus III. erigi curavit in Capitolii area super elegantissima marmorea basi a magnò Michaele Angelo *Bonarrotio* [e] M. Aurelii celeberrimam equestrem Statuam ex ære deaurato, quæ prius in platea Lateranensi sita erat haud longè a Basilica [f].

XXII.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Pontificis effigies cum Pileolo, & Palliolo.*

FARNESIA. DOMVS. CVRA. EIVSD. IMPENDIISQVE. A. SOLO. EXCITATA. *Palatium Farnesianum, & supernè lilium.* [3]

XXIII.

17. PAVLVS. III. PONT. OPT. MAX. *Effigies, ut præcedentes.*
HARVM. AEDIVM. FVNDATOR. *Ædes Farnesianæ.* [4]

No-

a *Pellin. Istor. di Perugia.*
b *Vasari Vite de' Pittori tom. 3. pag. 322.*
c *Bandur. Num. tom. 2. pag. 279.*
d *Morell Specim. rei Num. pag. 77.*
e *Vasari Vita di Michel' Ang.*
f *Vita di Cola di Rienzo del Fortifiocca, Apud Muratorium Rer. Italic. Script.*

Digitized by Google

Notat *Bonannius* aliquam diſſimilitudinem in utroque hoc Numiſmate, præſertim in numero feneſtrarum. Inchoatum eſt hoc Palatium, *Bramante*, & *Sangallenſi* [a] Architectis, quum Paulus adhuc Cardinalis eſſet; Pontificatum adeptus Michaelem Angelum *Bonarrotium* adhibuit, qui ædes ampliores exſtrueret, & magnificentiùs ornaret. Earum Pinacotheca, quæ viam Juliam reſpicit, Jacobi a Porta elegantiſſimum opus eſt [b]. Palatium a Paulo III. inchoatum Cardinalis Alexander Fratris filius abſolvit. Eſt illud cubicum, muros habet lateritios, ſed perpolito opere [c], angulos, feneſtras, & arcus poſticæ frontis ad viam Juliam e tiburtino lapide: ex eodem lapide ſunt impluviæ porticus, & miræ projecturæ corona. His nihil addam; Videat tamen Lector Vaſarium [d], alioſque, qui poſt eum de hac re ſcripſerunt.

XXIV.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies cum Camaleucio, & brevi pallio.* 34.

PIETATI. ET. COMODO. PONTIFICVM. *Sacellum Paulinum in ædibus Vaticanis.* [4]

Hoc ædificandum curavit Sacellum Paulus III. ad dexteram Aulæ Regiæ e latere Templi Vaticani, Architecto Antonio *Sangallenſi*. Dignum viſu eſt ob inſignes picturis [e], quarum quæ introrſum ſupra Portam viſuntur, opus ſunt *Laurentii a Bononia*: S. Pauli converſio, *Bonarrotii*: Cameram, & reliqua ſupra coronam pinxit Fridericus *Zuccarus*. Sacellum hoc Alexander VII. anno MDCXCI. reſtauravit [f].

XXV.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedens.* 35.

VNITAE. MENTES. VNIVNT. *Flumen ab alto in aliud, quod ſubtus fluit, decurrens.* [4]

Septimo ab Interamna lapide prope Papinnii caſtrum Velinus fluvius e Reatinis erumpens lacubus, anguſto alveo, e recta, altaque rupe, quam *Marmora* dicunt, in Narem ingenti caſu, & fragore prolabitur, ibique admixtis aquis nomen amittit. Nar Interamnatium

L Ur-

a *Vaſari Vite de' Pitt. tom. I. pag. 318.*
b *Roma Moderna edit. 1740. tom. I. pag. 351.*
c *Vaſar. tom. III. pag. 318.*
d *Bellori Vite de' Pittori in Caracciis.*
e *Vaſari ubi ſupra pag. 324.*
f *Roma Moderna pag. 263.*

Urbem præterfluit, agrosque irrigat: inde sæpius inter Reatinos, & Interamnates dissidia, conantibus Reatinis, proniori, & profundiori alveo Velinum in subjecta loca deducere, eaque ratione paludes exsiccare, recusantibus Interamnatibus, ne subitis imbribus auctus Velinus tantas in Narem aquas effunderet, quæ Urbem ipsam, agrosque inundarent. Paulus III. an. MDXLVI. Velini alveum penè obstructum effodit, Sangallensis usus operâ, sed conquerentibus Interamnatibus iterum obstrui jussit. Fortasse Numus cusus est, quum adhuc opus integrum esset, adeo ut utriusque Urbis dissidia composita censerentur. Cæterum rem a Paulo, & ab aliis Pontificibus frustra tentatam, Clemens VIII. perfecit, magnis tamen sumtibus; nam cæsis utrinque montium lateribus, ne aquæ ingenio suo fluerent, Velinum novo alveo deduxit, ac, ne imbre auctus plus æquo turgens in Narem flueret, pontem inter utrasque ripas fieri jussit, quo velut aggere aquarum vis contineretur.

XXVI.

PAVLVS. III. PONT. MAX. A. XVI. *Caput nudatum, cum pluviali arabicè elaborato.*

Absque postica. [4]

Paulus III. XX. tantum dies ultra XV. annos vixit in Pontificatu, quia electus III. Idus Octobres anni MDXXXIV. obiit IV. Nonas Novembres anni MDXLIX. Et ideo si hac anni notâ leguntur cusa Numismata, dicendi sunt Artifices præproperam navasse operam.

XXVII.

19. PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XVI. *Caput nudum, cum pluviali, in quo S. Paulus*: *Inferius*: FE. DE. PARM.

ALMA. ROMA. *Urbis Romæ Ichnographia, cum prospectu ædificiorum.* [4.]

Mirabile hoc, rarumque Numisma optimè est cusum, & omni parte ita perfectum, ut non satis unquam laudari possit. Alterum quoque vidi, cum effigie in antica dextrorsum versa, ac in pluviali Portæ Sanctæ aperitione. Quare meritò suum nomen insculpsit Federicus *Parmensis* illustris iis temporibus Artifex [a]. Romam ornavit Paulus III. non solùm sacris, sed etiam publicis ædificiis, viisque directis, & ampliatis, ut legitur in basi Statuæ eidem erectæ in aula Capitolini Palatii, quam hic exhibemus.

PAV-

[a] *Vide in Præfat. nostra.*

Digitized by Google

PAVLO. III. PONT. MAX.
QVOD. EIVS. IVSSV. AVSPICIIS. ATQVE. AERE COLLATO. VRBEM. SITV. AC. DIVERTICVLIS VIARVM. DEFORMEM. ET. IMPERVIAM. DISIECTIS. MALE. POSITIS. AEDIFICIIS. IN. MELIOREM. FORMAM. REDEGERINT. VIIS. AREISQVE. CVM. VETERIBVS. DIRECTIS. ET. AMPLIATIS. TVM. NOVIS. CONSTITVTIS. AVXERINT ORNAVERINTQVE.

XXVIII.

PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XVI. — ROMA. *Caput Pontificis nudum, cum pluviali arabicè contexto.* 18.

S. PAVLVS — ALMA. ROMA. *S. Paulus stans cum ense in una, & libro in altera manu.* [5]

Icon S. Pauli apposita est, alludendo ad Pontificis nomen. De voce *Alma*, Sæculis aureis usitata, nihil ad ea, quæ R. P. *Bonannius* [a] scripsit, addam.

XXIX.

PAVLVS. III. PONT. OPT. MAX. AN. XVI. *Effigies cum camaleucio, & buri pallio.* 27.

TVSCVL. REST. *Adspectus Urbis Tusculanæ cum muris, & monimentis: extra eam villa cum literis:* RVFINA. [4]

Transtulit Paulus III. III. Idus Januarias anni MDXXXVIII. [b] suo consistoriali decreto titulum Episcopalem Tusculanum ad novum Tusculum, vulgo *Frascati*, tribuens illi honores, qui Episcopis Suburbicariis competunt. Illic Pontifex rusticabatur, ideoque multa construxit ædificia, & multis eam Urbem auxit ornamentis. Postquam rediit Nicæâ Provinciali Romam anno MDXXXVIII. eam frequentabat [c]. Variæ Villæ eo tempore Tusculum ambiebant, inter quæ *Rufinam* in Numismate delineatam hodie Falconeria Gens possidet, a Cardinale Alexandro Falconerio novissimè in meliorem formam redactam; in ea fortasse, quia in Numismate exprimitur, Paulus III. rusticabatur.

L 2 XXX.

a *Numism. Pont. tom. 1. pag. 217.*
b *Ex Actibus Consistorial. ejusdem anni.*
c *Ex Diar. Paul. Aretin. MSS.*

Digitized by Google

XXX.

12. PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XVI. *Caput nudum cum pluviali, in quo Pontifex portam Sanctam reserans exprimitur.*

ΦΕΡΝΗ. ΖΗΝΟΣ. ΕΥΡΑΙΝΕΙ. Dos Jovis benè aspergit. *Juvenis e vase quod humero dextero sustinet aquam fundens in plantam lilii, & lævam admovens alæ dexteræ Aquilæ, quæ ante pedes ejus stans ad volatum se accingit.* [4]

Multa ad hoc perpulchrum Numisma explicandum, effinxerunt *Lucbius*, *Molinetius*, & *Bonannius* [a]: Est, qui cusum credat, quum fœdus anno MDXLVI. in Protestantes iniretur. Sed epocha in Numismate signata facto non respondens, annus scilicet MDXLIX. Pontificis XVI., incerta illatio, & epigraphe ad illud significandum minime apta, hanc opinionem excludunt. Itaque nil aliud puto hoc symbolo significari, nisi curam, qua Jupiter domum Farnesiam prosequebatur, misso Ganymede ad irrigandum lilium, hujusce domus stegma, cœlesti adspersione. Hæc purior est explicatio, a qua donec meliorem inveniam, non recedam.

XXXI.

32. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, pluviale arabicè contextum.*

BENEDICTIO. DOMINI. SVPER. NOS. *Pontifex cum Tiara, & pluviali sedens super alto Throno, variis Ministris assistentibus, secus mare, benedicit triremes ante illum ordinatas.* [3]

Litore maris Tyrrheni ab Æneobarbo Pirata anno MDXXXV. vexato, Paulus III. cum Carolo V. societatem iniit ad eum profligandum. Pontifex XII. Triremes instruxit, quibus Virginium Ursinum, & Paulum Justinianum præfecit; iis Andreas ab Auria suas adjunxit, quibus classis XXXVIII. Navium [b] conflata est. Huic classi Centumcellis Pontifex mense Aprili solemni ritu bene precatus est; & IV. Kal. Majas Romam reversus ad divinam opem implorandam supplicationes indixit [c].

XXXII.

33. PAVLVS. III. PONT. MAXIMVS. *Caput nudum cum figura stante in pluviali.*

OMNES

a *Lucbius pag. 111. Molinetius pag. 51. Bonannius pag. 213. R. P. Jobertus in Numismatum Tractatu tom. 1. pag. 12. apocryphum, nullo fundamento, existimat, legitque* ΕΥΦΡΑΙΝΕΙ.

b *Paul. Jov. Histor. lib. 34.*

c *Martinelli in Diariis mss. Bibl. Vat.*

OMNES . GENTES . SERVIANT . EI . *Summus Sacerdos in medio Seniorum ostendens templum rotundum Viro armato ante ipsum genuflectenti, militibus, & equis subsequentibus.* [3]

Præter nostros Auctores, etiam *Luchius* [a] hoc Numisma adducit. Absque dubio figuræ, & versus e Psalmorum libro [b] erutus ad vexillum, & ensem isthac occasione Virginio *Ursino*, & Andreæ ab *Auria* donatos [c], alludit. Audiamus *Martinellium*: *Die Veneris* (sic inquit in suis Diariis) *prima Januarii anno* MDXXXV. *post missam in Capella majori celebratam a Cardinali Senensi, in camera paramentis depositis, vocasse Cardinales, cum quibus deliberavit transmittere ensem, & pileum benedictum Illmo Principi D. Andreæ de Auria absenti, tamquam optimo Duci contra infideles, qua de re omnes lætati fuere*. Numisma cudit Alexander *a Cæsaribus* cognominatus *Græcus*, juxta *Vasarium*, cujus verba [d] sic latinè sonant. *Qui illum mirabilem Artificem vult dignoscere, Numisma ab eo in honorem Pauli cusum videat, cum effigie, quæ viva videtur, cumque postica, in qua Alexander Magnus pedibus summi Sacerdotis Jerosolymitani provolutus eum adorat*. Optima est cælatura numismatis, ut nemo meliorem possit effingere.

XXXIII.

PAVLVS . III. PONT. MAXIMVS. *Effigies nudato capite, cum pluviali, ut supra*.

MATVRE. *Delphinus cauda cocodrillum circumdans*. [4]

Cum Solymanus Corcyram oppugnare minaretur, fœdus Imperatorem inter, & Venetos initum est, Pontifice auctore, ad cujus prudentiam alludit Numisma, quod apud *Luchium* [e] etiam videre licet: Pontifex namque suis officiis, & sollicitudine delusit astus, viresque Christiano nomini hostis infensissimi. Ad XVII. Kal. Octobr. anni MDXXXVII. fœdus signatum est, & VII. Idus Januarias sequentis anni in Consistorio, teste Paulo Aretino [f], Patriarcha Aquilejensis, tradito ei per Pontificem vexillo, classis Dux electus fuit. Accipe verba Johannis Francisci Firmiani cæremoniis Præfecti in suis Diariis: *Prædictus Patriarcha stabat genuflexus ad pedes Papæ indutus mantello de Zabellotto, & Papa benedixit, & aspersit, & insigit pe-*

a *In Sylloge Num. pag. 91.*
b *Psalm. LXXI. v. 11.*
c *Jov. Histor. lib. 34.*
d *Vasar. Vite part. 2. pag. 291. edit. Florent.*
e *In Sylloge. pag. 91.*
f *Diar. MSS.*

pectori suo Crucem de raso cremisino, deinde dedit, & benedixit vexilla Ecclesiæ, & suæ Sanctitatis, nec imposita hastis; tandem tradidit ei baculum, qui osculatus fuit pedem, & manum suæ Sanctitatis, & receptus ad osculum oris.

XXXIV.

40. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, pluviale arabicum.*

ΝΙΚΗΤΗΡΙΟΝ. Festum pro Victoria, *in medio circuli, e quo surgunt tres parvæ spicæ, ramis duobus palmæ, & lauri circumdatæ.* [4]

Est rarum hoc Numisma, & designat Festa Romæ celebrata pro victoria a Carolo V.[a] propè Tunetum de Turcharum classe relata, Romæque XIII. Pontificatus anno, qui in MDXLVI. incidebat, publicata. Varia exempla apud veteres etiam habemus Numismatum ob aliquam Victoriam cusorum, & Populo elargitorum.

XXXV.

38. PAVLVS. III. PONT. MAX. A. XVI. *Caput nudatum, cum quodam stante in pluviali.*

IN. VIRTVTE. TVA. SERVATI. SVMVS. *Unicornu in medio aliorum animalium cornu in flumine mergens, & serpentes fugans.* [4]

Ni fallor, indicat rarum hoc, & pulchrum Numisma quietem Italiæ restitutam a Paulo Pontifice, Corcyrâ ejus cura obsidione liberatâ, quæ a Solymano Imperatore Turcharum tenebatur. Audita Victoria, inquit Petrus *Firmianus* in Diariis, *mandavit, in gratiarum actionem fieri Processiones a S. Marco ad S. Mariam Majorem, ubi dicta fuit Missa solemnis præsente Pontifice, Episcopus Viterbiensis habuit orationem luculentam de Victoria habita contra infideles, qua expleta Pontifex incepit* Te Deum.

XXXVI.

28. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies præcedenti similis.*

FLEXV. APTO. PRAECVRRE. *Auriga flagrum dextera tenens, quadrigam ducit circa obeliscum.* [5]

Nullus alius exprimi potest in hac postica, ad normam antiquorum[b] efformata, nisi Pontifex, qui sua prudentia, & virtute Prædecessores suos gloria, & felicitate regiminis superare fategit. Ipse quidem suopte ingenio Caroli V. & Francisci I. animos inter se conjunxit,

a *Ulloa in Vita Caroli V.*

b *Videsis Agostin. Ful. Ursin. &c.*

Digitized by Google

xit, tali eloquio prræditus, ut juxta *Ciacconium*[a], *animos ipsos facilè pro libito flecteret*.

XXXVII.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedentes*. 9.

DIRIGENTVR. PEDES. NOSTRI. IN. VIAM. PACIS. *Iris inter nubes, & infra in medio*: FOEDERE. TVO. DEVS. [4]

Pacem supra memoratam, hoc etiam Numisma exprimit. Induciæ ad decem annos, Paulo III. Mediatore, ad XIV. Kal. Quintil. anni MDXXXVIII. inter Carolum V. & Franciscum I. pactæ sunt. Nicæam Pontifex se contulit, quo duo hi Principes convenerant; Post multos denique tractatus ad XVII. Kal. Octobres anni MDXLIV.[b] pax firmata est, summo Pontificis gaudio; narrat enim Johannes Franciscus Firmianus in suis Diariis, præclara eum dedisse lætitiæ signa, publicis gratiarum actionibus pro beneficio Deo indictis.

XXXVIII.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput, ut numero XX.* 40.

PAVLVS. III. PONT. MAX. AN. XIIII. *Circulus, in cujus medio*: ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΤΩ. ΠΑΝΤ. Pontifici Maximo, ac beato. [4]

Verbum ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ in Numismatibus Græcis summum significat Sacerdotium alicujus Provinciæ, ut ΙΕΡΕΥΣ alicujus Urbis[c]. Etiam inter Latinos, Imperatores hoc titulo decorati sunt, ut videre est in Lepidi, Augusti, aliorumque Numismatibus[d]. Hæc dignitas res sacras respicit penes omnes religiones.

XXXIX.

PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedentes*. 20.

DOMVS. MEA. DO. OR. *Templum, in quo Christus flagello percutiens viros, & mulieres fugientes, & inde auferentes columbas, & alia, quæ ibi erant venalia*. [5]

Repræsentat pulcherrimum hoc Numisma studium, quo Pontifex tenebatur, ut Romanos a pravis moribus revocaret, Cardinalium, & Præsulum[e] conventibus ad id institutis, præsertim ut cultum Ecclesiarum restitueret. Unde a *Panvinio*[f] hoc præsertim nomine laudatur.

XL.

a *In Vita*.
b *Ciaccon. in vita col. 537.*
c *Vaillant. Num. Græc. pag. 310.*
d *Ful. Ursin. in Num. Familiar.*
e *Oldoin. post Ciaccon. pag. 546.*
f *Post Plat. in Vit. Pontif.*

XL.

21. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, pluviale arabicè contextum.*

CIRCVMDATE. SION. *Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli capita.* [4]

XLI.

14. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut praecedens.*

IVSTI. INTRABVNT. PER. EAM. *Porta, in cujus medio legitur:* PORTA. DNI. *In exergo:* ROMA. C. [4]

XLII.

15. PAVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali, in quo Pontifex Portam Sanctam aperiens.*

IVSTI. INTABVNT. PER. EAM. *Porta Sancta a tribus Angelis elata. In medio:* AN. DOM. MDL. *& parvum signum in fine.* [4]

Hac Numismata cum anno Jubilei, inveniuntur cum effigie tum Pauli III., quum Julii III. Jam superiùs ab Artificibus ante eum annum cusa dixi; indictio enim Jubilei anno MDXLIX. cadente erat publicanda; sed mortuo IV. Idus Novembres ejusdem anni Paulo, id per eum fieri non potuit; & nonnisi Februario mense referatæ sunt Portæ Sanctæ a Successore Julio III. festo die S. Mathiæ, ideo Artifices in Numismatibus effigiem tantùm hujus renovarunt.

XLIII.

36. SEDE. VACANTE. 1550. *Cardinalis Sfortiæ Camerarii Insignia Farnesiorum stemmati inserta; super pileo Cardinalitio umbella, & duæ claves decussatæ.* [4]

Hoc Numisma, quod mihi denarius potius videtur, cusum est a S. R. E. Cardinali Camerario Guidone Ascanio, quem Constantia Pauli filia genuit ex Bosone Sfortia S. Floræ Comite. Is creatus est Cardinalis anno MDXXXIV. & comitiis interfuit Julii III. Pauli IV., & Pii IV. obiitque anno MDLXIV.[a] Umbella, quam Confalonem dicunt, & claves sunt supremæ potestatis Ecclesiæ symbola[b]. Qui explicatiùs hæc nosse cupit, adeat R. P. *Bonannium*[c].

Johan-

a *Oldoin. tom. 3. post Ciaccon. col. 556.*
b *August. Fivizz. de Ritu Crucis prafer. coram Pontif.*
c *Numism. Pont. tom. 1. pag. 234. & seq.*



JOhannes Maria Cardinalis *e Monte*, electus Pontifex Idibus Febr. anni MDL. nomen sibi imposuit Julii III., obiitque XII. Kal. April. anni MDLV., & in Basilica Vaticana sepultus est lateritio, privatoque sepulcro.

I.

IVLIVS. III. PONT. MAXIMVS. *Effigies Pontificis barbata, & nudato capite, in pluviali insculpta est imago ejusdem, qui Portam Sanctam aperit, inferius lauri, & olivæ rami invicem colligati.* 1, 2.

ANNO. IOBILÆO. MDL. *Frons Basilicæ S. Petri, & inferius:* PETRO. APOST. PRINC. [4]

Hæc postica, uti dictum est, vivente adhuc Paulo III. fuit cusa. Basilicam S. Petri sub Julio II. anno MDVI. Architecto Bramante, qui obiit an. MDXIV. inchoatam, prosequutus est Raphael Urbinas, post cujus decessum Paulus III. anno MDXLVI., & successor Julius III. Michaeli Angelo *Bonarrotio* opus commiserunt; is externam Templi faciem ad novum modulum tiburtino lapide intexit, internam magnifice

ornavit [a]. Bonarrotio anno MDXIV. successit Jacobus Barotius a Vignola, ædificioque præfuit ad annum MDLXXXIII. eique substitutus est Jacobus a Porta.

II.

3. IVLIVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali arabicè contexto.*

HAEC. PORTA. DOMINI. MDL. *Hæc verba a tribus parvis Montibus loco punctorum dividuntur. Porta, in cujus medio:* IVSTI. INTRABVNT. PER. EAM; *& in exergo:* ROMA. *inter memorata puncta.* [4]

III.

4. IVLIVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

IVLIVS. III. PONT. OPT. MAX. *Porta, in cujus medio:* ANNO. IVBILEI. *In exergo:* ROMA. [4]

IV.

5. IVLIVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

MDL. APERVIT. ET. CLAVSIT. *Porta Sancta clausa cum Cruce in medio ejus; e latere Pontificis Insignia, duæ nempe coronæ quernæ, inter quas fascia oblique flegmatis scutum secans, in qua tres montium acervi, quorum quisque totidem constat montibus; in exergo:* ROMA. [4]

V.

29. IVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali, in quo Pontifex Portam Sanctam claudens.*

AN. IVBILEI. APERVIT. ET. CLAVSIT. *Porta Sancta clausa, in cujus medio Crux; in exergo:* M. D. L. [4]

Julius III. Pontificatum assumsit, ut diximus, Idibus Februar. anni MDL. & festo die Cathedræ S. Petri solemni ritu coronatus, mox die XXV. Febr. S. Mathiæ Apostolo dicato, more majorum, quatuor Portas sacras reseravit, & annum Jubilei MDL. auspicatus est. Frequens admodum eo anno populus Romam venit, ex sola tamen Italia, ut asserit Panvinius [b]. Insequentis anni MDLI. Epiphaniæ Festo die multis cæremoniis, magnaque pompa iterum Portæ Sanctæ fuerunt occlusæ [c].

VI.

---

a *Vide Bonannii, & Equitis Fontanæ Basil. Vatic. Ichnographiam.*
b *Post Platin. in vita pag. 533.*
c *Phœbæus de Jubil. pag. 161.*

VI.

IVLIVS. III. PONT. MAX. AN. IVBILAEI. *Caput, ut numero praecedenti.* 8.

HILARITAS. PVBLICA. *Mulier stans, cum cornucopiae in dextera, palma in laeva, duobus hinc inde puerulis nudis stantibus.* [5]

VII.

IVLVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum cum pluviali arabicè contexto.* 9.

HILARITAS. PONTIFICIA. *Mulier stans cum cornucopiae, & palma: Haud longe dolium ardens; & in exergo:* ROMA. [5]

VIII.

IVLIVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut numero praecedenti.* 7.

HILARITAS. PVBLICA. *Mulier cum cornucopiae, & palma stans supra tres Montes floribus redimitos, e latere corona quercna.* [4]

Memorat *Vasarius*, quoddam hujus Pontificis Numisma ab Alexandro a Caesaribus, cui agnomen *Graeco*, cusum, his verbis latinè versis: *Hic in Julii III. Pontificis honorem anno Sancto* MDL. *Numisma cudit; in postica captivi erant, qui antiquorum more, Jubilei tempore, carcere emittebantur: Numisma sanè pulcherrimum, & rarum, ut illud in Museis, qui nunc sunt, reperire nequiverim.* Primus Julii Pontificatus annus laetus admodum Populo Romano fuit, tum propter Jubileum, quum ob rempublicam a Pontifice restitutam. Audiamus Ciacconium; Julius erat, *nec in puniendo acerbus, nec indulgendo remissus, omnium Civium, & Populi animos, grato imperio, beneficentia, & mansuetudine promereri cupiebat* [a]. Numismatum VI., & VIII. partes posticae, exempla sunt Numorum Pauli II. num. IX., & X. & ad vetustorum normam omnia esse efformata jam dixi. Posterius hoc mihi denuo cusum videtur, quum in eo satis appareant insignia nostri Pontificis, montes nempe, & corona, quae illarum partem constituunt. Quod num. VII. retulimus, quum non viderim, vereor ne, quod Bonannius dolium accensum putat ex eo, quia Romanis mos est in laetitiae signum dolia incendere, sit potius congium spicis plenum, eoque antiquorum more, significetur copia annonae Pontificis curâ parata, qua Populus laetatus est, etenim, ut Panvinius [b] ait, cum frumenti inopia Roma laboraret, Pontifex advecta ab exteris regionibus annona

M 2

a *Ciaccon. col. 724.*
b *Post Platin. tom. 2. pag. 334.*

nona Civium saluti consuluit; contigit id secundo ineunte Pontificatus anno.

IX.

27. IVLIVS. III. PONT. MAX. AN. III. *Caput Pontificis cum Tiara, multisque Iconibus in pluviali.*

BEATI. QVI. CVSTODIVNT. VIAS. MEAS. *Caput Salvatoris cum diademate.* [4]

Hæc epigraphe, ut puto, alludit indictioni Concilii Œcumenici Tridentini, ad reformandos corruptos Ecclesiæ mores, & examinandas vigentes cum hæreticis controversias coacti. Sic *Panvinius* [a]: *Primo Pontificatus sui anno publico Diplomate generalem Christianorum Conventum Tridenti inchoatum, & a Paulo III. Bononiam translatum, rursum ad proximas Kal. Maji anni sequentis Tridenti instaurandum, & continuandum indixit. Quod diploma ad Carolum V. Cæsarem ab eodem missum, quum Imperialis Conventus Augustæ Vindelicorum ageretur, in optimatum Conventu Imperatoris jussu est publicatum. Confluxere tunc ex Germania, Hispania, & Italia Episcopi aliquot, missusque pro more Apostolicæ Sedis Legatus Marcellus Crescentius Cardinalis Presbyter tit. S. Marcelli, & cum eo duo assessores, Sebastianus Piginus Archiep. Sipontinus, & Luisius Lipomanus Epist. Veronensis, qui Pontificis nomine Concilio præessent.*

X.

6. IVLVS. III. PONT. MAX. *Effigies, ut numero IX.*

PAX. ITALIAE. RESTITVTA. *Mulier sedens turrita, cum cornucopiæ in dextera, & olivæ ramo in læva.* [6]

Fuit hic Pontifex pacificus; ideo ad Pontificatum vix adscenderat, quum Octavio Farnesio Duci Parmam restituit, vicosque aliquot Ascanio Columnæ; & ad seditiones in Etruria sedandas, Viterbium adiit anno MDLIII. [b] Jure itaque dicitur in parvo hoc Numismate, Restitutor Italicæ Pacis, ad mentem antiquorum, quum in Trajani Numo dicatur: RESTITVTORI. ITALIAE [c].

XI.

16. IVLIVS. III. P. M. CAMERA. APOST. *Caput nudum cum pluviali arabicè contexto.*

POR-

a *Post Plat. tom. 2. pag. 534.*
b *Ciaccon. col. 745. Oldoin. col. 754.*
c *Mediobarb. Numism. pag. 154. 157.*

PORTVS. ET. REFVGIVM. NATIONVM. *Portus cum Pharo, in quo aliquot Naves, ac Triremes.* [6]

Refert Vasarius [a], Julium III. Centumcellas petiisse, illas muniturum, ductis ad hoc Johanne Paulo Balleonio, Vitellio, & Petro Navarro, ac Neapoli accito celebri Architecto Antonio Marchesio. Inter omnes, qui arcis Ichnographiam delinearunt, unus Antonius Sangallius electus est, cui opus commisit Julius. Numisma hoc, licet admodum exiguæ molis, perpulchrum tamen, ex iis est, quæ quotannis Cardinalibus, & Cameræ Apostolicæ Clericis, aliisque, qui Romanæ Curiæ munia quædam obeunt, festo die S. Petri distribui solent.

XII.

IVLIVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali, in quo templum populo frequens.*

PORTVS. CENTVMCELL. INSTAVR. VRBEMQVE. VALLO. AVXIT. *Adspectus Portus Centumcellarum.* [5]

XIII.

IVLIVS. III. PONT. MAX. A. III. *Caput nudum, & in pluviali icones variæ.* 14.

ΚΡΑΤΟΥΜΑΙ. Vincor. *Mulier, deposito in litore speculo a serpente circumvoluto, capillos arripit mulieris, quæ natanti Delphino insidet, gestatque pannum volitantem supra caput.* [4]

Hoc erudito Numismate prudentia ostenditur Pontificis, qua Fortunam dicitur superasse, capillisque arripuisse. Et quidem is etiam prius, quam Pontificatum summum obtineret, naviter omnia obivit munia, quibus summam sibi laudem comparavit; sed Pontifex factus spem fefellit [b].

XIV.

Aliud prorsus simile vidi, excepto anno Pontificatus, cujus nota deest, alterumque cum anno IIII. [4]

XV.

IVLIVS. III. PONT. MAX. ANN. IIII. *Caput nudum cum pluviali, in quo variæ icones. In exergo palmæ, & lauri rami colligati.* 24.

FONS. VIRGINIS. *Ædium adspectus. In exergo*: VILLAE. IVLIAE. [5]

Villa ab hoc Pontifice constructa, Julia hac de causa appellata, extra viam

a *Vite de' Pittori tom. 2.*
b *Panvin. ubi supra pag. 539.*

Digitized by Google

viam Flaminiam sita est haud procul ab Urbe, ejus facies in hoc pulcherrimo Numismate cernitur. Domus Architectus fuit Michael Angelus Bonarrotius, lacus salientes, Amphitheatrum, cæteraque ædificia ornavit Ammannatus [a]; neque tamen opus totum absolutum fuit, quippe adhuc imperfectum est. Copia aquarum, quæ ibi fluebant, quarumque pars etiam fluit, ab aquæ virginis ductu derivata est, ut in Numismate etiam notatur. Istic Pontifex sæpè cum Cardinalibus, ut ait Panvinius [b], rusticabatur.

XVI.

IVLIVS. III. PONT. MAX. ANNO. IIII. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & palliolo.*

FVNDAMENTA. EIVS. IN. MONTIBVS. SANCTIS. *Ecclesiæ supra montem positæ adspectus.* [2]

Vasarius hoc maximi moduli Numisma, mirè exponit [c]: *Voluit Papa Julius*, inquit, *in Ecclesia S. Petri* (*in monte aureo*) *Sacellum marmoreum construi, cum duplici monumento, pro Antonio scilicet Cardinali de Monte Patruo, & pro Fabiano Avo Pontificis, primo Illustris domus Auctore: Quod quum Vasarius delineasset, Pontifex a Michaele Angelo pretium operis statui jussit: Tunc Vasarius Pontificem rogavit, ut Michaeli Angelo rem totam mandaret, qui minimè incidendas duxit cælaturas a Vasario delineatas, sed marmorea tantum signa Michaelis Angeli consilio a Bartholomæo Ammannato sculpta.* Sacellum hoc videmus adhuc, & admiramur, sed quare Pontifex Ecclesiam potius S. Petri, quam Sacelli faciem cudi jusserit, ignoramus.

XVII.

10. IVLIVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali arabicè ornato.*

NOS. AVTEM. POPVLVS. EIVS. ET. OVES. PASCVAE. EIVS. *Collis, supra quem multæ oves pabulantur.* [4]

R. P. Bonannius contendit designari hìc indulgentias in forma Jubilei concessas Indis Neochristianis S. Ignatii precibus. Melius, me Judice, R. P. *Molinetius* [d], qui eo symbolo significari ait reditum Angliæ ad Catholicam religionem opera Reginæ Mariæ, & ejus gentis

---

a *Baglioni Vite de' Pittori pag. 28.*
b *Apud Ciaccon. col. 746.*
c *Vite de' Pittori tomo 3. pag. 171.*
d *Histor. Pontif. per Numis. pag. 59.*

tis preces, ut in Ecclesiæ gremium reversas Pontifex exciperet. *Panvinius* auctor est[a], *Oratores suos Romam reliquorum Christianorum Principum more ad Pontificis venerationem, & obedientiam præstandam misisse, veniam, & peccatorum condonationem precantes.*

XVIII.

IVLIVS. III. PONT. M. A. III. *Caput cum Tiara, & pluviali arabici operis.* 11.

GENS. ET. REGNVM. QVOD. NON. SERVIERIT. TIBI. PERIBIT. *intra coronam lauream.* [5]

Bimardius Baro hoc Numisma refert in libro P. *Jobertii*, cui titulus *Scientia Numismatum*[b]. Hic cusum existimat ab Hæreticis odium in Pontifices conciliaturis, quasi Orbis dominium adfectantes: Sed animadvertendum, etiam in Pauli III. Numismate similia legi, nempe: OMNES. REGES. SERVIENT. EI. scilicet, Deo Optimo Maximo, eodem prorsus sensu, quo ab Isaia fuerunt verba expressa. Itaque nulla ratio suadet, cur in isto Numismate alius sit verborum sensus; quæ præterea optimè congruunt obedientiæ, quam erga Pontificem professi sunt Catholici Principes Europæ, quin & Angliæ Regina, ac ipsi Nestoriani[c].

XIX.

IVLIVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali arabicè contexto.* 12.

EGO. SVM. VIA. VERITAS. ET. VITA. *Salvatoris caput inter nubes benedicentis una manu, altera Terrarum Orbem cruce insignitum sustinentis.* [5]

Referre possumus Numisma ad memoratam Angliæ conversionem, vel ad Concilium Tridentinum, in quo de vera Evangelica doctrina a Christo tradita, agendum erat.

XX.

IVLIVS. TERTIVS. PONT. MAX. A. V. *Caput nudum, cum pluviali, in quo figura stans.* 15.

ANGLIA. RESVRGES. *Mulier genibus flexa cum Arcu, & Pharetra; cui manus porrigit Pontifex Tiara, & pluviali ornatus, & medius inter duos Principes, alia mulier, & Cardinalis, prope quem*

a *Ubi supra pag. 539.*
b *Tom. 1. pag. 21. edit. Parif. 1739.*
c *Post Ciaccon. Oldoin. col. 752.*

Digitized by Google

quem Crux elevata; *in exergo*: VT. NVNC. NOVISSIMO. DIE. [4]

Quisque novit, Angliam repræsentari hoc Pontifice Ecclesiæ restitutam: Pontifici assistentes, ii sunt, quorum opera id actum est [a]. Alter fortasse est Carolus V. Imperator, utpote corona Imperiali, & aurei Velleris monili insignitus, alter Philippus ejus filius Hispaniarum Rex, hujus enim gentis more indutus cernitur; mulier, ipsa est Regina Maria, Catharinæ, & Henrici VIII. filia: Cardinalis, Reginaldus Polus cum Pileo Cardinalitio, & Cruce, utpote Apostolicus Legatus, qui ejusmodi conversionis pœne auctor fuit. Epigraphe mutuata est a Numismatibus Vespasiani, & Severi [b]: Ab Antonini [c] figura Angliæ. Notandum hoc Numisma ab aliquibus esse adulteratum.

XXI.

13. IVLIVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum*, *cum pluviali*, *in quo variæ Icones*.

ANNONA. PONT. A. V. *Mulier sedens supra tres Montes*, *ad quos retro prora navis ornatissima*, *altera manu cornucopiæ*, *altera aliquot spicas tenet*, *& in anteriori parte vas cum pomis*, *& spicis*: *In exergo duo querni rami invicem flexi coronam referentes*. [5]

Annonæ caritatem, qua, ut memoravimus, Roma præmebatur, ex hoc Numismate accidisse dignoscimus v. Pontificis Julii anno, qui Urbis incolumitati prospexit, *tritico advecto*, ut ait *Panvinius* [d], ideo hic exprimitur prora navis, adamussim imitato, ut videtur, Numismate maximi moduli Antonini, Bibliothecæ Vaticanæ, a me jam declarato [e]; adjunguntur verò montes, & querna corona, Pontificis Insignia.

XXII.

22. D. IVLIVS. III. REIP. CHRISTIANAE. REX. AC. PATER. *Caput nudum*, *& pluviale*, *cum duabus figuris stantibus*.

IMMANE. PONDVS. VIRES. INFRACTÆ. *Vir nudus*, *altero genu in terram flexo*, *globum sustinens*, *in quo Zodiacus cum signo Scorpionis*. [3]

Atlas repræsentatur, Cœlestem globum sustinens, ab Antonini Numis-

a *Ciaccon. col. 746.*
b *Mediobarb. Num. pag. 112. & 271.*
c *Idem pag. 193. 1. 6.*
d *Loco cit. & apud Ciaccon.*
e *Numis. max. mod. Vatic. tom. 1.*

miſmate maximi moduli a me relato[a] ſumtâ formâ. Ab emblemate eruimus, licet viribus ponderi imparibus, magna tamen conſtantia demandatum ſibi Eccleſiæ regimen Pontificem ſuſtinuiſſe. Cuſum exiſtimat *Luchius*[b] Numiſma ob Parmenſe bellum initum anno MDLI. in Ducem Octavium Farneſium, ſuoſque ſocios, in quo licet Pontificis copiæ inferiores eſſent, ipſe tamen omni videbatur conſtantiâ ſuam cauſam promoturus.

XXIII.

IVLIVS. III. PONT. MAX. A. V. *Caput nudum cum pluviali ornatiſſimo.* 20.

VIRGO. TVA. GLORIA. PARTVS. *B. Virginis effigies ſuper nubes ſedentis, cum Puero Jeſu in ulnis.* [5]

Tres denarii a *Scilla*[c] producuntur, ſed minoris formæ, & aliquantulum a noſtro Numiſmate diverſi. Pontifex ob ſuum in B. Virginem obſequium Roſa aurea Eccleſiam S. Mariæ Majoris donavit; & Lauretanam Domum[d] inſtruxit, multiſque privilegiis cumulavit.

XXIV.

IVLIVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali operis arabici.* 17.

CLAVES. REGNI. CAELOR. *Chriſtus ſtans claves B. Petro tradit, qui genu in terram flexo illas recipit.* [5]

XXV.

IVLIVS. III. PONT. MAX. A. IIII. *Effigies, ut numero præcedenti.* 18.

S. PETRVS. S. PAVLVS. *Ædificium cum columnis, in quod S. Petrus claves, & librum geſtans ingreditur; poſt quem S. Paulus.* [5]

XXVI.

IVLIVS. III. PONT. MAX. *Eadem effigies.*

DIVO. PETRO. APOST. PRINCIPI. *Litteris puncta interjecta, quæ tres montes referunt. Effigies B. Petri dextrorſum verſa, cum aureola.* [4] 19.

Hæc Numiſmata fortaſſe in S. Petri feſto Camera Apoſtolica cudi curavit: niſi potius in honorem Principum Apoſtolorum, ut moris eſt, ea ſunt cuſa.

a *Ubi ſupra.*
b *Syllog. Numiſ. pag.* 141.
c *Delle Monete Pontif. pag.* 46. & 47.
d *Turſellin. & Martorelli hiſt. Laur. lib.* 3. *cap.* 12.

XXVII.

28. IVLIVS. III. PONT. MAX. *Caput nudum, pluviale variis imaginibus insignitum.*

SECVRITAS. POPVLI. ROMANI. *Mulier seminuda sedens, una manu caput sustinet, alia hastam tenet; ara ante illam cum igne, & accensa face; In exergo:* ALMA. ROMA. [4]

Expressum est emblema ex Numismatibus Pauli III. sed non eâdem formâ. Pacificus, & humanus Pontifex designatur, qui Populum Romanum ab omni periculo reddebat incolumem.

XXVIII.

25. IVLIVS. III. PONT. MAX. *Effigies eadem.*

NVLLA. CARIOR. *Mulier armis induta supra armorum, & librorum acervum sedens, librum manu tenet. Ante eam tres montes parvi palmis, & spicis ornati: In exergo:* BONONIA. [4]

Ut Veteres Romam effingi curarunt, ita hic in muliere Bononia armis non solum, sed etiam litteris celebris, utpote *Studiorum Mater*, repræsentatur. A Paulo III. Cardinalis de Monte (postea Julius III.) Legatus Bononiensis designatus fuit [a]; quare cusum arbitror Numisma ab illius Urbis Magistratu in ejus honorem.

XXIX.

26. IVLIVS. III. PONT. MAX. *Caput cum camaleucio, & brevi pallio.*

DIVVS. PAVLVS. III. PONT. OPT. MAX. *Effigies Pauli III. cum pileolo, & tegillo.* [4]

Mos fuit apud Veteres, defunctos Imperatores honoribus prosequi, DIVOS nuncupare, eorumque effigiem Numismatibus insculpere. Sic Trajanus non solum Nervam prædecessorem in suis expressit, sed etiam Trajanum Patrem [b]. Jure igitur Julius Pontifex Maximus beneficiorum memor Paulo III. se gratum præbuit, quum ab eodem Auditor Cameræ, deinde Cardinalis, ac Bononiæ Legatus, electus fuerit, ac demum anno MDXXX. ad Concilium Tridentinum missus, ut Apostolicæ Sedis vices ageret.

Mar-

a *Panvin. in Vita pag. 533.*
b *Morell. Spec. Rei Num. pag. 29.*



Arcellus e Monte Politiano in Etruria oriundus, gentis *Cervinæ*, Cardinalis Tit. S. Crucis in Hierusalem a Paulo III. creatus, Pontificatum adeptus est IV. Idus Apriles anni MDLV., & III. Kalendas Majas anni ejusdem mortuus, in Basilica Vaticana fuit tumulatus.

I.

MARCELLVS. II. PONT. MAX. *Caput Pontificis nudum, cum pluviali variis operibus ornato.* 5.

HILARITAS. PONTIFICIA. *Mulier stans cornucopiæ dextera tenet, & læva palmam, quæ terram usque pertingit, e latere dolium ardens: In exergo:* ROMA. [5]

Hæc postica eadem est, ac altera in Julii III. Numismate, cui effigies novi Pontificis ab Artifice angustiâ temporis aptata est. Dignum notatu est ardens dolium; Quamvis illud esset ne tale, an secus, alibi dubitaverim, nunc omni dubitatione decessi, quum in serie Numismatum Marchionis Jo. Petri Lucatellii Romæ adservatorum

Digitized by Google

præſens Numiſma viderim, eòque etiam in altero dolium ineſſe puto.

II.

1.2. MARCELLVS. II. PONT. MAX. *Caput nudum, pluviale, in quo ara, cum miniſtris.*

CLAVES. REGNI. COELOR. *Chriſtus S. Petro claves tradens, qui eas genuflexus accipit. In exergo:* ROMA.

Etiam hoc Numiſma ad normam alterius Julii III. ſupra nobis memorati, eſt reſtitutum. Ambo adludunt ad proprium Pontificem recèns electum, gaudiumque Populi, in ſummam ſpem erecti [a].

III.

MARCELLVS. II. PONT. MAX. *Caput nudum cum arabici operis pluviali.*

Chriſtus diſputans in medio Doctorum. [4]

Emblema ex Numiſmatibus aliquot Pauli III. eſt ſumtum; ſine tamen epigraphe cuſum eſt hoc Numiſma, quod a Bonannio prætéritum eſt. In eo alluditur, vel Marcelli Concilio Tridentino præſidentiæ, vel illius animo continuationi Concilii propenſo.

IV.

4. MARCELLVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedenti.*

FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA. *Tres mulieres ſtantes; Quæ in medio enſem, libramque una manu, jugum altera tenet; Alia ſuper cornucopiæ inverſo manu incumbit; Tertia ciſtam cum pomis una, manu altera facem præbet, quacum aliquot ſcuta comburit. In exergo:* MEMORIAE. OPTIMI. PONTIFICIS. [4]

Hoc Numiſma, cui quid ſimile ſub Leone X. obſervavimus, deſcribit optimam Pontificis voluntatem, qui ſi vixiſſet, optata pace,& rerum copia ſubditos donaſſet. Ab epigraphe: MEMORIAE. OPTIMI. PONTIFICIS. cuſum illud exiſtimo poſt Pontificis mortem.

V.

3. MARCELLVS. II. PONT. MAX. *Nulla effigies.*

Mulier ſedens, ſupra ſtylobaten incumbit, & una manu apertum librum, altera gubernaculum tenet; & ſecus illam ædificium templo ſimile. [3]

Pontificis Marcelli prudentiæ in Eccleſia gubernanda, ortæ ab indefeſſo ſtudio ſcientiarum ſacrarum, & humanarum, quæ a moribus ſan-

a Ciaccon. col. 802. 805.

ſanctis, vitæ integritate, necnon juſtitiæ amore ſociata, admirabilem Pontificem reddidit, in hoc Numiſmate adluditur. *Ciacconius* hæc in ejus vita [a] de *Marcello* retulit: *Juſtitiæ cultor ab Oratore Regis Hiſpaniæ pro nobiliſſimo quodam viro Romano homicidii veniam ſupplicante exorari nunquam potuit*, *hæc verba ſubjiciens*, *nequaquam ſibi placere ab homicidii abſolutione Pontificatum inire*.

VI.

MARCELLVS. II. PONT. MAX. *Caput nudum*, *cum pluviali arabicè efformato*. 6.

SI. POSSIBILE. EST. TRANSEAT. A. ME. CALIX. ISTE. *Chriſtus orans in monte arboribus conſito*: *ante illum caput Seraphim*: *In montis radicibus tres Apoſtoli dormientes*. [4]

R. P. *Oldoinus* [b], qui Numiſma vidiſſe narrat, cuſum credit illud ſtatim, ac Marcellus Pontifex creatus eſt, ægrè tamen, & mœrens, quaſi quid ſibi adverſum accidiſſet, ea erat modeſtia, & morum integritate præditus.

Fuit

a *Col.* 801.
b *Col.* 808.

Digitized by Google



FUit Johannes Petrus Cardinalis *Carafa* Neapolitanus ad Pontificatum evectus x. Kal. Junias anni MDLV. obiit xv. Kal. Septembris anni MDLIX.; primò privatim sepultus est in Basilica Vaticana, inde sub Pio V. in Ecclesiæ S. Mariæ supra Minervam magnifico sepulchro cum hac inscriptione.

IESV. CHRISTO. SPEI. AC. VITAE. FIDELIVM. PAVLO. IV. CARAFAE. PONTIFICI. MAXIMO. ELOQVENTIA. DOCTRINA. SAPIENTIA. SINGVLARI. INNOCENTIA. LIBERALITATE. ANIMI. MAGNITVDINE. PRAESTANTI. SCELERVM. INTEGERRIMO. CATHOLICAE. FIDEI. ACERRIMO. PROPVGNATORI. PIVS. V. PONT. MAX. GRATI. ET. PII. ANIMI. MONVMENTVM. POSVIT. VIXIT. ANNOS. LXXXIII. M. I. D. XX. OBIIT. MDLIX. QVINTODECIMO. KAL. SEPT. PONT. SVI. ANNO. V.

I.

Digitized by Google

I.

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. M. *Pontificis effigies barbata cum pileolo, & palliolo.*

Gentis Carafæ insignia tres fasciæ horizontales. [4] 1.2.

E Germania illustrem hanc gentem egressam, Pisis primum, deindè Neapoli sedem fixisse fama est, ibique splendidè viventem summos honores esse adeptam. Diomedes Carafa Pauli IV. Avus apud Ferdinandum I. Neapolit. Regem in magna fuit auctoritate. Pater Pontificis Jo. Antonius *Montis aurei* Comitatum in dotem a Victoria Camponesia uxore adeptus est, & præter Pontificem multos alios filios habuit [a].

II.

PAVLVS. IIII. PONT. MAX. ANN. I. *Caput nudum cum pluviali, in quo Pontifex sedens, qui Populo benè precatur.*

CLAVES. REGNI. COELOR. *Christus stans B. Petro genuflectenti claves tradit.* [5]

III.

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

CLAVES. REGNI. CAELOR. *Typus ut supra.* [5]

Eandem posticam Artifices utrique huic Numismati aptarunt, iisdem fortasse formis, quibus in Marcelli II. Numismate, usi.

Cardinalis Carafa, licet multis, & præcipuè Hispanis infensus, tamen Farnesii, & Ferrariensis Cardinalium factione, quæ quadraginta quatuor Cardinalibus constabat, Pontifex electus est, quum esset Cardinalium antiquissimus, & septuaginta novem annos natus [b].

IV.

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. MAX. *Effigies, ut in præcedenti.* 3.

ROMA. RESVRGENS. *Mulier armata scuto, & hasta, pedem supra clypeum tenens, circumjacentibus armis, libris, & vasis.* [5]

Lucbius [c] refert hoc Numisma, sed in antica manum Pontificis exprimit, quasi bene precetur, quod nec in meo exstat, nec in altero a me viso cum hac Epigraphe in antica: PAVLVS. IIII. PONTIFEX. MAX. Caput nudatum, & Spiritus Sancti Symbolum in pluvia-

a *Panvin. post Plat. tom. 2. pag. 545.*
b *Id. ibid. pag. 547.*
c *Sylleg. Num. pag. 179.*

Digitized by Google

viali. Quidquid dicant *Luchius*, & *Bonannius*[a], defignantur hîc privilegia ab hoc Pontifice Romanis collata, poftquam eorum mores, & doctrinam ad meliorem frugem redegiffet. Nam refert *Panvinius*[b]: *Triumviralem Conservatorum Urbis poteftatem amplificavit, & Pop. Romano immunitates omnes, & privilegia a superioribus Pontificibus concessa liberaliter auxit, & confirmavit; Tiburque, Cardinale Æftenfe ab adminiftratione fubmoto, eidem conceffit.* Merito igitur refurgens Roma, ut in veteribus Numifmatibus[c], appellatur.

V.

9. PAVLVS. IIII. PONT. OPT. MAX. *Effigies, ut numero præcedenti.*

DOMVS. MEA. DOMVS. ORATIONIS. VOC. *Chriftus egrediens e templo rotundiformi cum flagello, menfa nummaria fubverfa, quinque viros fructibus, aliifque mercibus onuftos, in fugam vertit.* [5]

VI.

8. PAVLVS. IIII. PONT. MAX. A. V. *Caput cum camaleucio, & palliolo.*

DOMVS. MEA. DOM. O. *in exergo. Eadem poftica, ac præcedens.* [6]

Hæc Numifmata Pontificis Religionem oftendunt,& feveras Conftitutiones, quas pro morum reformatione, pro Ecclefiis debita veneratione, pro feftivitatum fanctificatione edidit, quum ipfe fefta in majori veneratione, quàm antea, effe voluerit, & augere meditaverit[d].

VII.

PAVLVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, capite nudato, cum pluviali, in quo SS. Petrus, & Paulus expreffi, & fubtus:* IO. ANT. RVB. MEDIOL.

ANNO. DOMINI. MDLVI. PONT. SVI. PRIMO. INSTAVRAVIT. *Mulier ftans calicem manu tenens.* [2]

Placet ad variorum rituum Ecclefiafticorum inftitutionem potiùs quam ad Inquifitionis Tribunal, hoc perpulchrum Numifma referre.

a *Numif. Pontif. tom. 1. pag. 263.*
b *Poft Platin. pag. 548.*
c *Mediobar Num. in Vefpaf. pag. 112. & in Sever. pag. 271.*
d *Panvin. in Vit. pag. 557.*

re. Paulus IV., narrat *Oldoinus* in vita [a], *ſæpe in Sacello Pontificio errata, quæ in ſacris cæremoniis committebantur, corrigebat: Multos ſacros ritus vetuſtate corruptos reformavit, quippe harum rerum peritiſſimus ſingula prudenter diſponebat.*

VIII.

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. M. *Effigies capite nudo cum pluviali.*

DISCITE. IVSTITIAM. MONITI. *Mulier ſtans cum æquipondio in dextera, & enſe in læva.* [5]

Quantum Juſtitiam Paulus IV. cordi habuerit, præter ea, quæ Biographi [b] narrant, ſufficiat unum, quod ultimo Pontificatus anno edidit, exemplum ab Joh. Franciſco *Firmiano* cæremoniis Præfecto [c], narratum. *Die* XXVII. *Januar.* MDLIX. inquit ille, *Sanctiſſimus in Conſiſtorio revocavit motum proprium Rev. Card. Caraſæ ſuo Nepoti circa regimen, & Gubernationem omnium locorum, & totius ſtatus Eccleſiæ. Eadem die poſt prandium privavit officio Generalatus Eccleſiæ Ducem Palliani ſuum Nepotem, & Gubernio Burgi D. Antonium Caraſa prædicti Ducis Fratrem, & expreſſè mandavit dictis Nepotibus, eorum Matri, Uxoribus, & Filiis, & omnibus de ipſorum familia, quod quamprimum diſcederent ab Urbe*; Ob facinora contra omne debitum edita, Juſtitiæ (obſervante *Panvinio* [d]) rarum exemplum!

IX.

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. MAX. *Caput cum camaleucio, & parvo pallio.* 4.

BEATI. QVI. CVSTODIVNT. VIAS. MEAS. *Salvatoris effigies dextrorſum, cum aureola in capite.* [5]

X.

PAVLVS. IIII. PONT. MAX. AN. V. *Effigies, ut num. VIII. ſubtus* I. F. P. 5.

Effigies Salvatoris ſine aureola, & epigraphe. [6]

Poſtica primi Numiſmatis reſtituta eſt, ad formam Julii III. Numiſmatis, quod vidimus: alluditque, non tam morum reformationi a Paulo inſtitutæ, quam ejus vitæ religioſæ, de quo Oldoinus [e], *vitæ puritas*, inquit, *ac innocentia fuit in eo Viro admirabilis*; & alibi: *Mane ſacrificium facturus Deum rogabat, ut ſuum adminiſtrum piis affectibus imbueret.*

O XI.

a *Poſt Ciaccon. tom. 4. col. 842.*
b *Victorel. apud Ciaccon. col. 817.*
c *In Diar. MSS.*
d *Panvin. loco laudato.*
e *Col. 828. poſt Ciaccon.*

XI.

PAVLVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut praecedentes.*

HAERES. REST. *Pontifex sedens supra Thronum cum triplici corona, & pluviali intra nobile aedificium: Multi Cardinales, & Episcopi stantes: & ante illum variae icones seminudae, partim stantes, partim genuflectentes, quae Pontificis pedem osculaturae accedunt.* [4]

Epigraphe perpulchri Numismatis sic legenda, HAERESI RESTincta, alluditque obedientiae Paulo praestitae in Consistorio publico ab Anglicis Legatis, post Angliae sub Regina Maria cum Catholica Ecclesia reconciliationem. Sic *Oldoinus*[a]: *Hos Pontifex humo levatos complexus, superiorum temporum admissa benignè condonavit, censuris absolvit, & in gratiam recepit. Actum id fuit in Aula Vaticana, quam Regiam dicunt — Rem Divinam postea solemni ritu coram se, & Senatu Patrum Pontifex fieri jussit.*

XII.

II. PAVLVS. IIII. PONT. MAX. *Eadem effigies.*

NE. DETERIVS. VOBIS. CONTINGAT. *Christus quinque genuflexos viros, & duos stantes benedicens.* [4]

In Numismate hoc repraesentatur, mea quidem sententia, Christus, qui leprosos sanatos, ad Sacerdotes mittit, monens ne amplius peccent. Hoc facto Evangelii alluditur Angliae ad religionem Catholicam reversioni, & receptae a Pontifice absolutioni, a Legatis petitae, qui[b] *tam piè, & ardenter supplici oratione Paulum ad parcendum supplicarunt, ut adstantium oculis imber lacrymarum effflueret.* Parum verò monita in Numismate expressa profuerunt, nam post mortem Reginae Mariae, & Reginaldi Cardinalis Poli Regnum illud iterum a Catholica Religione descivit.

XIII.

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. MAX. *Effigies eadem cum camaleucio.*

IN. FLVCTIB. EMERGENS. *Navicula in mari cum Apostolis retia contrahentibus.* [5]

Paulus IV. a Duce *Albano* Neapoli Regis vices agente lacessitus, & Carolo V. caeteroqui infensus, primò in eum arma movit, vim vi repulsurus; deinde, ut Regnum illud recuperaret, foedus cum Gallis iniit: Sed re malè actâ, & consilio, opeque destitutus (eo enim

a *Ibid. col. 324.*
b *Oldoin. ubi supra.*

enim bello Ecclesiastici Status Provinciæ grave damnum subiere, & urbs ipsa Romana ingenti est timore perculsa, quippe Ascanii *Cornei*, & Marci Antonii *Columnæ* ductu, & præsidio fretus hostis Romanos agros ad mœnia usque Urbis incursabat) a Philippo II., qui Carolo patri successerat, pacem petiit, eamque honestissimam obtinuit. Numisma indicat, Petri Navim, etsi fluctibus agitatam, semper emergere.

XIV.

PAVLVS. IIII. PONT. MAX. *Eadem effigies.*

Christus cum duobus Apostolis e Porta egrediens, tradit claves B. Petro genuflectenti cum aliis Apostolis. [4]

R. P. *Oldoinus* [a], qui Numisma vidit, cusum existimat ad institutum Inquisitionis Tribunal, & facultatem a Christo suis Vicariis in Terra traditam solvendi, atque ligandi, exprimendum.

XV.

PAVLVS. IIII. PONT. MAX. *Caput Pontificis cum pileolo, & stola, manu benedicentis, & infra:* IO. ANT. RVB. MEDIOL. 12.

Christus crucifixus medius inter duos latrones, Matre, aliisque fœminis adstantibus, Ebreisque, & Romanis Militibus, tum peditibus, quum equitibus circumsidentibus. [2]

Pulcherrimum hoc Numisma mirabili artificio ab *Johanne Antonio Rubeo* Mediolanensi elaboratum, æque ac precedens, explicatione non indiget, quum Salvatoris passionem exprimat, idque fortè alludit Pontificis pietati, meditationi mysteriorum nostræ Religionis admodum dediti, ut qui *nocte cum obdormire non poterat, surgebat e lecto ad orandum, ac meditandum* [b].

XVI.

PAVLVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 12.

SPES. BEATA. *Mulier stans tunicâ induta cum floribus in utraque manu, & florum fasciculo in humum dejecto.* [4]

Licet Paulus Romanis haud quaquam acceptus foret, multis tamen Pontificatus initio beneficiis in populum conlatis, publicè, & privatè clementiæ, & liberalitatis argumenta dedit, &, teste *Panvinio* [c], quum in publicum prodibat, humanis verbis omnium favo-

 rem

a *Post Ciaccon. tom. 4. col. 842.*
b *Oldoin in Vit. loco cito*
c *In Vita pag. 547.*

rem captabat, hinc imminuto aliquantulum odio, Roma in spem venit, optimum sibi futurum Principem: Ad hanc spem significandam cusum est Numisma more Veterum [a] expressum.

XVII.

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. MAX. *Caput cum pileolo, & tegillo.*
ROMA. RESVRGENS. *Typus, ut supra.* [5]

XVIII.

SEDE. VACANTE — ROMA. *Guidonis Ascanii* Sfortiæ *Cardinalis Camerarii Insignia, nec non & Insignia Pauli III. cum pileo, clavibus, &* Confalone: *Et inter claves*: MDLIX.

ROMA. RESVRGENS. *Mulier armata scuto, & hasta, cum vexillis, thoracibus, timpanis, & vasis terreis.* [4]

Hoc genuinum Numisma a Cardinale Sfortia, Sede vacante, est cusum, nam quem protulit *Bonannius*, Denarius est. Postica Numismatis pars ab alia Pauli IV. quam declaravimus, est mutuata. Numisma recusum est jussu Cardinalis Camerarii, qui utpote infensus Paulo, Romam resurgentem asserit morte Pontificis. Romanis faciliori Julii imperio assuetis, plus æquo rigidus Paulus visus est, hinc aversi ab ipso civium animi, & infaustissimi belli damnis exacerbati, tanto in ejus memoriam odio incensi sunt, ut infanda quæque in ejus statuam, & stegmata perpetrarint. Cæterum iniquo fuit fortasse animo in Paulum Cardinalis *Sfortia*, quod multa perpessus sit eo Pontifice, cui maxime suspectus erat ob intimam erga Carolum V. familiaritatem. Ideo in carcerem conjectus est Franciscus Lottinius ei a secretis, mox ipsemet Cardinalis, qui inde emissus, Româ exire est vetitus.

Johan-

a *Mediobarb. Numism. pag. 627.*



JOhannes Angelus *Medices* Mediolanensis Cardinalis S. Priscæ Pontifex electus est VIII. Kal. Januarias anni MDLX., nomine assumto Pii IV.. Obiit v. Idus Decembres anni MDLXV., & sepultus est in B. Petri Basilica, unde pridie Nonas Januarias anni MDLXXXIII. translatus est in Templo S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletianas, & in nobili sepulchro cum hac epigraphe conditus:

D. O. M.
PIVS IIII. PONT. MAX.
MEDICES MEDIOLANENSIS
SEDIT ANN. V. MENS. XI. DIES XV.
VIXIT ANN. LXVI. MENS. VIIII.
OB. V. ID. DECEMB. MDLXV.
IOANNES ANTONIVS SORBELLONVS
EPISCOPVS PRAENESTINVS
CONSOBRINO

CA-

CAROLVS BORROMEVS S. PRAEXEDIS
MEDIOLANENSES
M. SITTICVS DE ALTAEMPS GERMANVS
CONSTANTI. S. MARIAE TRANSTIB.
TITT. PRESBB.
AVVNCVLO
S. R. E. CARDD. POSVERE

I.

PIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies barbata Pontificis, cum pileolo, & palliolo.*

MEMORIAE. OPT. PONTIFICIS. *Æreum Numisma oblonga forma, & Insignia gentis Medicea, sex globi in scuto.* [3]

Historici, qui hoc Pontifice scripserunt, affirmant, Pontificis familiam eandem esse, ac Florentinam Mediceam nobilissimam; alii negant, & quidem probabilius; cæterum auctis Mediolanensium Mediceorum opibus,& honoribus, Etruriæ Duces inter gentiles suos Pontificem, ejusque Fratrem Marchionem *Marignani* ultro receperunt.

II.

32. PIVS. IIII. PONT. OPT. MAX. E. ANNO. I. PON. MDLX. *Pontificis effigies nuda, cum pluviali, in quo S. Johannes Evangelista.*

DESIDERIO. DESIDERAMVS. *Gallina, circa quam pulli, sub ejus alis asylum quærentes: Et e longinquo ædificium, quod comburitur.* [3]

Rarum hoc Numisma maximi moduli P. *Bonannius* [a] in Museo Ducum Parmensium conspexit. Incensum ædificium exprimere is arbitratur, Castrum S. Angeli, ut moris est, festivis ignibus circumseptum, quum Pius electus est Pontifex. Sed quum ædificium penè totum incensum appareat, neque arcis formam referat, dicendum potius, eo symbolo significari, incensâ domo pullos ad matrem confugere, & pietati Pontificis alludi, ut qui in pauperes esset liberalissimus, &, ut *Panvinius* [b] inquit: *molesta & fallaci mendicitate sublata pauperes certis locis distributos aluerit.*

III.

a *Pag. 289.*
b *In Vita. Vide etiam Ciaccon. col. 807.*

Digitized by Google

III.

PIVS. IIII. PONT. OPT. MAX. AN. I. *Caput nudatum*; *Imago S. Johannis Evangelistæ sedentis, in pluviali expressa.* 20.
INSTAVRATA. *Castri S. Angeli adspectus.* [4]

IV.

PIVS. IIII. PONT. MAX., *& infra*: O. P. *Caput nudatum cum pluviali historiis variis ornato.*
INSTAVRATA. *Ejusdem Castri adspectus.* [4]

V.

PIVS. IIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Eadem effigies.*
Eadem postica. [4]

VI.

PIVS. PAPA. IV. PONTIFEX. MAX. ANNO. II. *Eadem effigies.*
Eadem postica. [4]

Primum Numisma adducit *Luchius* [a]: Secundum nos vidimus: Tertium refertur a *Rollio* in Roma antiqua *Ovverbeckii* [b]: Et ultimum in Diariis Joh. Francisci *Firmiani* [c] cæremoniis Præfecti visitur, qui narrat, vallum, & fossas Castri S. Angeli, a Philiberto Aurelianensi Duce Borbonio cum Caroli V. copiis eversas, Pium IV. restaurasse. R. P. Molinetius autumat, sed nullo indicio, eâ epigraphe significari ædificationem suburbii a Pontificis nomine Pii nuncupati. Varietas annorum primi, & secundi, qui in his Numismatibus exprimuntur, oritur a variis annis, in quibus ea artifices cuderunt; nam credibile est, ædificationem ad utrumque annum durasse [d]. Siglas O. P. lego: OPTIMO. PRINCIPI.

VII.

PIVS. IIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Infra*: IO. ANT. R. F. *Caput nudum, pluviale cum icone stante.* 1. 2.
HODIE. IN. TERRA. CANVNT. ANGELI. *Præsepe cum animalibus, Infans Jesus in terra cum Virgine, Divo Josepho, & duobus Pastoribus eum adorantibus: In aere duo parvi Angeli cartulam tenentes.* [4]

Pridie ejusdem Festi Natalis Domini Pius electus est Pontifex, idque hoc Numismate pulcherrimo indicatur.

VIII.

a *Pag. 198.*
b *Degli Avanzi di Roma, pag. 135. edit. Londin. 1739. 8.*
c *Apud Bonann. Num. Pont. pag. 238. tom. I.*
d *Oldoin. post Ciaccon. tom. 4. col. 881.*

VIII.

3. PIVS . IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut in praecedenti.*

PIVS . IIII. PONT. MAX. O. P. *idest*: OPTIMVS . PRINCEPS, *intra lauream coronam*. [5]

Quia, de Pontifice inquit *Oldoinus* [a], *ejus morum benignitas necessaria visa est, ut humanitate, atque clementia afflictam Urbem reficeret, ac recrearet*; Ideò omnium Cardinalium suffragiis ad tantam dignitatem evectus, optimi Principis titulo est honoratus.

IX.

PIVS . IIII. PONT. OPT. MAX. AN. II. *Caput nudatum, integra icon S. Johannis Evangelistae, pluviali insculpta.*

INDVLGENTIA . PONT. *Pontifex sedens in Throno cum pluviali, & Tiara triplici corona contexta, cum Ministris, jubentis speciem praefert, ut catenis solvantur ii, qui ad ejus pedes prostrati sunt; e longinquo varia Romae aedificia.* [2. 4]

Numismata satis explicant verba *Panvinii* [b], qui hæc de Pontificis clementia habet: *Pontificatus initio, quò reipsa praestaret, quae Pii nominis appellatione pollicitus fuerat, clementiam dico, & humanitatem, omnium pænè Cardinalium, sed praecipuè Carafarum, qui alioqui laesi videbantur, precibus, Populo Romano omnium eorum veniam condonavit, quae in Pauli IV. marmoreum simulacrum, Insigniaque, & Sanctae Inquisitionis contumeliam, & dedecus, vacante Sede, commiserat; damna modò, ac detrimenta illata, quoad posset, suis ipse sumtibus Inquisitionis Officio sarciret.* Paulo post: *Multos, & magnae existimationis Viros, quos ob Haeresis suspicionem Paulus graviter carcere, & aliis poenis afflixerat, cognitâ eorum per Sanctissimam Inquisitionem innocentiâ, omni, quum injuriâ, tum suspicione liberavit; inter hos praecipuè Cardinalem Johannem* Moronem.

X.

6. PIVS . IIII. PONTIFEX . MAX. *Caput nudatum cum pluviali operis arabici.*

ROMA . RESVRGENS. *Mulier armata scuto, & hasta, cum armis, vexillis, & cornucopiae ab uno latere, cum timpanis, libris, & vasis ab altero.* [5]

XI.

a *In Vita post Ciaccon. col.* 807.
b *In Vita pag.* 317. *a. b.*

XI.

PIVS. IIII. PONT. MAX. *Caput cum camaleucio, & pallio brevi.*
ROMA. RESVRGENS. *Eadem postica.* [3]

Duabus Pontificis anticis eamdem posticam videmus adjunctam, quam in Pauli IV., & Camerarii Sfortiæ Numis explicavimus. Hic designatur Roma, quæ post infelicissima Pauli tempora summa pace fruebatur.

XII.

PIVS. IIII. PONT. MAX. AN. III. *Effigies, ut præcedens.* 22.
DIVAE. CATHARINAE. TEMPLVM. ANNO. CHRISTI. MDLXI. *Ecclesiæ adspectus.* [5]

Repræsentatur in hoc Numismate Ecclesia S. Catharinæ ad Funarios, dicta prius Ecclesia de Rosa, erat enim eo loco parva Ecclesia in honorem S. Rosæ Viterbiensis erecta: Nunc ad Funarios dicitur, quia Funarii in ea Urbis parte degebant; Ecclesiæ adnexum Monasterium, in quo Moniales aliquot Regulam S. Augustini profitentes puellis præsunt, easque instituunt in moribus, textilibusque operibus, prout S. Ignatius Loyola præscripsit, qui fuit præcipuus pii operis auctor [a]. Cardinalis Fridericus Cæsius Monasterii Patronus anno MDXLIV. ædificium Ecclesiæ, Jacobo a *Porta* [b] Architecto, incœpit; perfecitque, Cardinale mortuo, Pius IV. anno MDLXI., non MDLXIV., ut vult *Piazza* [c].

XIII.

PIVS. IIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudatum cum variis Sanctorum imaginibus in pluviali.* 26.
PIVS. IIII. PONT. MAX. PORTAM. IN. HANC. AMPLITVDINEM. EXTVLIT. VIAM. FLAMINIAM. STRAVIT. ANNO. III. *Exterior facies Portæ Flaminiæ, dictæ*, de Popolo, *per quam Pontifex equitans ingreditur cum Cardinalibus, & custodiis: In exergo flumen jacens cum urna.* [3]

In vestigiis Romæ *Ovverbeckii*, novissimè Londini publici juris factis, & a Paulo *Rollio* Italice redditis [d], hoc Numisma videre est, cum epigraphe tamen malè expressa, quæ emendari potest ad exemplar inscriptionis, quæ supra memoratam Portam legitur. Pius IV. Pontifex hanc Portam constructam e Tiburtino lapide instruxit colum-

a *Orlandin. Hist. Societ. Jesu lib. 4. num. 8.*
b *Roma Moderna pag. 135. edit. Rom. 1741.*
c *In Tractatu, Delle Opere Pie di Roma.*
d *Pag. 1.*

nis, & aliis ornatibus ad modulum Michaelis Angeli Bonarrotii, Jacobo Barotio a Vignola Architecto. Columnæ ordinis dorici sunt marmoreæ variorum colorum: earum diametrus est quatuor Romanorum palmorum. Utraque statua lateralis *Mochi* Florentini adposita est ab Alexandro VII., qui Portam restauravit, non ab hoc Pontifice, ut male *Ouverbeckius* [a]. Figuras in Numismate expressas *Bonannius* [b] ait Pontificis referre ingressum, & rectè quidem. Pontifici quippe mos erat non rheda vehi, sed equitare [c]; & quoniam Cardinales aliquot ab eo more recesserant, bis in Consilio eos monuit Pius, ne a prisco usu discederent; indecorum quippe tunc visum est, Cardinales curru vehi, quo solæ Matronæ utebantur, sed paulatim, seu commodi, seu valetudinis tuendæ studio, Cardinales nonnisi curru vecti incedunt, statis tamen solemnitatibus equitare solent ad speciem antiquæ consuetudinis, ut Bonannius habet. Videmus & ad nostra tempora Pontifices, & Cardinales antiquo more ephippiatis incedere ad S. Sabinæ feria quarta Cinerum, & ad S. Mariæ supra Minervam festo die Annunciationis B. Mariæ Virginis, sed paulatim hæc quoque exolescent. Flumen jacens repræsentat Tyberim viæ Flaminiæ proximum.

XIV.

7. PIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies eadem.*

PAX. *Mulier stans juxta templum, cornucopiæ, & ramum lauri altera manu, altera facem admovet, qua multa arma comburit.* [4]

Non potest in hoc Numismate alludi, ut amat P. *Bonannius* [d], concordiæ anno MDLXIV. inter Canonicos Regulares Augustinianos, & Monachos Cassinenses S. Justinæ initæ, neque enim id posticæ Numismatis parti convenit. Potiùs pacem inter Henricum Galliæ, & Philippum Hispaniæ Regem obitam, & confirmatam ab Henrici filio Francisco II. ultimis Pauli IV. diebus [e], designat hoc Numisma, paratum fortasse temporibus Pauli, at *Pio* tandem Pontifice, cusum.

XV.

8. PIVS. IIII. PONTIFEX. MAX. AN. IIII. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio.*

SECVRITAS. POPVLI. ROMANI. *Mulier supra sellam variis iconi-*

a *Pag. 3.*
b *Num. Pont. pag. 287.*
c *Ciaccon. col. 874.*
d *Bonann. Num. Pont. pag. 274.*
e *Panvin. in Vita post Plat. tom. 2. pag. 554.*

Digitized by Google

iconibus ornatam, *manu caput sustinet*, *altera hastam tenet*, *ante pedes ara*, *& accensa fax*. [4]

Pius Arcem S. Angeli munitionibus sepsit, Centumcellas novis operibus tutiorem reddidit; ad hæc significanda cusum est Numisma iisdem fortasse formis, quibus ad Pauli III. Numos artifices usi sunt.

XVI.

PIVS. IIII. PONT. MAX. AN. IIII. *Caput nudatum cum arabici operis pluviali*. 23.

MENDICIS. IN. PTOCHOTROPHIVM. REDACTIS. *Mulier sedens quatuor cum infantibus*, *quorum duo in gremio sedent*, *duo super humeros*. [5]

Forma anticæ hujus Numismatis partis adhuc apud Barbarinos visitur. Postica supra formam Leonis X. restituta, explicatione non indiget; nam Pius *Egentes* [a], *& deliros homines*, *molesta*, *& fallaci mendicitate sublatá*, *certis locis distributos nutriri præcepit*, *præfecto ad pium opus Antonio Lomellino*.

XVII.

PIVS. IIII. PONT. MAX. *Caput cum camaleucio*, *& brevi pallio*. 9.

DISCITE. IVSTITIAM. MONITI. *Mulier succincta ambulans*, *cum ense in dextera*, *& libra in læva*. [5]

Postica hæc visitur etiam in Numo Pauli IV., & hic referri potest ad Card. Caroli Carafæ, Comitis Montisaurei, & Comitis Alifæ Pontificis Pauli affinium [b], damnationem: Magnum certe Romano Populo spectaculum! memorabileque documentum iis, qui in prosperis rebus se ipsos non agnoscunt, & vitam agunt, ac si nunquam essent rationem factorum redditurі.

XVIII.

PIVS. IIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum*, *cum pluviali*, *in quo icon stans*. 5.

PIO. IIII. PONT. MAX. S. P. Q. BON. *Pontifex cum Tiara*, *& pluviali*, *librum uná*, *alterá manu tenet claves*, *quibus hydram infra jacentem*, *tangit*. [4]

R.P. Bonannius nullam adfert hujusce Numismatis in Pontificis honorem

P 2

a *Ciaccon. colum. 807.*
b *Panvin. ubi sup. pag. 559.*

Digitized by Google

rem a Bononiensibus cusi explanationem. Coævi quidem Auctores [a] asserunt, Pium Vices Legati in ea Urbe aliquando gessisse; & discordiis inter Ferrariensem Ducem, & Bononienses pro limitibus, ortis, illum Arbitrum electum, brevi ita litem composuisse, ut neutra pars amplius quid tentaverit [b]. Ad præclarum facinus significandum Bononienses fortasse hydram, discordiæ symbolum, Pontificis auctoritate prostratam Numismate expresserunt.

XIX.

11. PIVS.IIII. PONT. MAX. *Caput, ut supra: Infra verò*: IO. ANT. RVB.

INSTAVRATIO. COLLEGII. I.C. MEDIOL. *Mulier sedens hastæ innixa ante magnum Ædificium cum porticibus: duo ante eam genibus flexis, quibus manus porrigit.* [4]

Ad Numisma explicandum audiamus, quæ narrat *Morigia*, in mirabilibus urbis Mediolani: *Reca gran magnificenza alla Città l'illustre Collegio de i Dottori Legisti, il quale è ripieno di Gentiluomini di prima Nobiltà Milanese. Papa Pio IV. honorò questo Collegio creandoli tutti Conti, e Cavalieri; oltreche volle per sempre, un Dottore di questo Collegio fosse Auditore di Rota, e un' altro, Avvocato Concistoriale*; hoc est: *Magnificentiam urbi addit illustre Collegium Jurisconsultorum, in quo primi ordinis Nobiles Mediolanenses educantur. Pius IV. Pontifex Collegium decoravit, creavitque alumnos omnes, Comites, & Equites: præterea statuit, ut in posterum ex illis eligerentur Auditor Rotæ Romanæ, & Advocatus Consistorialis*. Fuit Pius in ephebis in hoc Collegium cooptatus [c], & Pontifex factus illud instauravit [d], ut in præsenti Numismate etiam visitur.

XX.

12. PIVS. IIII. PONT. OPT. MAX. *Effigies nudato capite, in pluviali icon stans.*

PROVIDENTIA. PONT. *In exergo*: A. B. *Mulier stans cum cornucopiæ in læva, dextera verò aliquot spicas in congium, ante pedes positum, immittens.* [6]

Non auxilia per Pontificem Melitensi Insulæ, in quam Turcæ inhiabant,

[a] Vide Panvin. Ciaccon. Oldoin.
[b] Panvin. ubi sup. pag. 557.
[c] Molinet. Hist. Pont. pag. 71.
[d] Vittorel. col. 874.

bant, præstitæ, ut vult Bonannius [a], sed designat potiùs hoc Numisma copiam urbi Romæ procuratam: *Hunc Pontificem*, inquit *Panvinius* [b], *Populi Romani saluti, & commodo invigilantem, Urbis annonam procurasse, præfectis aliquot viris industriis*. Siglæ A. B. nil aliud per me indicant, quàm nomen Artificis, fortasse *Antonii Bononiensis*. In Pauli II. Numis similes siglas adnotavimus [c], in quibus etiam hæsimus.

XXI.

PIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedentes*. 13.

PIETATI. PONTIFICIAE. *Mulier stans, & cornucopiæ dextera tenens, pateram lævâ, quâ accensam aram adspergit: ab illius latere duo infantes nudi*. [4]

Pontifex hic ex vitæ ratione, rebusque gestis, benignus, & misericors habitus fuit: nam, præter eleemosynas, quas occultè largiebatur, quotidie publicè mendicantibus tantum dabat, quantum pro uniuscujusque diurna sustentatione sufficeret. Hinc *Pater Pauperum* meruit appellari; præterea Tyberis inundatione, quæ sub Paulo IV. contigit, magna in Urbe annonæ caritate vigente, ipse frumentum, quod in suæ familiæ usum ad annum comparaverat, statim distribui plebi jussit [d].

XXII.

PIVS. IIII. PONT. MAX. O. P. *Caput nudum, cum arabicì operis pluviali*. 14.

PORTA. PIA. — ROMA. *Interior Portæ Piæ adspectus*. [5]

Porta Viminalis, Figulensis, Catularia, Nomentana, quæ ad S. Agnetis Templum ducit, nomen Piæ [e] acquisivit, eo quia Pontifex Pius IV. veteri Porta Nomentana clausa, haud longe ab ea, quam nunc conspicimus, meliori forma construxit, proprio nomine imposito. Quatuor palmos in largum se protendunt ejus parastatæ striatæ circa basim. Hanc Portam ordine Dorico, e Tyburtinis lapidibus exstructam, marmore verò aliquatenus ornatam [f], delineavit Michael Angelus *Bonarrotius*. Sed quum trifariam opus delineasset [g], illud ele-

a *Ciaccon. col. 871.*
b *In Vita pag. 559.*
c *Bonan. num. 14. Vide supra pag. 28.*
d *Panvin. loco laudat. pag. 558.*
e *Nardin. Rom. Antic.*
f *Ovverbeck Vestig. di Roma pag. 20.*
g *Vasar. in Vita.*

electum est, quod minori sumtu perficeretur, & XIV. Kal. Quintil. anni MDLXI. primum lapidem, ut adnotat *Firmianus* cæremoniis Præfectus in suis Diariis [a], imposuit.

XXIII.

15. PIVS.IIII. PONT. MAX. O. P. *Eadem effigies, ac in præcedenti.*
VIA.PIA. ROMA. *Superiùs, caput Cherubim: Omnia intra coronam lauream.* [5]

Explicat hoc Numisma Inscriptio, quæ etiam hodie supra Portam Piam legitur:

PIVS. IV. PONT. MAX.
PORTAM. PIAM
SVBLATA. NOMENTANA. EXTRVXIT
VIAM. PIAM. ÆQVATA. ALTA. SEMITA. DVXIT.

Audiamus nunc *Panvinium* [b]. *Inter Salariam, & Nomentanam, Portam, & Viam Pias in Quirinalis dorso fecit.*

XXIV.

16. PIVS.IIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Effigies cum pluviali arabicè contexto.*
AQVA.PIA. *Lacus statuis ornatus, & Neptuni signum in ædificii fastigio.* [4]

XXV.

17. PIVS.IIII. PONT. MAX. *Effigies similis.*
AQVA.PIA. *Lacus cum columnis, & arcubus, adspectus.* [4]

Etiamsi hic Pontifex jam deperditam Aquam Virginem Romæ restituerit [c], in hoc tamen Numismate cum *Bonannio* exprimi autumo Lacus duos Bononiæ existentes exstructos, quorum alter est e conspectu Ædis publicæ, in quo Neptuni signum, undecim pedes altum, Johannis Bononiensis opus, quod civitas Bononiensis suis sumtibus fecit, impensis aureis LXX. millibus: Hoc factum est anno MDLXIII. Pio IV. Pontifice regnante [d]. Alter Fons, seu Lacus, qui nunc in via Imperiali conspicitur, est trium rivulorum, a tribus conchis susceptorum; utriusque Fontis, teste Antonio Masino, Thomas *Lauretius* fuit Architectus.

XXVI.

a *Diar. MSS.*
b *Panvin. in Vita pag. 318. edit. Venet. 1562.*
c *Panvin. ubi supra.*
d *Bologna Illustrata pag. 232.*

Digitized by Google

XXVI.

PIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies præcedenti similis.* 18.

FORVM. CARNIVM. *Magnifica Porta cum clathris, & Pontificis stemmate, intra quam aliquot animalia.* [4]

Ædificium hoc etiam Bononiæ factum, ubi hoc Pontifice, quum S. Carolus Borromæus ea Legatione fungeretur [a], tres porticus clausæ, tres portæ cum totidem Pontificis Insignibus in earum superiori parte constructæ sunt; porticus omnibus Laniis Urbis destinatæ sunt, ad auferendam omnem immunditiem, & fœtorem ab Urbis locis cultis, ut ex inscriptione, quæ illic legitur, patet.

XXVII.

PIVS. IIII. PONTIFEX. MAX. *Effigies, ut supra.* 19.

SVMMI. PALATII. CVBICVLA. *Ædium adspectus cum stemmate Pontificis, & Pomario.* [5]

Pars Vaticanarum ædium, quæ *Belvedere* dicitur, a Pio IV. in meliorem formam redacta, ædibus veteribus, & Pomario majori proxima, *Pollajolio*, & *Bramante* [b] Architectis, instaurata est. Pirrhus *Ligorius*, & *Vosanzius* Pomarii ædes ornarunt [c]. Atrium zophoris, & statuis ornatum est. Picturæ opus sunt *Baroccii*, *Zuccarii*, & *Gerardii*: Alterum vero atrium pinxerunt *Pomarancius*, Johannes *de Vecchis*, & Sanctes *de Tito*. Clemens XI. [d] has ædes Pii IV. restauravit, anaglypticis operibus, musivis, aliisque ornamentis additis, ut & fontem e conspectu Pomarii positum. Pius IV. primum lapidem Kal. Sextil. anni MDLXI. posuit [e].

XXVIII.

PIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 21.

VIRGINI. MATRI. *Templi frons.* [4]

R. P. Bonannius, licet Numisma designare credat S. Mariam Angelorum ad Thermas, frontem tamen illius Templi hic non adgnoscit; quamvis mihi haud ab eo dissimilis videatur. In eo loco, Ecclesia S. Cyriaco dedicata erat Cardinalis Presbyteri Titulus: Hanc Pius IV. anno MDLXI. S. Mariæ Angelorum consecravit, titulumque S. Cyriaci in ea restituit, & Patribus Carthusianis concessit, qui in Monasterio ad S. Crucis in Jerusalem degebant [f].

XXIX.

a *Bolog. Illust. pag.* 414.
b *Vasari Vite de' Pittor.*
c *Bonannius hic, & in Templ. Vatic. descript.*
d *Roma Moder. pag.* 268.
e *Firmian. in Diariis.*
f *Ciaccon. col.* 871.

XXIX.

24. PIVS. IIII. PONT. MAX. O. P. *Caput nudum, pluviale arabicè ornatum.*

VIRGO. TVA. GLORIA. PARTVS. *Beata Virgo ſedens cum Puero in ulnis.* [4. 5.]

Hæc poſtica, quæ in Julii III. Numiſmate etiam viſitur, hìc alludit ad Pontificis devotionem erga memoratam Eccleſiam S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletianas, in qua & ſepeliri voluit juxta Tribunam majoris aræ, nobili conſtructo ſepulchro.

XXX.

25. PIVS. IIII. PONT. MAX. *Eadem effigies.*

TVI. SECTATOR. *Milites pedites, equiteſque, juxta antiqua rudera pugnantes: In medio Epiſcopus equo inſidens, aliquot ex eis perſequitur, qui fugam capeſſunt.* [4]

Meâ ſententiâ exprimitur hìc, quod anno MCCCXXXIX., contigit: Eo anno [a] inter Lodriſium Vicecomitem, & Azzonis exercitum a Luchino ductum pugnatum eſt: Hic verò a S. Ambroſio opem petiit, qui albâ veſte indutus, cum mitra, equo inſidens, & cum flagello, viſibiliter apparens, juxta coævos Auctores [b], Lodriſii copiis fugatis, victoriam plenam Luchino procuravit, qui Parabiagii, ubi pugnatum eſt, Eccleſiam huic Sancto dicatam, conſtruxit. Epigraphe: TVI. SECTATOR. bella civilia Gallica, ut vult Bonannius [c], inter Hugonottos, & Catholicos denotat, Pontifice oſtendente, ſe divino fretum auxilio primos velle perſequi, ſecundis auxiliari.

XXXI.

27. PIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

SCHOLARVM. EXAEDIFIC. *Ædium conſpectus ſupra porticum a columnis ſuffultam.* [4]

Panvinius in hujus Pontificis vita de illo ait, quod *Scholas, quibus Sapientiæ Profeſſores Bononiæ docent, magnificentiſſimè refecit; Romæ verò inchoavit, Papiæ Collegium inſtituit. Molinetius* [d] Collegium in Numiſmate ſibi conſpicere videtur, Bonannius [e] autem ſcholas Bononienſes, quæ quidem ſupra arcus conſtructæ ſunt a columnis ſuffultæ, quæ Porticum ſecus viam efficiunt.

XXXII.

---

a *Lancada Deſcriz. di Milano tom. V. pag. 4. edit. Mediolan. 1738. Sormanni Diſſertat. ſuper Anathem. S. Ambroſ. contra Gallos pag. 134. Mediol. edit. 1740.*

b *Vide Galvan. Flammam in Hiſt. & Bonincontrum in Chron. lib. 4. cap. 7. Rer. Italic. to. 12.*

c *Tom. 1. pag. 285.*

d *Hiſtor. Pont. per Numiſ. pag. 75.*

e *Numiſm. Pont. pag. 387.*

XXXII.

PIVS. IV. PONTIFEX. MAX. *Eadem effigies.* 32.

SAPIA. INTRA. NOVVM. ALVEVM. CORRECTO. (Hermannus Vos in Catalogo Numismatum legit uti Bonann. COERCITO.) *Flumen jacens, cornucopiæ in dextera, in sinistra urnam tenet, e qua aquam effundit; ante pedes habet cannas Palustres.* [4]

Hoc Numismate ad vetustorum formas percusso exprimitur flumen Sapiæ, quod prope Cerviam fluens, novo alveo ad Portum Cæsenatem [a] a Pio ductum est.

XXXIII.

PIVS. IIII. PONTIFEX. MAX. *Caput nudum cum pluviali.*

PORTVS. CENTVMCELL. INSTAVR. VRBEMQ. VALLO. AVXIT. *Facies Portus Centumcellensis.* [5]

XXXIV.

PIVS. IIII. PONT. MAX. O. P. *Caput nudum, pluviale cum stemmate.*

PORTVS. CENTVMCELL. INSTAVR. *Idem conspectus.* [4] 34.

Eadem postica in Numismate Julii III. conspicitur. Centumcellarum Portus ab Imperatore Trajano ædificatus, a Pio IV. fuit restitutus, deindeque a S. Pio V. munimentis instructus [b]. *Centumcellas,* ait de Pio IV. *Panvinius, vetustate disjectas, mœnibus, arcubus sepivit, ac munivit.* Bene hic observat Bonannius [c], duos dici PORTVS Centumcellarum, quorum alter interior est, & *Darsena* dicitur.

XXXV.

PIVS. IIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 35.

ANNONA. PONT. *Mulier stans, cum cornucopiæ in sinistra, parvoque signo, quod libram habet, in dextera; ante pedes cista cum floribus, pomis, retrò plaustrum saccis onustum.* [4]

XXXVI.

PIVS. IV. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum cum pluviali arabici operis.*

ANNONA. PONT. A. V. *Mulier sedens, & reliqua, ut supra.* [6]

Ambo hæc Numismata, haud quidem ad Veterum normam effor-

Q mata,

a *Scott. Itiner. d'Ital. pag. 282.*
b *Scott. Itiner. d'Ital. pag. 222.*
c *Tom. 1. pag. 290.*

mata, Pontificis ſtudio alludunt in procuranda urbi Romæ, ſuæque ditioni rerum omnium copia. Sic *Panvinius*[a] paucis rem narrat: *Urbis Annonam procuravit, Præfectis aliquot Viris induſtriis creatis.*

XXXVII.

36. PIVS. IIII. PONTIFEX. MAX. *Eadem effigies.*

NE. DETERIVS. VOBIS. CONTINGAT. *Salvator benedicens aliquot viris partim genuflectentibus, partim ſtantibus, manuſque ad eum elevantibus.* [4]

XXXVIII.

37. PIVS. IIII. PONTIFEX. MAX. *Effigies eadem.*

CLAVES. REGNI. COELOR. *In exergo* ROMA. *Chriſtus genuflectenti Petro claves tradens.* [5]

XXXIX.

38. PIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

DOMVS. MEA. D[illegible]VS. ORATIONIS. VOC. *Chriſtus, ementes, & vendentes e templo ejiciens.* [5]

Numiſmatis XXXVII. poſtica eadem eſt, ac quæ in numo Pauli IV.; poſtica inſequentis viſitur in aliis Julii III. Marcelli II., & Pauli IV. Duo Numiſmata hoc eodem emblemate obſervavi apud Hameranos; alterum habet in antica PIVS.IV. PONT. OPT. MAX. in poſtica DOMVS.MEA.DOM.O. Licet vero in Numis Pauli III., & Pauli IV. quid ſimile inveniatur, eâdem tamen formâ minimè cuſum eſt. Cæterum eorum ſymbola jam expoſuimus.

XL.

PIVS. QVARTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum, cum pluviali hiſtoriis variis ornato.*

FVNDIT. AQVAS. MESPILVS. AONIAS. NVNC. RVIT. PIA. *Arbor fortaſſè Meſpili cum fructibus: Haud longe equus Pegaſeus, ſub quo oritur fons Aganippes, tres e fonte bibunt, & duæ figuræ ſtant.* [3]

Aliquis fortaſſe ex Academia Vaticana a D. Carolo Borromæo Pontificis Sororis filio inſtituta, de qua in libro *Noctium Vaticanarum*, hoc certè fudit Numiſma, quod vidimus in Muſeo Cl. Marchionis *Lucatellii*.

Frater

a *Loco laudato.*



FRater Michael *Ghislerius* e Bosco Alexandrinæ Diœceseos, Ordinis Prædicatorum, dictus ideò Cardinalis *Alexandrinus*, Pontifex electus est VIII. Idus Januarias anni MDLXVI. nomine sibi Pii V. assumto. Obiit Kal. Majis anni MDLXXII., sepultus est in Basilica S. Petri, inde in S. Mariæ Majoris magnifico sepulchro a Sixto V. in suo Sacello erecto translatus die IX. Januarias anno MDLXXXVIII. hoc inscripto epitaphio:

PIO.V. PONT. MAX.
EX. ORD. PRAEDICAT.
SIXTVS.V. PONT. MAX.
EX. ORD. MINORVM
GRATI. ANIMI
MONVMENTVM.POSVIT.

Digitized by Google

alio longiori addito in basi, quod brevitatis causa omittimus. In eodem Sacello nunc veneratur, a Clemente XI jam ab anni MDCCXII. mense Majo inter Sanctos adscriptus.

I.

1. 2. PIVS. GHISLERIVS. BOSCHEN. PONT. M. *Effigies Pontificis cum Tiara unionibus ornata, & pluviali, in quo quinque triremes expressæ.*

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. M. *Pauli IV. effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* [5]

II.

PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Caput nudum, & in pluviali oblongus circulus, intra quem icones variæ.*

PAVLVS. IIII. PONT. OPT. M. *Pauli IV. effigies, ut supra.* [5] Hæc Numismata non eodem tempora sunt cusa, & secundum prius fortasse, quam primum, ob triremes, quæ in pluviali primi conspiciuntur, quæ certè alludunt pugnæ ad Echinadas habitæ, de qua inferius agemus. Ita coluit S. hic Pontifex Pauli IV., qui illum Cardinalem constituit [a], memoriam, ut præter quam quod famam Genti Carafæ restituit, præteritarum sententiarum memoria abolita, & Processuum [b] Instructoribus castigatis, sed & Antonio Carafa Cardinali creato, magnificum etiam sepulchrum memorato Paulo erexit in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam a *Casignola* [c] delineatum, & ejus memoriam, adjecta in Numismatibus effigie, æternavit.

III.

9. PIVS. V. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum cum pluviali, in quo Christus mortuus in sinu Beatæ Virginis, aliæque icones.*

FOEDERIS. IN. TVRCAS. SANCTIO. *Mulier veste talari induta, Stolá transversim cincta, & Tiará Pontificiá operto capite, quæ alias duas amplexatur, alteram veste etiam talari cum cornu Ducali in capite, alteram militari habitu indutam, galea, thorace, & chlamyde ornatam. In exergo Aquila, Agnus, & Leo alatus librum tenens apertum.* [3]

IV.

a *Gabutius in Vita lib. VI. cap. 6.*

b *Hujusce caussæ Synopsis manuscripta asservatur apud Academicos Etruscos Urbis Cortonen.*

c *Roma Moder. tom. 2. pag. 178.*

IV.

PIVS. V. PONT. MAX. ANN. SAL. ∞DLXXI. *Pontificis effigies detecto capite cum pluviali arabici operis, & manibus junctis.*

FOEDERIS. IN. TVRCAS. SANCTIO. *Eadem postica, ac in praecedenti.* [4]

V.

PIVS. V. PONTIFEX. MAXIMVS. AN. V. *Caput nudum, cum pluviali, in quo Christus mortuus in ulnis Beatae Virginis, aliaeque icones. Infra:* IO. ANT. R. F.

A. DOMINO. FACTVM. EST. ISTVD. 1571. *Classis ad praelium instructa, cum maris, & littoris aspectu: Inter nubes in aere vir pectore tenus ensem manu tenens.* [4]

VI.

PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Effigies, ut praecedentes.*

A. DOMINO. FACTVM. EST. ISTVD. 1571. *Magnae classis, juxta littus ordinatae conspectus: In aere Deus inter nubes.* [4]

VII.

PIVS. V. PONT. OPT. MAX. ANNO. VI. *Caput cum camaleucio, & brevi pallio.*

DEXTERA. TVA. DOM. PERCVSSIT. INIMICVM. 1571. *Duae classes invicem sese oppugnantes, quarum alteri favet Deus, qui stat inter nubes, & Angelus, qui puppi insidet, & dextera tenet Crucem, laeva Calicem.* [4]

Horum quinque Numismatum primum maximo est modulo cusum. Quatuor priora repraesentant foedus in Turcas inter Pontificem, Philippum II. Hispaniae Regem, & Venetos initum. Firmatum est hoc, magno Pontificis gaudio, anno MDLXXI.[a] Audi Cornelium *Firmianum* in suis Diariis. *Anno* 1571. XXV. *Maji fuit secretum Consistorium; in quo Oratores Regis Catholici, & Venetorum fecerunt Instrumentum foederis contra Turcas. Instrumentum fuit lectum a Datario, quo lecto Sanctissimus juravit tacto pectore; idem fecit Cardinalis Pacecus Procurator Regis Catholici, & Oratores jurarunt, tactis Evangeliis oblatis a Datario. Testes fuerunt Gubernator Urbis, Auditor Camerae, & Datarius rogatus.*

Irrepsit error in Numismate secundo, in quo pro anno VI. ponitur annus V.; nam electo Pontifice VIII. Idus Januarias anni MDLXVI., victoria

a *Cabass. in Vita cap. 6. 6.*

ctoria ad Echinadas nonnisi Nonis Octobribus an. MDLXXI. est relata, anno scilicet Pii V. sexto. Alterius Numismatis antica opus est Hermenegildi Hamerani. Ultimum verò (cujus antica novissimè cusa siglas habet F. P.) adducitur etiam a *Luchio* [a]; Hoc adludit ad pugnam ad Echinadas, quâ classis a Pontifice, Philippo II. Hispaniarum Rege, & Venetorum Republica fœderatis instructa, Johannis Austriaci, & M. Antonii Columnæ ductu Turcas nonis Octobribus anni MDLXXI. vicit, fuditque; CXVII. Triremibus, & XIII. Biremibus captis, LXXX. mersis, & XL. fugatis [b]. Insignem Victoriam precibus, & studiis Sanctissimi hujusce Pontificis merito attributam, jure etiam clariores Artifices illorum temporum, pulcherrimis Numismatibus cusis, æternitati mandarunt. M. Antonius Columna, quum Romam triumphans introivit, præter Numos in ejus honorem percussos, tantis plausibus, & adclamationibus est exceptus, ut ejus ingressus aliquam antiqui Romanorum triumphi speciem præberet. Is Capitolium ascendens, Sanctæ Mariæ in Aracœli columnam argenteam rostratam donavit, quæ nunc etiam exstat, & de qua eruditè disserit, ejusque imaginem refert, R. P. Casimirus a Roma Fr. Minoris Observantiæ in sua Ecclesiæ in Aracœli historia [c].

VIII.

PIVS. PONT. MAX. ANN. SAL. ∞DLXXI. *Caput nudum, manibus junctis, & in pluviali duæ icones.*
Absque postica. [4]

IX.

14. PIVS. V. PONT. MAX. AN. V. *Caput nudum, pluviale operis arabici.*
FECIT. POTENTIAM. IN. BRACHIO. SVO. DISPERSIT. SVPERBOS. *Pontifex genibus flexis, & tiara humi deposita, a Clero comitatus, prope porticum Templi: procul prælium visitur, & in aere hominis effigies pectore tenus e nubibus emergens.* [4]
Numisma hoc nil aliud refert, nisi victorias, quas Carolus IX. Galliæ Rex una cum suis fœderatis contra Calvini sectatores obtinuit. Audiamus, quæ Cornelius Firmianus scribit in Diariis manuscriptis, quæ in Bibliotheca Cardinalis Petri *Otthoboni* adservantur. *Anno* 1569.

XIX.

a *Syllog. Numismat pag.* 338.
b *Oldoin. col.* 026. *Ciccarel. post Platin. tom.* 2. *pag.* 573.
c *Edita Rom.* 1718. *in* 4.

XIX. *Octobris venerunt quidam ex Gallia, qui portarunt certitudinem victoriæ superioribus diebus a Rege de Ugonottis relatæ. Quibus auditis, statim fuerunt facta signa lætitiæ cum sonitu campanarum Urbis. Sequenti die Sanctissimus Dominus decrevit, celebrari tres Missas Cardinalitias, & tres Processiones in gratiarum actiones. Prima fuit ab Ecclesia S. Mariæ supra Minervam ad S. Mariam Majorem, ubi celebravit solemniter Cardinalis Augustæ coram* XXVI. *Card., & Papam*, &c. Hæc supplicatio fortasse in Numismate exprimitur.

X.

PIVS. V. PONT. OPT. MAX. ANNO. VI. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio, sine stola.* 4.

ILLVMINARE. HIERVSALEM. *In exergo*: PIVS. V. P. M. *Beata Virgo sedens super quadrato stipite, seu lapide, in quo legitur*: ANN. VI., *cum Puero Jesu in ulnis; S. Joseph juxta eam, non procul præsepe, ac Pontificis Insignia minori forma retro, Stella quoque, & Magi Puerum adorantes.* [4]

Quicquid *Bonannius* in exponendo Numismate excogitaverit, nil prorsus aliud hic exprimitur, nisi quod Pontificis electio contigit nocte diei sextæ Januarii, in quo Epiphaniæ Festum celebratur. Antica etiam recenter cusa observatur.

XI.

PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Caput nudum, pluviale variis historiis ornatum, in quo Pontifex sedens, & homo genuflexus: subtus verò*: L. P. 16.

E. TENEBRIS. DIES. E. LVCO. LVX. LVCET. *Parvum Templum rotundum, in medio nemoris, e cujus conspectu fluunt tres rivuli: In superiori parte Spiritus Sanctus radiis coruscans.* [5]

Emblematicum Numisma in nemore Pii V. Patriam denotat, quum ortum duxerit anno MDVII. in pago, quem *Bosco* nuncupant; sic enim lucos Itali appellant. Pro templo a Spiritu Paracleto obumbrato ipsum Pontificem designat, a tribus irrigatum fontibus, uti videlicet apprime instructum in tribus facultatibus, Theologicis, Canonicis, ac Moralibus, cæterarum scientiarum fontibus [a].

XII.

PIVS. V. PONT. MAX. *Caput nudum cum pluviali, in quo S. Paulus stans, subtusque*: IO. ANT. R. F. A. II. 15.

CON-

a *Victorell. col.* 995.

Digitized by Google

CONTRIBVLASTI. CAPITA. DRACONIS. *Mulier cum stola, & velo, in dextera tabulas legis tenens, læva facem accensam adigit capiti Hydræ, cujus corpus proterit.* [5]

Sanctus hic Pontifex ad hæreses extirpandas, quæ velut hydra Europam infestabant, non solum Catholicos Gallos, & Belgas pecunia, precibus, & consilio juvit; sed Romæ Ædes [a] extruxit, in quibus S. Inquisitionis Ministri degerent, ibique carcerem ad tutiorem Reorum custodiam ædificavit, aliaque præstitit, quibus, ut inquit *Gabutius* [b], *quamplurimi hæretici, deposita malitia ad Catholicæ veritatis callem reversi, piè vitam instituerint.*

XIII.

17. PIVS. V. PONTIFEX. MAX. A. VI. *Caput nudum, cum pluviali arabici operis.*

1566. PIVS. V. GHISLERIVS. BOSCHEN. PONT. MAX. ECCLESIAM. S. ✠ ORDINI. PREDIC. ALVMNO. SVO. AC. PATRIAE. ERIGENDAM. CVRAVIT. DOTAVITQ. [5]

XIV.

18. PIVS. V. PONT. OPT. MAX. ANNO. VI. *Caput cum camaleucio, & brevi pallio.*

BOSCHEN. SANCTE. CRVCIS. ORDINIS. PRAEDICATORVM. *Templi conspectus, in cujus tympano Crux splendens, in exergo:* MDLXXI. [4]

Horum Numorum primus est minimi moduli, secundus, quem ego vidi, est æneus deauratus.

Suam Patriam Pontifex ornaturus, anno MDLXVI., vix Pontificatum auspicatus, Ecclesiam in ea, sub invocatione Sanctissimæ Crucis extruendam constituit, quæ postea anno MDLXXI., ut ex altero Numismate patet, absoluta est, & ab Episcopo Salaminæ, in Insubria Apostolico Visitatore, Hieronymo *Ragazzonio* consecrata [b]. Fratribus etiam Ordinis Prædicatorum, commodiores juxta Ecclesiam Ædes, & Bibliothecam instruxit.

XV.

20. PIVS. V. PONT. MAX. A. VI. *Caput nudum, cum pluviali arabici operis.*

PAX. *Mulier juxta templum, cum cornucopiæ, & oleæ ramo in dextera, levâ multa arma in terram disjecta face comburit.* [5]

Sub

a *Victorell. col.* 1007.
b *Victorell. col.* 999.

Sub Pio V. nullam memorant Historici inter Christianos Principes constitutam pacem. Numisma igitur, ut opinor, victoriam denotat de Turcis a Marco Antonio Columna relatam, quæ Christiano Orbi pacem peperit; & fortasse illo triumphante fuit cusum.

XVI.

PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Caput nudum cum pluviali variè ornato, subtusque:* F. F. 3.

CLAVES. REGNI. COELORVM. *Sanctus Petrus genibus flexis claves a Jesu Christo recipiens. Eadem postica sub Marcello II. Julio III. Paulo & Pio IV. visitur.* [5]

XVII.

PIVS. V. PONTIFEX. MAX. A. VI. *Caput nudum cum pluviali, in quo tres icones.* 5.

IN. FLVCTIB. EMERGENS. *Navis cum Apostolis, qui retia contrahunt.* [5]

Explicatio hujus posticæ adest in Pauli IV. Numismate, in quo eadem epigraphe legitur.

XVIII.

PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Caput nudum cum pluviali historiis ornato.* 6.

DOMVS. MEA. DOMVS. ORATIONIS. VOC. *Christus e templo ementes, & vendentes ejiciens.* [5]

Hæc etiam postica est in Pauli IV., & Pii IV. Numismatibus.

XIX.

PIVS. V. GHISLERIVS. BOSCHEN. PONT. M. *Caput nudum, cum pluviali, in quo Pontifex, qui populo bene precatur.* 7.

NE. DETERIVS. VOBIS. CONTINGAT. *Christus Hebræos ante illum genuflectentes benedicens.* [4]

Et hæc in Pauli IV., & Pii IV. Numis postica adhibita fuit.

XX.

PIVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut numero XVII.* 10.

DOMINE. ADIVVA. NOS. AN. IIII. *Navis vento agitata, ad cujus gubernaculum Jesus Christus, Apostolos, qui eum supplices deprecantur, benedicens.* [4]

Exprimit Numisma periculum, quo Christiana Respublica sub Pio IV. ob bellum cum Turcis, agitabatur. Selimus Turcarum Imperator Sigetum in Hungaria, & Regnum Cypri universum [a] cum aliis

R maris

[a] *Ciccarel. in Vit. pag. 507. & seq.*

maris Ægæi Insulis occupaverat, & Reipublicæ Venetæ ditionibus inhiabat, sed Pii V. studiis pacto fœdere inter Christianos Principes, profligatoque hoste, pax Christianis parta, quæ Pontificis precibus maxime attributa est.

XXI.

19. PIVS. V. PONT. OPT. MAX. *Caput nudum, in quo tres oblongi circuli, in quibus Sanctorum imagines.*

IMPERA. DNE. ET. FAC. TRANQVILLITATEM. *Christus insidens navis puppi a ventis agitatæ, Apostolus unus in prora remo incumbens, aliique Apostoli, qui genibus flexis orant.* [5]

Forma hujus Numismatis, qua parte caput exprimitur, rudis est, & impolita. Explicationem vide numero præcedenti.

XXII.

PIVS. V. PONT. MAX. *Pontifex cum pluviali, in quo S. Paulus stans; in inferiori parte:* IO. ANT. R. F.

Eadem postica, quæ supra. [5]

XXIII.

22. PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Caput nudum, cum pluviali variè ornato.*

BEATI. QVI. CVSTODIVNT. VIAS. MEAS. *Salvatoris effigies ad humeros.* [6]

XXIV.

23. PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Caput, ut supra.*

DOMINE. QVIS. SIMILIS. TIBI. *Salvatoris effigies, ut supra, absque aureola.* [5]

Primi Numismatis posticam vidimus etiam in Julio III., & Paulo IV. secunda cusa est recenti forma, ab Apocalypsi[a] epigraphe sumta, in qua P. *Bonannius*[b] Michaelis nomen, quo Pius ante Pontificatum est vocatus, reperit, nam hebraicè מכאל *Michael* significat, *quis ut Deus?*

XXV.

34. PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Effigies, ut supra.*

OB. MVNIT. CASTRI. HVC. TRANSL. AMPL. EREX. *Ecclesiæ fundamenta: supra illam:* ROMA, *intrà verò:* 1566. [4]

XXVI.

a VIII. I.
b *Pag.* 307.

XXVI.

PIVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 35.
A. FVNDAMENTIS. EREXIT. *Ecclesiæ, & Monasterii exterior adspectus: In exergo.* MDLXVI. [4]

Quum Pius IV. demoliri jusserit ædificia aliquot circa Arcem S. Angeli, anno MDLXIV. sublata fuit vetus Ecclesia S. Mariæ Transpontinæ nuncupatæ, sed paulo post nova excitata est, novumque extructum Monasterium, Architecto primum Johanne Peruzzio, postea Paparellio, & Octavio Mascherino [a]. Petrus Cardinalis Ferrerius Vercellensis primum lapidem Pii V. jussu VI. nonas Martias anni MDLXVI. in ea posuit. De ea re præter hæc Numismata exstat, Pii V. diploma, anni MDLXV. sui Pontificatus primi.

XXVII.

PIVS. V. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 33.
Christus D. Petri pedes, aliis Apostolis præsentibus, lavans. [5]

Antiquus mos Christianis fuit, præsertim feria V. in cœna Domini, duodecim pauperibus pedes lavare [b], eoque facto venerari humile obsequium, quod Christus Apostolis præstitit; Ex pervetusto Romano ordine, quem *Montfauconius* [c] publici juris fecit, quique S. Gregorii Magni temporibus usu erat, eum esse Pontificum morem eadem feria quinta, satis patet. In hujus Ecclesiastici ritus memoriam hoc Numisma est cusum, a Successoribus sæpe sæpius renovatum.

XXVIII.

PIVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 25.
ANNONA. PONT. *Mulier stans cum cornucopiæ in læva, & parva victoria in dextera.* [5]

Meritò in Numismate providentia Pontificis exprimitur, qui ut Romæ, & Ecclesiasticæ ditionis provinciis fame laborantibus opem ferret, e Sicilia, & Gallia magnam frumenti copiam invexit [d], centum aureorum millibus erogatis. Ut verò Romanus ager, quoad fieri posset cultus, & fructuosus esset, exteros colonos accersivit, privilegiis, & immunitate donatos [e].

a *Roma Moderna tom. 2. pag. 273.*
b *Vide Bonann. pag. 312.*
c *Musei Italici tom. 1.*
d *Oldoin. col. 1006.*
e *Gabut. in Vita lib. IV. cap. 6.*

XXIX.

24\. PIVS.V. PONTIFEX. MAXIM. *Effigies nudo capite cum pluviali arabico opere ornato.*

S. CAT. S. DOM. *Beata Virgo cum Puero in ulnis, quæ e nubibus S. Dominico, & S. Catharinæ Senensi Rosarium porrigit, quæ genuflexæ manu n extendunt, altera verò rosam, & lilium tenent. In exergo, rosa* [5]

Non solum in hoc Numismate exprimitur Pontificis pietas in Beatam Virginem, quam Rosario salutabat, & in S. Dominicum, ac S. Catharinam Senensem; sed etiam novum Monasterium ab hoc Pontifice exstructum, dictumque SS. Dominici, & Sixti [a].

XXX.

21\. B. PIVS. V. GHISLERIVS. BOSCHEN. PONT. M. *Effigies cum triplici corona, & pluviali, in quo Beata Virgo cum Puero Jesu, & Pontifex manu benedicens.*

MILITANS. DE. INFERO. TRIVMPHAT. ECCLESIA. *Energumena mulier a Pontifice throno insidente sanata: In exergo;* PONTIFICIAE. POTESTATIS. IMPERIVM. [4]

Numisma hoc recenti forma est cusum. *Gabutius* [b] in vita multas energumenas a Pontifice liberatas memorat, præsertim quum supplicationes haberentur ad implorandum adversus Turcas Divinum præsidium.

XXXI.

8\. B. PIVS. V. GHISLERIVS. BOSCHEN. PONT. M. *Effigies cum triplici corona, & pluviali, in quo classis.*

COLLEG. GHISLERIVM. A. B. PIO. V. PAPIAE. ERECTVM. AN. 1569. *Collegii Ghislerii conspectus, & Spiritus Sanctus supra illud.* [4]

Pius Pontifex suorum Civium, ac Gentis suæ comoditati Papiæ amplum Collegium instituit, dictum Ghislerium, in quo vigintiquatuor Juvenes degunt, iisque præsunt urbis Princeps, & Ghisleriæ gentis viri. In istius Collegii memoriam nuper Numisma est cusum.

XXXII.

B. PIVS. V. GHISLERIVS. BOSCHEN. PONT. M. *Effigies cum regno, manu benedicens; In pluviali Beata Virgo stans cum Puero in ulnis.*

S. DO-

a *Ant. Gabut. Lib. VI. cap. 5.* b *Lib. VI. cap. 17.*

S. DOMIN. S. CATARIN. S. THOM. AQ. S. HIACIN. S. RAIMVN. B. MARG. SAVOIA. *Beata Virgo inter nubes cum Puero, Rosarium S. Dominico, & S. Catharinæ tradentes, & in inferiori parte alii quatuor Sancti*. [4]

Et hoc Numisma est novissime cusum in honorem hujus Sancti Pontificis, Sanctorumque Ordinis Prædicatorum. In typo a Bonannio relato Beatæ Margaritæ nomen desideratur.

XXXIII.

B. PIVS. V. GHISLERIVS. BOSCHEN. PONT. M. *Effigies, ut numero XXXI.*

S. ROSA. VIRG. LIMANA. ORD. PREDIC. *S. Rosa Limana ante Beatam Virginem genuflexa*. [4]

Sancta hæc mulier e Prædicatorum Ordine a Clemente X. anno MDCLXXI. cum aliis quatuor, fuit inter Sanctas relata. Ab illo, qui nuperis temporibus Numisma cudit, non alia de causa, per me, hæc postica in S. Pii Numismate est adhibita, nisi quia ambo sunt e familia Prædicatorum.

XXXIV.

PIVS. V. PONT. MAX. *Caput cum camaleucio, & brevi pallio.*

CATARINA. BONZ. FLAMINIO. *Effigies mulieris, & juvenis illorum temporum more ornatorum.*

Privatus aliquis auctor est hujus Numismatis, quo Pontificis aliquam ex Nepotibus, & Filium voluit designare: Alteri ex ipsis Catharinæ nomen est, quæ, vel primis, vel secundis nuptiis Genti Bonziæ juncta est, sed de ea re nil nisi conjecturam habeo. Hic addam, inter Numos apocryphos adnumerandum esse unum cum postica Calixti III., & Epigraphe: HOC. VOVI. DEO. VT. FIDEI. HOSTES. PERDEREM. ELEXIT. ME.

Hugo



HUgo Cardinalis *Boncompagnius* Pontificatum assumsit III. Idus Majas anni MDLXXII. Obiit anno MDLXXXV., IV. Idus Apriles; sepultusque est in Vaticana Basilica propè sacellum Gregorianum, ubi Jacobus Cardinalis Boncompagnius elapsis annis magnificum illi erexit sepulchrum, Equite Camillo Rusconio Architecto, cum hac epigraphe:

GREGORIVS. XIII. P. O. M.

I.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & pallio brevi*: *Infra illam*: NI. BONIS.

Gentis Boncompagniæ Stemma, Draco dimidius, caudâ, pedibusque excisis. [4]

Cardinalis Hugo Christophori Boncompagnii, & Angelæ Marescalchæ filius natus est VII. Januar. die Veneris II. noctis hora, Bononiæ anno MDII. Gens hæc ab anno MCXL. Assisio primum, deindè Visse Bononiam advenit, ubi ad magnos honores adscendit. Christopho-

Digitized by Google

ftophorus Pontificis Pater, ob liberalitatem, & Chriftianam pietatem, penè ab omnibus *Pater pauperum* vocabatur [a].

II.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. AN. I. *Effigies, ut fupra: In inferiori parte:* F. P. 27.

VGONOTTORVM. STRAGES. 1572. *Angelus, qui gladium dextera, & Crucem finiftra diftringens, multos milites in terram dejicit, & cædit.* [4]

Ad præfentis Numifmatis expofitionem, in quo memorabile die S. Bartholomæo facro in Gallis perpetratum facinus [b] exprimitur, præftat brevibus, illud ut in annalibus Gregorii XIII. noviffime editis adducitur [c], defcribere. XI. Kal. Septemb. anni MDLXXII. Carolus IX. Galliæ Rex a juvene quodam *Morevalio* nuncupato tres venenatos globulos e feneftra in Admiralium Caftilionium tormento bellico explodi juffit; hic [d] brachii partem quum amififfet, atque adeo in Gentem Guifiam ultionem pararet, juffu Regis in vigilia S. Bartholomæi lecto jacens cæfus fuit, perque feneftras ejus cadaver ejectus. Inde, claufis Urbis Portis, ftrages incepta, atque ad totum infequentem diem producta, in qua cæfa Hugonottorum ad III. millia [e]. De hac re in altero Numifmate poftica vifitur aliquantulum diverfa, fed noviffimè cufa.

III.

GREGORIVS. XIII. PONT. OPT. MAXIMVS. *Caput nudum, & barbatum, cum pluviali, in quo navis, & Chriftus B. Petro manum porrigens.* 1. 2.

CLAVES. REGNI. COELOR. *Chriftus genuflectenti Petro claves tradens: Subtus:* ROMA. [5]

Hanc pofticam fæpius fupra vidimus, & explicavimus.

IV.

GREGORIVS. XIII. PONT. M. *Effigies cum camaleucio, & pallio brevi, fubtus:* IO. ANT. P. F. 3.

DOMINE. ADIVVA. NOS. *Chriftus fedens in navi, cui preces Apoftoli fundunt: Omnia intra corollam Palmæ.* [5]

Etiam hæc poftica cufa eft fuper altera Pii V. Quæ fuerint tempora, & quam

a *Annal. Greg. XIII. pag. 4.*
b *Luch. Syllog. Numifm. pag. 243.*
c *Tom. 1. lib. 1. pag. 38. Rom. 1742.*
d *Cathar. Davila Hift. Lat. reddita a Petro Cornaz. Rom. 1742. & feqq.*
e *Buffieres Hiftoire de France lib. X.*

Digitized by Google

& quam periculis plena, quum Gregorius XIII. Pontificatum auspicatus est, ex ipsiusmet oratione in Consistorio recitata discimus [a]: *Nova*, inquit, *hæc provincia, quam nobis imposuistis, licet sit Angelorum etiam humeribus formidanda, custodiendi scilicet, & pascendi, hisce præsertim tam calamitosis temporibus, Christi Gregem, non ideò animos demittimus, speramus enim, Deum, qui vires addit iis, quos cæteris præficit, ope sua infirmis nobis adfuturum.*

V.

4. GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum, & pluviale, in quo S. Andreæ crucifixio; subtus:* LAV. PARM.

PROVIDENTIA. CHRIST. *Mulier stans hastam lævâ, & gubernaculum, globo innixum dextrâ tenens.* [4]

Hujus Numismatis symbolum idem est, ac veterum Antonini Pii, Trajani, & Vespasiani Numismatum [b]. R. P. *Bonannius* legit: PROVIDENTIA. CHRISTI. quum nos dicamus CHRISTIANA, more Veterum, qui *Providentia Augusta*, & *Providentia Augusti* [c] dicebant. Possumus in hoc agnoscere subsidia a Gregorio, statim ac Pontificatum assumsit, data, non solum Hispanis, & Venetis, ut eos ad bellum in Turcas [d] incenderet, verum etiam Carolo IX. Galliæ Regi in Hugonottos, & Philippo II. Hispaniæ in Belgii Fœderatas Provincias rebelles, decertantes.

VI.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. AN. II. *Effigies cum Camaleucio, & brevi pallio.*

DOMVS. MEA. DOMVS. ORATIONIS. VOC. *Salvator in templi limine, ejusdem profanatores ejiciens.* [4]

Non adfert hoc Numisma Bonannius, cujus posticam vidimus etiam in Pio IV., & Pio V.

VII.

5. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. A. III. *Effigies, ut supra.*

IN. AEQVITATE. ABVNDANTIA. *Mulier stans cum lance in dextra, & cornucopiæ, ramoque in læva.* [4]

Initio Pontificatus, ut omnibus, præsertim privatis, & pauperibus, præ-

a *Annal. Greg. XIII. pag. 20.*
b *Occl. Agost. D'al pag. 57.*
c *Vaill. edit. Rom. rec. 1743. tom. 2.*
d *Annal. Greg. XIII. tom. 1.*

præsto esset, diem constituit, qua singulis hebdomadis cuilibet, ipsum coram adloqui fas esset. Gratias, & officia vetuit esse venalia: Quadrantis vectigal ex carne suilla sustulit, aliud itidem, quod in Æmilia ex vino solvebatur. His non contentus, summo subditorum plausu Patroni Fiscalis officium, non tantum Romæ, sed & in tota eadem Æmiliæ Provincia vetuit, ne in posterum venum iret, quin imo restituto pretio iis, qui ea emerant, in eorum munera alios suffecit [a].

VIII.

GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum, cum pluviali, in quo S. Andreas Cruci affixus visitur: subtus*: LAV. PARM. 30.

ET. IN. NATIONES. GRATIA. SPIRITVS. SANCTI. *Templum rotundum columnis ornatum, in cujus medio Martis simulacrum: Multi e Populo extra templum, partim sedentes, partim stantes, qui S. Paulum supra suggestum verbum Dei annunciantem audiunt: In eminentiori parte Spiritus Sanctus radiis fulgens*. [4]

Hujus pulcherrimi Numismatis emblemate ex Divo Luca sumto [b], significatur Pontificis zelus in Catholicæ Religionis propagatione, quum ob tot Collegia Romæ, Vindobonæ, & Coloniæ Agrippinæ fundata, & redditibus aucta, tum ob multos Evangelicos Ministros in perlonginquas Regiones missos, & subsidia Catholicis ab Hæreticis oppressis præstita [c].

IX.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. A. III. *Caput nudum cum pluviali arabici operis*; *Infra*: IO. ANT. PARM.

Eadem postica, ac in præcedenti. [4]

Alterum simile cum Anno Jubilei vidimus, ac litteris: FED. PARM.

X.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. AN. III. *Effigies cum camaleucio, & pallio brevi*. 38.

RESTAVRAVIT. *Pons sex arcubus constans; supra Pontem Virginis simulacrum, infra illum fluminis jacentis signum cum urna*. [5]

XI.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra*. 39.

RESTAVRAVIT. *Idem Pons, & flumen, quod supernè fluens, e Pontis arcubus emergit*. [4]

S Re-

a *Annal. Greg. XIII. pag. 24.*
b *Cap. X.*
c *Annal. Greg. XIII. tom. 1.*

Repræſentatur in utroque hoc Numiſmate Pons Senatorius, quem Paulus III. & Julius III., curante Nannio, *Baccii* filio, *Bigio*, inſtauraverant [a], & denuò an. MDLVII. ſub Paulo IV. dirutum, quum annus Jubilei MDLXXV. jam proximus eſſet, Gregorius XIII. reſtituit, præfecto operi Matthæo Caſtellio, eumque nuncupavit Sanctæ Mariæ Pontem [b]: Ipſe quinque Cardinalibus comitatus initio operis benedictionem impertiit, & in fundamenta, more conſueto, aureos, & argenteos Numos jecit [c].

XII.

20. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. A. III. *Effigies cum camaleucio, & dextra benedicens*; *Infra illam*: F. C.

NIHIL. COINQVINATVM. *Porta Sancta*: *In medio*: MDLXXV. *In exergo*: ROMA. [5]

XIII.

17. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. ANNO. IVBILEI. *Caput nudum cum pluviali, in quo Porta Sancta, & frequens populus*; *Infra*: FED. PARM.

DOMVS. DEI. ET. PORTA. COELI. *Pontifex cum Clero Portam Sanctam reſerans, multis Peregrinis genuflectentibus*: *Pater Æternus cum multis Angelis in aere*; *& infra*: 1575. [4]

XIV.

18. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. AN. IVBILEI. MDLXXV. *Caput triplici corona ornatum cum pluviali, in quo Pontifex in throno, & multi eum, flexis genibus, adorantes*.

ET. PORTAE. COELI. APERTAE. SVNT. *Porta Sancta cum ſertis, Spiritus Sanctus in timpano, Angeluſque cum duabus tubis in portæ meditullio*; *In exergo*: ROMA. [4]

XV.

19. *Eadem antica*.

MAGNIFICENTIAE. REGNI. TVI. *Porta Sancta, in medio, Spiritus Sanctus*: *tiara tribus coronis referta humo adhærens*. [4]

XVI.

21. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Nudum caput cum arabicè exornato pluviali*.

APERVIT. ET. CLAVSIT. ANNO. MDLXXV. *Porta Sancta clauſa, & in exergo*: ROMA. [4]

XVII.

a *Vaſar. Vite de' Pittor. tom.* 1. *pag.* 194.
b *Mucant. in Diariis*.
c *Annal. lib.* 2. *p.* 107.

XVII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 22.

GREG. XIII. P. M. APERVIT. ET. CLAVSIT. AN. IVBILEI. *Porta Sancta clausa, & in exergo:* 1575. [4]

Horum Numismatum Epoca respondet anno Gregorii quarto: licet in primo, fortasse per anticipationem, adnotetur annus III. In vigilia Nativitatis Domini anni MDLXXIV., feria VI. Pontifex Clero cum facibus accensis comitatus, hora vespertina e Pontificiis ædibus egressus, sella vectus gestatoria, albis vestibus indutus [a], facem accensam gerens, tribus mallei ictibus Portæ Sanctæ murum ritu solito percussit, qui statim dejectus est; Indè, ingresso Pontifice, Populus sequutus est, qui eo frequens fuit, ut ad XVII. turba pressi obierint. Inde per Cardinalem Moronium S. Collegii Decanum Pontifex S. Pauli Portam aperiri jussit; eodemque die Cardinalis Marcus Antonius Columna Portam S. Johannis in Laterano, aliam verò S. Mariæ Majoris ejus Ecclesiæ Archipresbyter Alexander Cardinalis Sfortia, mandato Pontificis aperuere.

XVIII.

GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAX. A. IIII. *Caput nudum cum pluviali arabico opere efformato.*

ANNO. IOBILEO. MDLXXV. *Basilicæ Vaticanæ frons ad Sangalli modulum; In exergo:* PETRO. APOST. PRINC. [4]

XIX.

GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum cum pluviali, in quo S. Andreas crucifixus.* 34.

SVPER. HANC. PETRAM. *Ejusdem Basilicæ adspectus; In exergo:* ROMA. [4]

Horum Numismatum primum præteriit *Bonannius*, qui in sua Templi Vaticani historia [b] scribit, Gregorium XIII. summoperè curasse, ut ædificium illud quamprimum perficeretur; ideo Jacobum Portam operi præfecit, jussit tamen, ne *Bonarrotii* [c] præcepta excederet, sed ad ejus modulum, & delineationes ædificaret [d].

XX.

GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Effigies, ut supra.* 35.

S 2 GRE-

a *Diar. di Greg. MSS. & annal. pag.* 145.
b *Cap.* 14.
c *Fontan. Templ. Vatic.*
d *Roma Moderna t.* 2.

Digitized by Google

GREGORIANA. D. NAZIANZENO. DICATA. *Adſpectus Sacelli in honorem Sancti Gregorii Nazianzeni in Vaticana Baſilica ædificati*. [4]

Cardinalis Baronius, qui translationi corporis S. Gregorii Nazianzeni ab Eccleſia S. M. in Campo Martio ad Vaticanam Baſilicam interfuit, gratulatur Sancto, quod abdicata Conſtantinopolitana Sede, etſi inglorius vixerit, tamen glorioſus obierit, deinde ſubdit [a]: *Sed quid tandem? Ecce pro Byzantio Deus rependit Romam, pro nova, antiquam, pro illa exigua Anaſtaſia, Auguſtiſſimam Baſilicam Vaticanam, Urbis ornamentum, Orbis miraculum, pro tenui denique ſepulcro, fornicem triumphalem, ampliſſimum, inquam, Sacellum, quod in honorem ſui Gregorii Gregorius noſter Pontifex conſtruxit, magnificentiſſime exornavit, atque illuſtravit*. Aliud Numiſma exſtat, in cujus antica: GREG. XIII. PONT. OPT. MAX.

XXI.

31. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. AN. IIII. *Effigies, ut numero XIX.*

IN. NOM. IESV. SVRGE. ET. AMB. *Sanctus Petrus manus claudo ante Portam jacenti porrigens*; *In exergo*: 1575. [4]

Adludit Numiſma ad Portæ Sanctæ reſerationem, indulgentiaſque anno Jubilei elargiri ſolitas, quo multi a remotis Provinciis Romam advenere, inter quos eximiæ pietatis viri Carolus Princeps Cliviæ, & Erneſtus Bavariæ, quorum primus Romæ obiit [b].

XXII.

6. GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAX. A. IIII. *Effigies, ut ſupra.*

ANNONA. PONT. *Mulier ſtans, proræ innixa, & gubernaculo, cum cornucopiæ in dextra, & parvo ſigno in læva, pro pedibus modium cum ſpicis, & pomis*. [5]

Hujus poſtica exemplum eſt Pauli III. Numiſmatis, in quo legitur: ANNONA. PONTIFICIS., quum in hoc R. P. Bonannius, ut in veteribus Numiſmatibus, legat: ANNONA. PONTIFICIA. Non poteſt melius Pontificis cura exprimi, quam hoc anno adhibuit, ut copia Romæ eſſet, quàm adducendo, quod in Maffeji *annalibus* legitur [c]; Nempe: *Idem Pontifex, poſtquam, ut diximus, vias reſtauravit, & tutas reddidit, prœmaturè commeatuum copiam collegit*;

a *In Notis ad Martyrol. die* 11. *Junii*.
b *Annal. Gregor. XIII. lib.* IV.
c *Lib.* IV. *pag.* 149.

legit; quas tali œconomia distribui curavit, ut eo anno rerum, quæ humanis usibus necessariæ essent, copia fuerit.

XXIII.

GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum, pluviale arabici operis.* 7.

SECVRITAS. POPVLI. ROMANI. *Mulier sedens capiti manu supposita, hastaque in dextra; ante illam ara, & accensa fax. In exergo:* ALMA. ROMA [4]

XXIV.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. A... *Effigies, ut in præcedenti.* 8.
Eadem epigraphes, & mulier sedens, ante illam ara absque igne, & face. [4]

Utriusque Numismatis posticæ conspiciuntur in Pauli III., Julii III., & Pii IV., Numis, meritò sub Gregorio XIII. restitutæ, non tantum ob earum pulchritudinem, quam ad denotandam Pontificis vigilantiam.

Ad incolumitatem Populi Romani, exterorumque Romam anno Jubilei adventantium, Optimus hic Pontifex Præsidibus ditionis Apostolicæ jussit, ut vias communirent, Pontes restituerent, novosque, ubi opus esset, construerent. Quare duos Pontes, alterum in Palia ad *Aquam pendentem*, alterum ad Forum Livii in Utente (Montonem dicunt) fieri jussit. Multa etiam constituit ad vehendam Romæ copiam, & securitatem, ac comoditatem peregrinis parandam [a].

XXV.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 12.

IN. FLVCTIBVS. EMERGENS. *Apostoli retia in navim trahentes.* [5]

Hanc posticam vidimus jam sub Paulo IV., & Pio V.

XXVI.

GREGORIVS. XIII. PONT. M. *Effigies nudo capite, cum pluviali, in quo Pontificis coronatio visitur.*

IN. FLVCTIBVS. EMERGENS. *ut supra.* [6]

Hoc Numisma minori est modulo, quam præcedens.

XXVII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. A. VIII. *Caput nudum cum pluviali, in quo S. Petrus, & S. Paulus stantes.* 24.

BEATI

a *Annal. lib. 2. pag. 107.*

BEATI . QVI . CVSTODIVNT . VIAS . MEAS. *Redemtoris simulacrum*. [5]

Et hæc postica Julio III., Paulo IV., & Pio V. visitur. Apud Hameranos aliud Numisma vidimus, cujus antica est: GREGORIVS. XIII. P.M. APERVIT. ET. CLAVSIT. A. IVBILEI. 1575.

XXVIII.

25. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedenti*.

ECO. SVM. LVX. MVNDI. *Idem simulacrum*. [5]

Licet hæc postica in Numis Pii IV., & Pii V., aliorumque Pontificum conspiciatur, novum tamen emblema, recens cusum Numisma declarat.

XXIX.

26. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & pallio brevi*.

VIRGO. TVA. GLORIA. PARTVS. *Beata Virgo cum Puero Jesu inter nubes*. [6]

Hæc postica cusa est iisdem formis, quibus Julii III., & Pii IV. Numi, de quibus disseruimus.

XXX.

15. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. AN. IVBILEI. MDLXXV. *Caput triplici corona ornatum, & pluviale, in quo Pontifex in throno, populusque genibus flexis eum adorans*.

TVTVM. REGIMEN. *Roma sedens super arma cum Dracone in dextra; retrò illam libri, cornucopiæ, & Tubæ, ante verò super mensa Tiaræ, Coronæ, & Infulæ: In exergo*: ROMA. [4]

Præter ea, quæ supra de Gregorii cura, ad tutam Ecclesiasticam ditionem reddendam, diximus, exstruxit etiam is Turrim ad Padum Primarii, ad arcendos Piratas: Anconæ munimenta restauravit [a], omnemque adhibuit diligentiam, ut subditos ab externorum injuriis defenderet; Jure igitur optimo ab Auctore Numismatis factum est, ut pro Palladio securitatis symbolo, Draconem Pontificis stegma, vigilantiæque symbolum, Roma manu teneret. In antica alterius legimus: GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAX. A. 1583.

XXXI.

23. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali arabici operis*.

INVENI. HOMINEM. SECVNDVM. COR. MEVM. *David Rex geni-*

[a] *Annal. Greg. XIII. lib. 2. & 3.*

genibus flexis, cum Psalterio juxta illum, Angelisque supernè; In exergo: IVBILATE. DEO. OMNIS. TERRA. [4]

Emblema in exergo positum alludit, ut censeo, anno Jubilei, in quo fortasse Numisma cusum est: aliud emblema Davidi proprium, merito huic Pontifici aptatur, de quo a Concilio Tridentino reverso, & Cardinali a Pio IV. electo, Pius Pontifex in Consistorio dixit: *Hic est, in quo dolus inventus non est* [a].

XXXII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut in præcedenti.* 28.

VERVS. DEI. CVLTVS. *Mulier velata stans, librum, clavesque manu tenens; ab altero latere tabulam, in qua sigla:* S. ROM. EC. *Circa illam librorum copia cum palmis, & Regno.* [4]

Repræsentatur hìc Romana Ecclesia Veri Magistra; quæ libris ab Apostolica Sede adprobatis verum Dei cultum, religionemque docet. Potest etiam sollicitudini Pontificis in nationem Græcam adludi, qui anno MDLXXVI. duodecim millia Cathechismorum vernaculo Græcorum idiomate, & Concilii Tridentini summa cura impressi [b] volumina innumera suis sumtibus in Græciam misit. In antica alterius legimus: GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAX. A. 1583.

XXXIII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. A. VIII. *Caput nudum, cum pluviali, in quo SS. Apostoli Petrus, & Paulus stantes.* 29.

IN. LVMINE. TVO. CERNIMVS. LVMEN. *intra floreum sertum.* [4]

Cœlesti Numine afflatus Summus Pontifex, ope Codicum manuscriptorum, quos toto Orbe comparatos adhibuit, ut Sacra Biblia emendatiora ederentur, curavit, Congregatione ad hoc instituta. Martyrologium etiam Romanum Typographorum negligentiâ [c] mendosum, ac depravatum corrigi, & augeri jussit, itemque Cæremoniale Episcoporum, & Gratiani Decretum; ad quæ omnia significanda aptissimus est versus Psalmi xxxv. Numo insculptus.

XXXIV.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, pallio brevi, & manu benedicenti; Infra:* IO. V. MB. IN. 32.

IVSTITIA. PACEM. COPIAM. PAX. ATTVLIT. *In medio Justitia in throno sedens cum ense, & lancibus: In læva mulier fa-*

ce

a *Bompian. in vit. pag. 16.*
b *Annalium tom. 1.*
c *Annal. Greg. XIII. tom. 2.*

ce arma comburens: *In dextra*, *mulier cum cornucopiae*, *& spicis*; *In exergo*: 1579. [3]

Recte *Luchius* [a] iis verbis, & symbolis designari putat seditiones, & turbas, quibus Januensis Respublica vexata est, & in maximum discrimen adducta ambitione Nobilium; nam adscripti antiquiori Ordini (Porticum vetus dicunt) alios recentiores Nobiles (seu *novae porticus*) a muneribus quibusdam arcere conabantur, reclamantibus istis, & acerrime obsistentibus, ita ut non contentione solùm, sed armis jam decertaretur. Opportune Pontifex Moronum Cardinalem Januam misit, qui non sine maximo labore tumultum sedavit, animosque composuit. Interea Gregorius Henrico Galliarum, & Philippo Hispaniarum Regibus suasit; ne Januensium rebus se immiscerent: alia quoque Pontifex, ut ejus annales habent, in eam urbem contulit beneficia, quibus aucta est Respublica, commercium restitutum, & cives longâ pace, & quiete donati.

XXXV.

35. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. BONON. *Caput nudum*, *cum pluviali arabici operis*; *subtus*: S. P. Q. B.

LEVATA. ONERE. PATRIA. *Mulier armata stans cum vexillo*, *libris*, *& armis stratis*, *& ab alio latere aliquot rudera*. [4]

Primis Pontificatus sui annis Gregorius demoliri jussit *Castrum Francum*, quod Bononiae erat infestum; in cujus beneficii memoriam aurea, & argentea Numismata a Bononiensibus sunt cusa, in quibus munitiones demolitas cernere erat [b]; Procul dubio, quod damus Numisma, unum ex iis est.

XXXVI.

36. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies*, *ut supra*.

VT. FAMVLV. TVV. GREG. CONSEVARE. DIGNE. *Exterior facies Templi*; *& in exergo*: 1582. [4]

R. P. Bonannius autumat, designari hic Templum a Pontifice in vico Montis Portii constructum prope Tusculum, S. Gregorio Nazianzeno dicatum, teste Ciacconio [b], anno MDLXXXII., qui designatur in nostro Numismate; si quod autem Templum Gregorius in eo vico aedificavit, sanè aliud est ab eo, quod modo exstat. Hoc enim a fundamentis excitavit Johannes Baptista Burghesius loci Dynasta impensis LXX. millibus aureorum, Architecto Francisco Raynaldo.

XXXVII.

40. GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Caput nudum*, *cum*

a *Sylloge. Numism. pag.* 256.

Digitized by Google

cum pluviali, in quo S. Andreæ crucifixio; subtus: LAV. PARM. VIATORVM. SALVTI. ANN. DNI. MDLXXX. *Pons in flumine, & fluvii signum jacens cum urna, & gubernaculo; supra illud legitur*: PALIA. [4]

Repræsentatur hìc Pons supra *Paliæ* flumen prope Aquampendentem in limitibus ditionis Ecclesiasticæ, & Etruriæ, sub Gregorio XIII. constructus. Hujus tantum rudera supersunt, cum hoc disticho:

Omnia, dic, læta eveniant, & fausta, Viator,
Gregorio, tutum qui tibi fecit iter.

In annalibus hujus Pontificis novissimè editis [a], Pons iste constructus legitur anno MDLXXIII. his verbis: Magna diligentia (Gregorius) vias, Pontesque restaurari curavit; Horum unus exstructus fuit in Paliæ rapidissimo torrente ad Aquampendentem. At hoc factum est, juxta nostrum Numisma, septimo post anno, nempe MDLXXX.

XXXVIII.

GREGORIVS. XIII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Eadem effigies, ac in præcedenti.* 41.

VIATORVM. SALVTI. ANN. DNI. MDLXXIX. *Pons supra flumen, in inferiori parte caput Bovis*. [4]

Ex supra memoratis *annalibus* [b] constat, qui fuerit iste Pons; *Alium*, dicunt, *construxit Pontem in via Flaminia prope Forum Livii in flumine dicto*, il Montone, *in quo Viatores sæpe periclitantur*. Etiam hic Auctor errat, quum notet annum MDLXXIII., pro an. MDLXXIX., qui Numismati inscribitur. Tauri caput, apud Veteres fluminis erat symbolum [c].

XXXIX.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Caput nudum cum pluviali, in quo multi Pontificem in throno existentem adorantes.* 42.

PORTVS. CENTVMCEL. INSTAVR. VRBEMQ. VALLO. AVXIT. *Portus Centumcellensis adspectus*. [5]

Hæc postica quum conspiciatur etiam in Numo Pii IV., Bonannio suspecta est, potissimum, quod nullibi monumenta Gregorii Centumcellis viderit: sed immeritò, habemus enim ex annalibus mox laudatis [d], anno MDLXXVIII. Gregorium Centumcellas petiisse, & ad eum portum e Tiberi aquas novo alveo deducere meditasse, ut inde

T

a *Lib. II. pag. 107.*
b *Lib. II. pag. 107.*
c *Oysel. Numis. Bannier. Mythol.*
d *Lib. VII. pag. 376.*

de Naves Romam commodiùs appellerent: sed opus minime aggressus est, quod impossibile nedum difficile peritorum sententiâ factu esset; Itaque nihil prohibet, quin Numisma genuinum reputemus, fortasse verò formâ Numi Pii quarti artifex usus est, ut citius Numum ederet.

XL.

43. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*
Adspectus Ædium Senatoris in Capitolio, & infra: S. P. Q. R. [4]
Tria circum Capitolii aream Palatia sita sunt, quod in medio est, Bonifacius IX. ædificavit, Gregorius XIII., & Clemens VIII. ampliarunt, ornaveruntque. Præcipuus Architectus horum ædificiorum Bonarrotius fuit, sed non omnia perfecit. Duplices scalas, per quas ad idem Palatium est aditus, necnon Lacum iis adjacentem mirificè ornatum Porphiretico Romæ signo, & Nili, Tiberisque statuis, ipse adhuc vivens ædificavit Pio IV. Pontifice. Cæteras ejus Palatii partes, nempe primi ordinis fenestras Jacobus a Duce, secundi ordinis Hieronymus Rainaldus ornarunt [a]. Palatia verò, quæ in areæ lateribus exstant, Innocentius X., & Alexander VII. Laurentii Bernini cura ad Bonarrotii delineationes perfici curarunt.

XLI.

44. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*
S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *intra coronam lauream.* [4]
Gregorii Statua Senatus Decreto in Capitolio erecta, etiamnum in atrio Senatoris visitur: Ei adposita Epigraphe satis demonstrat, ob beneficia in Populum Romanum collata Gregorium Optimi Principis nomine meritò donatum.

GREGORIO. XIII. PONT. MAX.
OB. FARINAE. VECTIGAL. SVBLATVM
VRBEM. TEMPLIS. ET. OPERIBVS. MAGNIFCENTIVS
EXORNATAM
H-S. OCTINGENTIES
SINGVLARI. BENEFICENTIA
IN. EGENOS. DISTRIBVTVM
OB. SEMINARIA. EXTERARVM. NATIONVM
IN. VRBE. AC. PEN. TOTO. TERRARVM. ORBE
RELIGIONIS. PROPAGANDÆ. CAVSA. INSTITVTA

OB

a *Roma Moder. pag. 5.*

OB. PATERNAM. IN. OMNES. GENTES. CHARITATEM
QVA. EX. VLTIMIS. NOVI. ORBIS. INSVLIS
IAPONVM. REGVM. LEGATOS
TRIENNII. NAVIGATIONE
AD. OBEDIENTIAM. SEDI. APOSTOL. EXHIBENDAM
PRIMVM. VENIENTES. ROMAM
PRO. PONTIFICIA. DIGNITATE. ACCEPIT.
S. P. Q. R.

XLII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio, manu benedicens.* 45.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Turris Capitolinae adspectus; In medio*: ANN. DNI. MDLXXIX. [4]

XLIII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra; In inferiori verò parte*: IO. V. ME. IN. 46.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Idem adspectus.* [4]
Ædibus Senatoris in Capitolio imminet alta Turris a Gregorio XIII. erecta AN. MDLXXIX. [a], ut ex Numismatibus, & insignibus, quæ in ea visuntur, apparet; Magna nola, quæ in ea est, nonnisi tempore Bacchanaliorum pulsatur, ad indicenda spectacula, & quum Populo Principis mors est annuncianda, & tandem, quum reus aliquis morti a Senatore damnatus, ad patibulum ducitur. Nullus, quod sciam, historicus hæc hujus Pontificis ædificia memorat, quorum memoriam Numismata tantum nobis servarunt.

XLIV.

COLLEGIVM. OMNIVM. NATIONVM. SOC. IESV. EXTRVXIT. GREGORIVS. XIII. AN. PON. X. *Pontificis effigies cum triplici Regno, pluviali arabicè ornato, manu benedicens.* 47. 48.

IHS. SACERDOS. MAGNVS. IN. VITA. SVA. SVFFVLSIT. DOMVM. ET. CORROBORAVIT. TEMPLVM. IN. DIEBVS. IPSIVS. EMANAVERVNT. PVTEI. AQVARVM. ECCL. L. [3]

XLV.

GREGORIVS. XIII. AN. PON. X. SOCIETATIS. IESV. GENERALE. COLLEGIVM. EXTRVXIT. ET. DOTAVIT. *Pontificis effigies cum camaleucio, & pallio brevi.* 49. 50.

a *Roma Moderna tom. 2.*

BONAS. ARTES. ALIT. ET. VERAE. RELIGIONI. SVBIICIT. GREGORIVS. *Mulier sedens super aram cum Cruce in manu; circa illam quatuor aliæ mulieres genibus flexis, una cum Calice in manu, altera cum globo, reliquæ cum libris apertis.* [3]

XLVI.

51. 52. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. COLLEGIVM. SOCIETATIS. IESV. OMNIVM. NATIONVM. SEMINARIVM. PRO. SVA. IN. CHRISTIANAM. RELIGIONEM. ET. ORDINEM. ILLVM. PIETATE. A. FVNDAMENTIS. EXTRVXIT. ET. DOTAVIT. AN. SAL. CIↃIↃLXXXII. PONT. SVI. X. ROMAE.

SEMINANS. IN. BENEDICTIONIBVS. DE. BENEDICTIONIBVS. ET. METET. *Pontifex in throno sedens cum pluviali, & Regno, multos Jesuitas adstantes benedicit; in parte superiori fascia, in qua legitur:* ITE. OPERAMINI. IN. VINEA. DOMINI. [2]

XLVII.

53. 54. GREGORIVS. XIII. AN. PON. X. GENERRALI. COLLEG. SOCIETATIS. IESV. ROMAE. EXTRVCTO. ET. DOTATO. *Effigies cum camaleucio, brevi pallio, & manu in signum benedicendi.*

GREGORIO. PASTORI. OPTIMO. PATERNA. CARITATE. OVES. PASCENTI. *Pontifex genibus flexis cum pluviali, habet regnum in terra depositum, multasque oves ante illum; procul visitur ædificium; & inter nubes Christus, qui manu ei indicat verba:* PASCE. OVES. MEAS. *quæ infra nubes conspiciuntur.* [2]

XLVIII.

55. 56. GREGORIVS. XIII. AN. PON. X. COLLEG. SOC. IESV. OMNIVM. NATIONVM. GRATIA. FVNDATO. DE. RELIG. ET. LIT. OPT. MER. *Caput nudum cum pluviali, in quo Icon stans.*

VT. ERVAT. PRAEDAM. CAPTIVORVM. FRATRVM. ABRAHAM. TRECENTOS. VERNACVLOS. EXPEDITOS. NVMERAT. *Armatorum Grex, quos Abraham incedere jubet.* [2]

XLIX.

57. *Eadem effigies, & inscriptio, ac in præcedenti.*
Idem emblema; at hic Abraham quatuor armatos milites ducit. [3]

Sex

by Google

Sex a nobis memorata Numismata, cusa fuerunt in memoriam fundationis Collegii Romani a Gregorio XIII. erecti, Ammannato Architecto. Muri lateritii sunt, sed egregii operis, frons Tiburtino lapide ornata, in qua nomen Pontificis inscriptum est, addita epigraphe: GREGORIVS. XIII. RELIGIONI. ET. BONIS. ARTIBVS. Amplum habet atrium eleganti porticu circumseptum, scalas, aulamque magnificentissimas, Gymnasia, sacrasque ædiculas, quibus adolescentes ad studia, & pietatem instruuntur: quod reliquum est Patres incolunt, quibus etiam præsto est Bibliotheca optime instructa, accessione factâ librorum Jo: Bapt. Coccini S. Rotæ Auditoris, qui iisdem Patribus eos legavit. Demum nobile Museum summa ædificii pars continet, infima verò officinam undique conquisitis Pharmacis electissimis refertam. Mense Januario anni MDLXXXII. primum lapidem posuit Card. S. Sixti Pontificis Fratris filius; In hujus annalibus ita de hac fundatione scribitur [a]: Romæ etiam Generale omnium Nationum Collegium fundandum censuit; Ideoque Patrum Jesuitarum Collegio attribuit Abbatiam Claravallensem Sfortiæ obitu vacantem, & magno pretio Insulis conterminis eorum Collegio coemtis, viisque clausis, regale ædificium auspicatus est, assignato super redditibus Cardinalium Nepotum ad viginti annos aureorum 7000. pensione.

In secundo Numismate adest religio, cui propria studia offerunt Theologia, Mathesis, Philosophia, & Poesis. In tertio Pontifex, qui aliquot Societatis Jesu Sacerdotes prædicatum mittit.; Huic rei adludit etiam quintum, & sextum Numisma per Abraham, qui aliquot Milites mittit ad Fratres servitute hostium liberandos. In quarto tandem Numismate legitur Redemtoris præceptum S. Petro datum, & ejus Successoribus. Numisma simile XLIV. vidi, cum camaleucio, & brevi pallio.

L.

GREGORIVS. XIII. PO. MA. *Effigies cum camaleucio, & pallio brevi, & manu, quâ benedicit.* 58.

IVVENT. GERMANICAE. *Ædificii adspectus, in cujus vestibulo Jesuitæ Juventutem advenientem recipiunt; in Epistylio legitur:* COLLEGIVM. [4]

Hoc Numisma ex ære deargentato conspexi apud Marchionem Lucatellium. Collegium Germanicum instituit, S. Ignatio suadente, Julius III.; sed angustum, & exiguos habens redditus, Gregorius

a *Lib. x. pag. 118.*

rius XIII. Immunitatibus, Privilegiis, largoque censu donavit, annuos enim aureos decem mille [a] a R. Cam. solvendos eidem assignavit, usquedum bonis stabilibus potiretur; Jure igitur Fundator dici potest, præsertim quod Nuncios Apostolicos monuerit, ut Romam primæ Nobilitatis Juvenes ad hoc Collegium mitti curarent. Anno MDLXXV. [b] ædes S. Apollinari proximas, quas jampridem Columnensis familia possederat, & Cardinalis Guillelmus Estoutevillæus Episcopus Rhotomagensis ampliaverat, ei attribuit, quum anteà certas ædes non haberet, Cardinalibus Lotharingico, & Alexandrino Titularibus, qui se opposuerant, eorum auctis redditibus, sedatis. Tandem anno MDLXXVIII. [c] licet jam Collegium XVII. millia aureorum annua haberet, eidem univit Monasterium, Ecclesiam, & Hospitale S. Stephani in Monte Cœlio, amotis inde Fratribus Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Hungaricæ Provinciæ; jussit tamen, ut inter Germanos alumnos reciperentur etiam Hungari, indeque Collegium Germanicum, & Hungaricum dictum est. Ex Numismate eruitur, Pontificem frontem Collegii, & Ecclesiæ renovare constituisse, quod posteà morte præventus non est exequutus. BENEDICTUS XIV. novum Templum, quod vetus informe, humidumque foret, construi jussit, principemque aram suâ impensâ se ædificaturum professus est, & quidem Pontifice dignam. Idem XII Kal. Sept. an. MDCCXLII. magnifico apparatu in novi ædificii area sericis velis circumsepta, tectaque ad Templi speciem, sacrum fecit, & Ecclesiastico ritu primum in fundamentis lapidem posuit.

LI.

59. GREGORIVS. XIII. PONT. OPT. MAXIMVS. *Caput nudum, & pluviale, in quo Christus e littore S. Petrum in navi stantem appellat*; *Subtus*: L. PAR. IN.

ANNO. RESTITVTO. MDLXXXII. *Draco, qui caudam ore prehendens, circulum corpore conficit, intra quem caput Arietis cum serto, ad Encarpi formam*. [4]

Inter alia, quæ summam Gregorio laudem compararunt, illud præcipuum fuit, quòd, ejus curâ, Julianus annus ad rectam rationem redactus sit, & Kalendarium restitutum, opus sane maximum, diuque exoptatum, sed, quod difficillimum haberetur, a nemine ad id tempus tentatum. Causa corrigendi fuit [d], quòd solemne Paschatis

a *Annal. Gregor. tom. 1. pag. 76.*
b *Ibid. pag. 159.*
c *Ibid. pag. 256.*
d *Annal. tom. 1.*

tis festum, juxta Nicænum Concilium celebrandum Dominico die Vernum Æquinoctium insequenti, non amplius indicto tempore celebraretur; Æquinoctium enim Vernum ad corrupti Kalendarii tabulas non in XX., & XXI. diem Martii incidebat, prout recta temporis ratio postulabat, sed ad diem X., & XI. ejusdem mensis paulatim adscenderat. Quare Gregorius, ut errori mederetur, præstantissimos accivit Mathematicos, quos inter Vincentius *Laureus*, & Christophorus *Clavius* eminebant. Epactarum Cyclum ab Aloysio *Lilio* Calabro adinventum ab iis in trutinam revocari jussit; hi mandato obsequuntur, Lilii inventum ipsis, & Europæ Academiis probatum, Pontifici exponunt; qui Kalendis Majis anni MDLXXXII. editâ Constitutione, Kalendarii correctionem indixit, & ab eodem anno X. dies auferri jussit, itaut insequentis Octobris dies V. haberetur, ac si esset XV. Ad hæc, ne lapsu temporis iterum vetus error irreperet, voluit, ut in posterum (servatâ quidem consuetâ ratione interkalandi unum diem quarto quoque anno) non omnes anni centesimi essent bissextiles, sed primi tres centesimi post annum 1600., communes essent, dierum videlicet tantum 365., talesque forent anni 1700. 1800. & 1900. insequens verò annus 2000. bissextilis esset, eademque ratio in futuris quibusve quaternis sæculis servaretur. Huic Constitutioni obtemperavit Italia, deinde Hispania, Polonia, aliæque Regiones; renuerunt Hæretici, ne Pontifici obsequi viderentur, eam tamen restitutionem recte, & rite factam non inficiantur, licet hisce temporibus nova indigeat Kalendarium correctione, juxta aliquot Astronomos [a]. Jure igitur hoc Numisma, quod deauratum conspexi, in Pontificis Gregorii honorem cusum est, in quo caput Arietis principium anni indicat, qui incidit in Vernum Æquinoctium, quo tempore Sol Arietis signum attingit. Draco, qui Pontificis Stemma est, caudam ore prehendens, juxta Ægyptiorum, & Phœnicum Theologiam [b], indicat Solis cursum, quia quum spiralis sit ejus via, nunquam finem habet. Aliud Numisma cum pluviali Pontificis arabice contexto etiam vidi.

LII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. ANN. VII. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 9.

VI-

a *Differt. Jac. Bettazzi de Paschate &c. Manfredi. Lucia &c.*
b *Kircher. in Oedip. Ægyp.*

VIGILAT. *Draco, in limine portæ, e latere verò:* AN. DÑI. MDLXXIX. [4]

LIII.

10. *Simile Numisma, non adpofito tamen anno.* [4]

LIV.

13. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut fupra.*

SPES. OPIS. EIVSDEM. *Draco haftâ elevatus, circa illum multa tabernacula, variique a ferpentibus morfi, illum refpicientes.* [4]

LV.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut fupra.*

VTRVMQVE. PRAESTAT. *in fafcia quadam, quæ Caducæum circumdat, & cornucopiæ, in quorum medio eft Draco.* [4]

LVI.

14. GREGORIO. XIII. PONT. MAX. S. P. Q. B. *Effigies, ut in præcedentibus.*

PRO. CVNCTIS. *Draco in colle pofitus in aliquot ruderum cuftodiam.* [5]

Omnia hæc Numifmata miram oftendunt Gregorii vigilantiam, pro paftorali, qua fungebatur in Chrifti Ecclefia, dignitate, fumta occafione ab ejus Stemmate, in quo Draco, a veteribus Hortorum Hefperidum Cuftos creditus [a]. Eorum tertium Hebræos indicat in deferto a ferpentibus morfos, & in ferpentem æneum oculos figentes, ut fanarentur; Hic verò pro ferpente Draco vifitur, Pontificis Stemma, cujus auxilio Romana Urbs, & Orbis Chriftianus a multis calamitatibus, a quibus affligtabatur, tunc temporis liberari fperabat. Quartum minori modulo fortaffe a Bononienfibus cufum eft, quum Gregorius Pontificatum iniret, ut fupra memoravimus; in eo oftenditur *Caftri Franci* demolitio [b], omnibus magnopere defiderata, quod declaratur ab emblemate: PRO. CVNCTIS. ideft, ad quietem cunctis procurandam.

LVII.

11. GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut fupra.*

OPTIME. REGITVR. *Navis gubernaculum, in cujus vertice Draconis caput.* [4]

Indicatur hic gubernaculum Navis Apoftolicæ a Gregorio Pontifice, qui per Draconem defignatur, moderatæ. Gubernaculum fuit apud

a *Bannier. Mith','log.*
b *Annal. tom. I.*

apud Veteres, ut cuique notum est, symbolum [a] Providentiæ, & Imperii. Gregorii verò Providentia a Bomplanio [b], Oldoino, & in ejus Annalibus memoratur. Ut summatim dicamus, Gregorius maximo studio ejiciendis ab Italia Hæreticis incubuit, diuque de ea re cum Sabaudiæ Duce egit. Profecto nil intentatum reliquit in Germania, in Spirensibus, Herbipolensibus, Basilæensibus, Argentoratensibus comitiis. Omnem lapidem in Gallia contra Hugonottos movit. Ut Catholicam Fidem [c] Hiberniæ restitueret, omnes conatus adhibuit. Merito igitur hisce de causis vigilantissimus Custos, Pastor, & Nauta omnibus habitus.

LVIII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 69.

MONASTERIOR. ECCLESIARVMQ. CONSERVATORI. PVNDATORIQ. CARD. PROTECT. GVBER. ET. CONFRATRES. DOMVS. PIAE. DIC. MDLXXXII. [4]

R. P. Molinetius hoc refert Numisma, a Confratribus Piæ Domus captivorum fortasse cusum. Hanc instituit Societatem ann. MDLXXV. P. Tallerius Jesuita, ut captivis consuleret, eisque non tantum eleemosynis opem ferret, sed & eorum causas patrocinaretur, & ad triremes temporaria tamen pœna damnatos liberaret. Fratres hi Collegium habent in Ecclesia S. Johannis de Pinea a Gregorio XIII. illis anno MDLXXXII. concessa, sub titulo Archiconfraternitatis. Ad hoc est præsens Numisma cusum.

LIX.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 61.

GREGORIO. XIII. P. M. OPT. PRINCIPI. HVGONI. BONCOMPAGNO. BONONIENSI. ANN. DNI. MDLXXVII. S. P. Q. R. [4]

Jure gratum suum animum hoc Numismate expressum voluit in hunc Pontificem S. P. Q. R.: hoc enim anno cum pleræque Europæ partes, quin etiam Italiæ, nempe Calabria [d], & Messana, peste sævissima affligerentur, ut a ditionis Ecclesiasticæ Provinciis morbum arceret, incolumesque redderet, oras maritimas, & fines Neapolitano Regno adjacentes diligentissime custodiri mandavit,

V nec

a *Videsis Mediobar. August. Oysel. Numism.*
b *In vita. Palatius in vita.*
c *Annal. tom. 1. & 2. per tot.*
d *Videas annal. Greg. XIII. tom. 1.*

Digitized by Google

nec minori studio divinam opem implorari jussit publicis supplicationibus indictis. Insuper ingravescente annona vetuit eo anno, ne ab Ecclesiastica ditione frumentum [a], aliaque ad victum necessaria extraherentur, eoque pacto imminenti periculo occursum est.

LX.

60. GREGORIVS. XIII. PONT. OPT. MAX. *Caput nudum, & pluviale, in quo Christus Petrum e navi arcessens.*

AB. REGIBVS. IAPONIOR. PRIMA. AD. ROMA. PONT. LEGATIO. ET. OBEDIENTIA. 1585. *In summitate, Cherubim caput.* [4]

Hic annus, Pontificis ultimus præ aliis memorabilis fuit, quod Legati ab Insulis Japonicis ad Romanum Pontificem primùm missi fuerint. In annalibus ampla legitur hujus legationis descriptio; dicam tantùm [b], *Manzium Itum*, Agnatum, & Legatum fuisse Regis *Bungi* Francisci, & Michaelem *Gingivam*, Consobrinum, & Legatum *Omuræ* Principis Bartholomæi: his additos duos alios illustres viros, Martinum *Faram*, & Julianum *Nacauram*: Hi x. Kal. Mart. anni MDLXXXII. ab Japonicis Insulis egressi, Lisbonam Occidentalem VI. Idus Sextiles an. MDLXXXIV. pervenerunt [c], inde Romam XI. Kal. Apriles anni MDLXXXV.; quam Urbem magna, nec unquam visa pompâ ingressi, in Aula Regia publice a Pontifice excepti sunt, coram Sacro Senatu, immensoque Populo: ibi lectis Litteris Francisci *Bungi*, & Protasii *Arimæ* Regum, necnon Bartholomæi *Omuræ* Principis, post perelegantem orationem a P. Gasparo Consalvo S. J. habitam, Pontificis pedes osculati sunt, atque in lacrymas effusi amplexati, qui paucis, sed clementissimis verbis eis respondit: & die illo in Palatio Apostolico commorati sunt in mansionibus Cardinalis S. Sixti Pontificis Fratris Filii.

LXI.

63. GREGORIVS. XIII. PONT. MAXIMVS. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & pallio brevi.*

VENITE. AD. ME. OMNES. ET. EGO. REFICIAM. VOS. *Pontifex aliquot genuflectentes benedicens.* [4]

Hoc etiam Numisma demonstrat zelum eximium, quo Pontifex oves de-

---

a *Annal. lib.* VII. *pag.* 373.
b *Annal. lib.* XIII. *pag.* 393.
c *Lib.* XIII. *pag.* 407.

Digitized by Google

deperditas revocare satagebat, inventasque eleemosynis, redditibusque alere [a].

LXII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 62.

NON. EST. QVI. SE. ABSCONDAT. A. CALORE. EIVS. *Sol in medio Zodiaco, suis radiis Stellas, Planetas, Orbemque terraqueum illuminans.* [4]

Hoc fusum Numisma, a R. P. *Oldoino* [b] adductum, memoriæ Gregorii Pontificis fuit dicatum, e Psalmo XVIII. sumtâ Epigraphe, qua Gregorii desiderium exprimitur [c], veram Religionem servandi, pro qua nec laboribus, nec sumtibus unquam pepercit.

LXIII.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

R. VINDICATA. LIBERTAS. — CONCORDIA. MDLXX. [4]

In Catalogo Hermanni *de Vos* hoc conspicitur Numisma. Illud ego falsum credo, præsertim quia annus MDLXX. ibi inscriptus est, cum Pontifex Gregorius nonnisi anno MDLXXII. Pontificatum adeptus sit.

LXIV.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. A. VIII. *Pontificis caput nudum, duabus stantibus iconibus in pluviali.*

EGO. SVM. LVX. MVNDI. *Salvatoris caput.* [4]

LXV.

Effigies Pontificis sine epigraphe.

Christus in Templo cum senioribus Hebræorum disputans: sine epigraphe. [4]

Numisma apud Hameranos vidi, sed morte Pontificis, vel Artificis aliquo fato minime ad perfectionem redactum.

a *Annal. lib.* XIV.
b *In addit. pag.* 44.
c *Annal. lib.* XIV.



Felix Perettus Frater Minorum Conventualium, a Patria sumto cognomine, Cardinalis Montaltus dictus, Pontifex electus VIII. Kal. Majas anni MDLXXXV. Sixtus V. dici voluit; obiit VI. Kal. Septemb. anni MDXC., & in magnifico Sacello apud S. Mariam Majorem sepultus est, hoc addito epitaphio sub ejus Statua.

SIXTO . V. PONT. MAX. EX . ORD.
MINOR. ALEXANDE. PERETTVS
S. R. E. CARD. VICECAN. EX . SO
RORE. NEPOS. PERFECIT.

I.

44. SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. I. *Caput Pontificis barbatum, & nudatum, cum arabici operis pluviali.*

PIVS. V. PONTIFEX. MAX. *Caput nudatum cum pluviali, in quo ara, & circa illam aliquot personæ: In inferiori parte siglæ:* F. P. [5]

Quum adhuc regularem vitam profiterentur, Sixtus, & Pius mutua junctissimi fuerant amicitia. Pius Pontifex factus per litteras Apo-sto-

ftolicas, Sixtum, tunc Fr. Felicem Perettum, apud Hiſpanos commorantem, Vicarium Generalem ſui Ordinis elegit, paulo poſt Sanctæ Agathæ Epiſcopum, ac demum Cardinalem creavit, & ad Firmanam Eccleſiam tranſtulit. Sixtus viciſſim beneficiorum memor in ſuo Sacello nobile Sepulchrum Pio exſtruxit. Hoc Numiſma eſt fuſum.

II.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. ANNO. II. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo icon ſtans.* 9.

VIGILAT. SACRI. THESAVRI. CVSTOS. MDLXXXVI. *Arca, ſuper qua Leo ſedet, qui anterioribus pedibus tres montes, & ſtellam Pontificis Stemma tenet.* [4]

III.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. AN. III. *Effigies, ut in præcedenti.* 10.

SACRA. OCVLO. SPECTAT. IRRETORTO. ANNO. III. MDLXXXVII. M. *Arca a Leonibus elata; ſupra eam Leo, qui retrò reſpiciens pedibus anterioribus tres montes, & Stellam tenet.* [4]

IV.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. AN. IIII. *Effigies, ut ſupra.* 11.

SACRA. OCVLO. SPECTAT. IRRETORTO. *Arca ſubnixa fulcro, Leonis pedes referenti; in medio Pontificis Stemma, hoc eſt ſupra Leonem tres montes, & ſtella: In inferiori parte:* ROMA. MDLXXXVIII. [4]

Ad hæc Numiſmata exponenda, aliqua, quæ in Sixti vita leguntur, adducam [a]: *Primo Pontificatus anno in Arce S. Angeli decies centena millia aureorum invexit, & lege cavit, ne ex ſumma quidquam impenderetur, præter quam ſi ad Terram Sanctam e Turcharum manibus vindicandam, Chriſtiani Principes claſſem paraſſent, ipſaque ad Turcharum littora appulſa eſſet; Item quum ita fames Orbem occuparet, ut Populo magna immineret calamitas; vel peſtilentia graſſaretur, vel aliqua Chriſtianorum Provincia ab Infidelibus oppugnaretur; vel Eccleſiaſticæ ditioni bellum intentaretur, hoſteſque propinquarent; vel tandem ſi Urbs aliqua ad Eccleſiæ ditionem reverſura, nonniſi illo theſauro recuperari poſſet.* Ipſe Sixtus ſe hæc omnia ſervaturum jurejurando ſpopondit, editâ Conſtitutione anno

a *Antonius Cicarell. in vita Sixti V. poſt Platinam tom. II. pag. 627.*

Digitized by Google

no MDLXXXVI. quâ cavit, ut Successores etiam, & Cardinales idipsum promitterent, additâ similis jurisjurandi religione. Ad ærarium custodiendum sex fieri jussit seras, totidemque claves, eas sex summatibus viris custodiendas tradi, nempe tribus Cardinalibus, qui in suis ordinibus antiquiores essent, Cardinali Camerario, Decano Clericorum Cameræ Apostolicæ, & Thesaurario Generali. Tertio Pontificatus anno totidem ibidem invexit aureos, totidemque quarto, ut Numismata ostendunt. Præterea xx. centena millia, itaut moriens L. centena aureorum millia in Arce essent. De summa, quam primò in ærarium hoc intulit, Constitutio fidem facit: de secunda acta Consistorialia III. Idus Septemb. an. MDLXXXVII., de tertia acta prid. Id. April. an. MDLXXXIX. signata.

Successores Pontifices hac pecunia usi sunt, quum ad Sixti mentem ipsis fas esse censuerunt; quin immò nostro ævo Clemens XI., ut asseritur, quod prius extraxerat, restituit. Ea occasione oblata, plerique penitiorum notitiarum curiosi arcam in nostris Numismatibus expressam ferro cinctam, & sex clavibus obseratam conspexere, & ad fidem Archetypi delinearunt.

V.

3. SIXTVS . V. PONT. MAX. AN. II. MDLXXXVI. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo icon stans; Infra vero*: M. B.

SIC. OMNIA. TVTA. *Camporum adspectus cum vicis, & ædificiis. Leo anterioribus pedibus claves decussatas tenens, in quarum medio stella: claves hasta sustentat tribus montibus infixa: E nubibus fulmina erumpunt*. [4]

R. P. *Molinetius* [a] Epigraphem in Numismatis inferiori parte collocavit, quam in area positam conspeximus. Designatur autem per Numisma Pontificis cura, quâ Ecclesiasticam ditionem [b] a grassatoribus infestatam, ea peste liberavit, quæ Decessoris nimia mansuetudine supra modum aucta erat. Pontificatum auspicatus, Constitutione, quæ incipit [c], *Hoc nostro Pontificatus initio*, multa in eos statuit. Hisce signis exponitur in Numismate vigilantia Pontificis, Leo quippe vigilantiæ symbolum est; claves, & fulmina ipsius auctoritatem significant, qua Urbes, viasque a periculis tutas reddidit.

VI.

a *In loco. Mutio Pansa della Lib. Vatic. pag. 105.*
b *In vita post Plat. tom. 2.*
c *Bull. 491.*

VI.

SIXTVS . V. PONT. MAX. AN. II. 1586. *Caput nudatum, & omnia, ut numero præcedenti.* 27.

SACRA. PROPHANIS. PRÆFEREND. *Basilicæ Vaticanæ adspectus cum Obelisco ante illam.* [4]

Rollius in adnotationibus [a] ad *Ovverbeckii* antiquitates in Anglia editas, hoc adducit Numisma: sed Epigraphem anticæ partis male exprimit.

Conspicitur hic Obeliscus Vaticanus a Sixto V. e Neronis Circo translatus, & in foro ante Divi Petri Basilicam erectus, Equite Dominico Fontana Architecto. De hoc Obelisco, ejusque historia, artificio, & erectione Bonannius, Bargæus, & Carolus Fontana pluribus agunt; ejus altitudo a Crucis summitate ad solum est cxx. palmorum, & semis. In Basi legitur vetus Inscriptio Tiberii jussu insculpta, ut & binæ a Sixto adjectæ. Sub Innocentio XIII. Serta, & Aquilæ æreæ, quæ circa illum visuntur, adjectæ sunt. Supra Obeliscum Crux etiam ærea eminet, quæ, quòd vetustate collaberetur, præteritis annis instaurata fuit. Adscensum ad culmen Obelisci facillimum paravit Vir eximius Nicolaus *Zabaglia*, eoque mirabilis, quod ipse rudis, & illiteratus firmissimis contignationibus machinas exstruxerit, quas Architecti ne excogitarent quidem; indeque factum vidimus, ut ipse exiguo pretio moles maximas amoverit, alioque transtulerit, quod alii, qui inter artifices primas tenere censentur, nonnisi maximâ impensâ præstitere. Eas machinas æri incisas publici juris fecit Nobilis Vir Lælius Cosattus Romæ anno MDCCXLIII.

VII.

SIXTVS . V. PONT. MAX. *Effigies nudata cum pluviali, in quo quidam stans.* 28.

CÆSARIS. OBELISCVM. MIRÆ. MAGNIT. ASPORTAVIT. ATQVE. IN. FOR. D. PETRI. FELICITER. EREXIT. AN. D. MDLXXXVI. *Obeliscus Vaticanus.* [4]

Eques Fontana [b] ad Obeliscum collocandum in foro, fundamentum quadratum, LX. palmos latum, & palmos XXXIII. profundum jecit, replevitque opere cæmentitio. Duo hæc Numismata ex argento, & ære in illud injecta sunt. Huic fundamento superimposita fuit

a *Pag. 185. Jobert. Scienc. des Medaill. pag. 21. edit. 1739.*
b *Fontan. Templ. Vatic. Pansa Bibl. Vat. pag. 98.*

Digitized by Google

fuit Basis XXXVII. palmorum: in hujus superiori parte quinque ferrei paxilli erant, in quos per totidem foramina infixus est Obeliscus; in Basis angulis Leones quatuor æneí stellas fronte gestantes, his Obeliscus ceu fulcris, ad speciem tamen, innixus est. Obelisco Crux superimposita ex ære deaurato, quæ una cum ornatibus alta est palmos XXVI., sola palmos X., ejusque hasta transversa ad palmos II. in longum extenditur. Hastarum latitudo est VIII. unciarum [a]. Hæc machina erecta fuit IV. Idus Septembres an. MDLXXXVI.

VIII.

13. SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. II. *Caput nudatum, cum pluviali arabicè exornato.*

FECIT. IN. MONTE. CONVIVIVM. PINGVIVM. *Tres montes, quorum qui e lateribus sunt, cornucopiæ, & palmam sustinent, qui in medio, libram ensi erecto adfixam.* [5]

Sumta est ex Isaiæ cap. XXV. Epigraphe hujus Numismatis, in quo repræsentatur Liberalitas, & Justitia Pontificis, qui licet avaritiæ notâ ab aliquibus inuratur, narrant tamen Historici, ad L. aureorum millia in dotandis inopibus Virginibus, totidemque in sublevandis ære alieno obstrictis, insumsisse. Insuperque aureorum CC. millia ad comparanda frumenta, ne Urbs fame premeretur [b].

IX.

4. SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. II. *Effigies, ut supra.*

PERFECTA. SECVRITAS. *Peregrinus jacens sub arboris umbra.* [5]

Hoc Numisma refertur etiam a Luchio [c], qui tamen pro AN. II. scribit AN. III.

Inter alia Sixti egregia facinora, adnumeranda est grassatorum exterminatio ab Ecclesiasticæ Ditionis finibus. Hoc Romani non solùm Numismatibus celebrarunt, sed etiam denariis. Horum duo argentei anno II. cusi, unus Justitiam referens cum Epigraphe: PVBLICÆ. QVIETIS. PARENS. ROMA; Alter Mulierem sedentem, ante aram, &: SECVRTAS. PAVPERVM. ROMA [d].

X.

a *Roma Modern. tom. 2. pag. 261.*
b *Maffeius in vita adhuc MSS.*
c *Syllog. Numism. pag. 306.*
d *Scilla Mon. Pont. pag. 61. Pansa Bibl. Vat. pag. 20.*

X.

SIXTVS. V. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo icon stans.* 5.

SECVRITAS. POPVLI. ROMANI. *Mulier jacens supra suggestum, una manu caput sustinet, altera hastæ innititur: ante eam Ara, & fax accensa. In exergo duæ palmæ.* [4]

Eandem observavimus posticam sub Gregorio XIII., Pio V., Paulo III., aliisque Pontificibus. Quæ verò causa fuerit, cur & Sixti Numismati aptata sit, nos docet inscriptio sculpta Basi Statuæ, Senatus decreto in Capitolio eidem positæ, quam hìc damus.

SIXTO. V. PONT. MAX.
OB. QVIETEM. PVBLICAM
COMPRESSA. SICARIORVM. EXVLVMQVE
LICENTIA. RESTITVTAM
ANNONAE. COPIAM. SVBLEVATAM
VRBEM. AEDIFICIIS. VIIS. AQVAEDVCTV
ILLVSTRATAM
S. P. Q. R.

XI.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; subtus:* L. PARM.

TVTVM. REGIMEN. — ROMA. *Draco.* [4]

Hæc postica, quæ ad Gregorium XIII. pertinet, perperam Sixti Numismati aptata est.

XII.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. *Effigies, ut supra.* 12.

IVSTITIA. ET. CLEMENTIA. COMPLEXAE. SVNT. SE. *Duæ mulieres se mutuis amplexibus excipientes; duæ hastæ, totidemque pateræ in solo. Omnia intra lauream coronam.* [4]

Hoc Numisma prorsus apocryphum puto, quum potius Clementi VIII. sit tribuendum. Simile visitur sub Innocentio X.. Emblema male a Bonannio expressum ex Caji, & Lucii Cæsarum Numismate sumtum est [a].

XIII.

SIXTVS. V. PONT. MAX. ANN. III. *Caput nudatum, cum pluviali arabici operis; Infra verò:* DOM..... 6.

X EXAL

a *Dialogh. dell' Agost. pag. 105.*

EXALTAVIT. HVMILES. *SS. Petrus, & Paulus super duabus columnis: in eorum vertice sidus; subtus*: 1587. [5]

Rollius in adnotationibus [a] ad *Ovverbeckium*, qui Numisma refert, annum omittit. In eo repræsentantur duæ Statuæ, Columnis Trajani, & M. Aurelii superimpositæ [b]. Sixtus Sancti Petri Statuam supra Columnam Trajanam, & S. Pauli supra Antoninam locavit; Trajanæ stylobatam egestâ humo detegi jussit Paulus III., Antoninæ verò erosam, laceramque refecit Sixtus, qui & Columnam misere labefactatam restituit. Hæ, quæ Senatus decreto Imperatoribus Trajano, & Marco Aurelio Antonino erectæ sunt, perpetuis spiris ab imo basi ad capitulum operis Dorici sunt interstinctæ, & anaglyptico opere Imperatorum gestis in earum superficie excultptis; scalas introrsum habent solidas, & in Columnarum marmore cochleatim cæsas, quibus ad verticem est aditus, quæque fenestrellis per intervalla dispositis illuminantur. Columna Trajana alta est pedes CLXXXVIII., habet CLXXXV. gradus: Antoninæ altitudo est CLXXXV. pedum, gradus habet CXCII.

Prope stylobatam Trajanæ Columnæ ad hæc tempora fuerunt fragmina, & quidem ingentia Columnarum, quibus Trajani porticus fulciebatur, quam Constantius, quum primo Romam advenit præ cæteris Urbis ædificiis miratus est [c], earum diametros erat palmorum septem. Eas modo misere dissecant, ut vias, & vestibulorum pavimenta sternant.

XIV.

29. SIXTUS. V. PONT. MAX. ANN. III. *Pontifex detecto capite cum pluviali*.

POPVLI. CHRISTIANI. TROPHAEVM. *S. Mariæ Majoris Templi adspectus, qua Montem Quirinalem respicit, cum Sacello Sixtino, & Obelisco*. [5]

Hic, qui Augusti Mausolæum ornaverat, penitùs confractus inventus est inter Mausolæi rudera prope Tyberis ripam ad S. Rocchi [d]. Novus ejus stylobates ad XXXII. palmos erigitur, quum ipse Obeliscus una cum Cruce, cui dicatus est, ad LXVI. pertingat [e]. In eo loci, ubi

a *Pag. 145.*
b *Vide Fabret., & Ciaccon. de Column.*
c *Ammian. Marcel.*
d *Nardin. Rom. Antic.*
e *Roma Mod. pag. 105.*

ubi nunc visitur, Sixtus V., Dominico Fontana Architecto, anno sui Pontificatus III. eum erigendum duxit.

XV.

SIXTUS. V. PONT. MAX. AN. III. *Effigies, ut supra.* 39.

CURA. PONTIFICIA. *Beatissima Virgo, Crux, S. Laurentius, & alius cum diademate, qui Patrem Æternum repræsentat, item Obeliscus: omnes in totidem viis.* [4]

Quæ hic describuntur viæ, eæ sunt, quas Sixtus vel restauravit, vel aperuit. Prima [a] a S. Mariæ Majoris ducit ad Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis Montium; secunda ad S. Crucis in Hierusalem; tertia ad S. Laurentii extra muros; quarta ad S. Johannis in Laterano, quâ Obeliscus visitur.

XVI.

SIXTUS. V. PONT. OPT. MAX. ANN. IIII. *Effigies nudo capite, ac pluviali arabicè contexto.* 25.

SUPER. HANC. PETRAM. *Basilicæ Vaticanæ adspectus; infra verò:* ROMA. [4. 5.]

Hæc postica eadem est, ac Gregorii XIII., at jure quidem Sixto V. convenit; ipse enim Vaticanæ Basilicæ mirandam, & aliarum omnium maximam Testudinem a Bonarrotio delineatam duplici fornice opera Jacobi Portæ, & Dominici Fontanæ absolvit [b]. Basilicæ frons in Numismate expressa ad Bonarrotii modulum, alia est ab ea, quam Carolus Madernus postea ædificavit. Duo de hoc Numismate adsunt chalybes.

XVIII.

SIXTUS. V. PONT. MAX. *Caput nudum cum pluviali historiis ornato.* 43.

DOMUS. MEA. DOMUS. ORATIONIS. VOC. *Christus e Templo negociatores ejiciens.* [5]

Hoc emblema explicavimus sub Paulo IV., Pio IV., & Pio V.

XIX.

SIXTUS. V. PONT. MAX. *Caput nudum, cum pluviali arabici operis historiis ornato.* 38.

IN. FLUCTIBUS. EMERGENS. *Apostoli e Navi piscantes.* [5]

Et hæc postica sub Paulo IV., Pio V., & Gregorio XIII. declarata est.

XX.

SIXTUS. V. PONT. MAX. ANO. IIII. *Caput nudatum cum pluviali, in quo icones variæ.* 32.

a *Roma Moderna, tom. 2.*

b *Bonann. Temp. Vatic. cap. 18.*

QVARTVM . ANNO . QVARTO . EREXIT . 1588. *Adspectus Ecclesiæ S. Mariæ de Populo, & Portæ Flaminiæ, cum Obelisco.* [3]

XXI.

31. SIXTVS . V. PONT. MAX. AN. V. *Caput nudatum cum pluviali, in quo icon stans; in inferiori parte:* NI. BONIS.

B. MARIAE . D. POP. QVARTVM . AN. IIII. EREXIT. *Idem adspectus, & Obeliscus cum hieroglyphicis.* [4]

In utroque hoc Numismate anachronismus primo intuitu adparet. In primo enim, in quo AN. IIII. adjungitur apud Bonannium annus MDLXXXVIII., pro MDLXXXIX. In secundo verò, in cujus antica AN. V. in postica adnotatur AN. IIII.. Utriusque rei ratio dari potest: Nam VIII. Kal. Majas anni MDLXXXVIII. Sixtus V. quartum Pontificatus annum auspicatus est: benè igitur in primo Numismate annus MDLXXXVIII. adnotatur. In alterius verò Numismatis antica adnotatur annus, quo cusum est Numisma; in postica verò, quo Obeliscus erectus est.

NI*colaus* BONIS cudit more veterum ex triplici metallo hoc pulcherrimum Numisma, quod ego vidi apud Baronem *Stoschium*. In cudendis nuperis temporibus ex pluribus metallis Numismatibus excelluit *Valerius* Vincentinus, qui Faustinæ junioris Numum e duobus metallis formavit, quem idem Baro possidet. Obeliscus, de quo in Numismate, e Circo Maximo a Sixto V. anno MDLXXXIX. translatus ad forum Portæ Flaminiæ, CVIII. palmos est altus, præter verticem, qui palmorum est XI., stylobates verò palmos XXXVII. a solo ad summam basim palmi sunt LXIII. cum quadrante. Ad quatuor ejus latera totidem adjectæ sunt Inscriptiones, una ab Augusto, tres a Sixto V.

XXII.

18. SIXTVS . V. PONT. MAX. ANN. IIII. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

TERRA . MARIQ. SECVRITAS . 1588. *Quinque triremes.* [5]

XXIII.

17. SIXTVS . V. P. M. A. IIII. *Effigies, ut supra.*

FOELIX . PRAESIDIVM . 1588. *Quinque triremes.* [5]

Hoc Numisma argenteum apud Marchionem Lucatellium adspexi. Ditionis Ecclesiasticæ præsidio, & oræ maritimæ securitati, a Sixto V. quin-

quinque triremes instructæ sunt; si vixisset, totidem parasset [a]. Prima S. P. Q. R. sumtibus Romæ fuit in loco, qui *Marmorata* dicitur, ædificata, & IV. Non. April. anni MDLXXXVIII. e navali educta magnifico apparatu [b]. In actis Consistorialibus an. MDLXXXIX. ad IX. Kal. Maj. sic legitur: *Fuit Consistorium secretum, in quo Sanctitas Sua dixit de classe parata, & jam instructa, & quod jam sint tres triremes optimè, & benè instructæ, & quod deliberavit, ut sit tota decem triremium per totum mensem Aprilis*, & ad X. Kal. Decem. anni ejusdem: *In lectica vectus ivit ad Centumcellas, visendi triremes, & aquam, quam ibi ducere curavit, cum quo iverunt septem Cardinales, & die* XXV. *Novembris rediit ad Urbem.*

XXIV.

SIXTUS . V. PONT. MAX. ANO. IIII. *Caput denudatum, & pluviale cum icone stante.* 1. 2.

VADE . FRAN. REPARA. *Templum ruens, incumbens humeris Fratris cujusdam Minoris, Crucem manu tenentis.* [4]

Repræsentatur hic Innocentii III. visio, quum adprobare renuebat Regulam S. Francisci, e cujus Ordine erat Sixtus V. Hoc Numisma, ut & alia in fundamentis Obelisci D. Petri jacta, Antonius *Cicarellius* in vita Sixti V. [c] describit; en ejus verba latine reddita: *Ibi duæ arcæ e lapide tyburtino fuerunt reconditæ, quarum unaquæque* XII. *Numismata continebat. In singulorum Numismatum antica Effigies Pontificis; in postica verò varia emblemata fuerunt adposita; In aliquibus homo sub arbore dormiens, & epigraphe*: PERFECTA . SECVRITAS. *In aliis tres montes, supra dextrum cornucopiæ, supra lævum laurum, in summitate ensis ad cœlum elevatus, libra superimposita, &*: FECIT. IN. MONTE. CONVIVIVM. PINGVIVM. *In aliis S. Franciscus genuflectens coram Christo Cruci adfixo, & Ecclesia ruens* (Adverte hic nostrum Numisma non benè esse descriptum) *ac*: VADE . FRANCISCE . ET. REPARA. *In aliis verò Pii V. effigies &c.*

XXV.

SIXTUS . V. PONT. MAX. ANN. IIII. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 20.

PVB.

a *Bulla: Immensa Æterni Dei, dat.* 1588.
b *Alaleon. in Diar.*
c *Post Platinam tom.* 2. *pag.* 606.

PVB. BENEFICIVM. *Mulier turrita supra tres montes stans, & aquam e duabus urnis effundens; post eam aquæductus.* [5]

XXVI.

19. SIXTVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

VNDA. SEMPER. FELIX. *Fontis Felicis adspectus; in cujus medio:* SIXTVS. V. P. M. *In exergo:* 1588. [5]

Hic Pontifex ex Agro Columnæ via Prænestina, ubi erat Agrippæ Fons, aquæ ingentem copiam opere arcuato passuum XXII. mill. Romam ad Thermas Diocletianas deduxit, Felicemque dixit e nomine, quo ante Pontificatum appellatus est; ibi Lacum exstruxit ornatissimum, e quo per loca eminentiora derivantur aquæ, eaque ratione iis Urbis regionibus consuluit, quibus aqua virgo usui esse nequibat. Fabrettus Auctor est, hanc ipsam aquam quondam ab Alexandro Severo ductam [a]. In primo Numismate mulier turrita Romam demonstrat, montesque Pontificis stemma, ipsum Pontificem. In secundo ædificium, quod conspicitur, Lacus est, quem mox diximus, Architecto Fontana, ad Thermas Diocletianas prope Ecclesiam S. Mariæ de Victoria, ad excipiendam, & ad effundendam aquam constructus[b]. Tribus constat arcubus ædificium, in quorum medio Moysis signum, in dextro Aaronis, in lævo Gedeonis. Fronti inscriptum est: COEPIT. PONT. AN. I. ABSOLVIT. III. MDLXXXVIII., ut etiam in posteriori Numismate adnotatur; quare dicendum, in priori per an. IV. Pontificatus Sixti exprimi annum cusi Numismatis, non operis absoluti.

XXVII.

30. SIXTVS. V. PONT. MAX. ANNO. V. *Caput denudatum cum pluviali, manu quasi benedicens.*

AD. LATER. P. CONCIS. CELEBR. *Obelisci S. Johannis Lateranensis adspectus, nec non Templi, Palatii, & Baptisterii.* [4]

Anno MDLXXXVIII. Sixtus V. e ruderibus Circi Maximi hunc Obeliscum erui jussit, Equitis Fontanæ opera [c], & resarciri, ac in foro S. Johannis, qua parte via ad S. Mariam Majorem patet, collocari: Illum Sanctissimæ Cruci dicavit VI. Idus Sextil. magnâ pompâ, & æneorum tormentorum strepitu. Moles tota ab imo ad summum ver-

a *Fabret. de aquaduct. num. 388.*
b *Equ. Franc. Fontan. Relat. Aqu. Fel. edit. an. 1696.*
c *Rom. Modern. tom. 2.*

verticem est CCIV. palmorum altitudinis, at Obeliscus solus CXV. palmos non excedit.

Præter Templi porticum, & Baptisterium Constantinianum, exprimuntur etiam in Numismate magnificæ, sumtuosæque ædes proximæ a Sixto, Equite Fontana Architecto, constructæ, variisque picturis ornatæ, quas tectorio opere elaborarunt Balthassar Crucius, Ventura Salimbenus, Andreas Anconitanus, aliique ejus temporis Pictores [a]. Ædibus vix absolutis, in iis Sixtus habuit Consistorium III. Kal. Junias anni MDLXXXIX., ut publicè exciperet, & audiret Hypolytum Cardinalem Aldobrandinum e Legatione Polonica redeuntem [b].

XXVIII.

SIXTVS. V. PONT. MAX. A. V. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio, manu benedicens.*

AD. LATERA. P. CONCIS. CELEBRAV. *Eadem postica, ac in præcedenti.* [4]

Hoc Numisma eodem modulo, quo præcedens, est cusum.

XXIX.

SIXTVS. V. PONT. MAX. ANNO. V. 1588. *Caput nudum cum pluviali.*

AD. LATERA. P. CONCIS. CELEBRAV. *Eadem postica.* [6]

XXX.

SIXTVS. V. PONT. MAX. *Caput nudatum cum pluviali iconibus ornato.*

DOM. M. DOM. ORAT. VOC. *Christus e Templo negociatores ejiciens.* [6]

Hæc Numismata minori modulo cusa non retulit Bonannius.

XXXI.

SIXTVS. V. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & pallio brevi.*
Obeliscus Lateranensis cum Pontificiis ædibus. [6]

Hoc etiam parvum Numisma Bonannium latuit.

XXXII.

SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. IIII. *Caput nudatum, pluviale arabici operis.* 26.

CRVCI. FELICIVS. CONSECRATA. *Quatuor Obelisci.*

Repræsentantur hic omnes, quos erexit Sixtus, Obelisci.

XXXIII.

---

a *Rom. Mod. pag. 48.*
b *Ex Diar. Paul. Alaleonæ, & ex Act. Consistorial.*

XXXIII.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. *Effigies cum camaleuclo, & brevi pallio*; *subtus*: L. PARM.

TVTVM. REGIMEN. *Roma sedens super armorum acervo, læva tenet parazonium, dextra verò Draconem: Ex uno latere Tiara Pontificia, Mitræ, Cruces, ex altero arma, & libri*. [4]

Hæc postica ad Gregorium XIII. pertinet.

XXXIV.

SIXTVS. V. PP. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio, manu benedicens*; *infra verò*: AD. BENEDICTIONES. A. V. *Absque postica*. [4]

XXXV.

37. SIXTVS. V. PP. MAX. AD. BENEDICTIONES. A. V. *Effigies, ut supra*.

ECCE. REGNVM. DEI. *Pontifex genuflexus ante parvum Templum, pluviali indutus, quem duo Religiosi sui Ordinis sequuntur: Coram eo S. Franciscus oculos intendit in Tiaram elevatam, supra quam Spiritus Sanctus. Post S. Franciscum arbor*. [4]

In hoc Numismate S. Franciscus Tiaram Pontificiam Sixto sui Ordinis Alumno ostendit. In parvo Templo repræsentatur *Portiunculæ* Sacellum existens in magnifico Templo S. Mariæ Angelorum Assisii. Sixtus etsi aliqua passus sit, dum inter suos cœnobitas ageret, tamen injuriæ immemor pluribus ipsos beneficiis cumulavit, ab iisque pravas consuetudines, & mores evellere curavit. Collegium Sancti Bonaventuræ erexit, censuque donavit; Cœnobium SS. XII. Apostolorum identidem invisebat, quippe qui amicis, quos coluerat, etiam Pontifex familiariter usus est [a].

XXXVI.

34. SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. V. *Caput nudum, cum pluviali arabicè contexto*; *infra*: NI. BONIS.

PONS. FELIX. *Pontis Felicis adspectus*; *in exergo*: AN. DOM. MDLXXXIX. [5]

XXXVII.

35. SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. VI. *Effigies, ut supra*.

PVBLICAE. COMODITATI. *Idem adspectus*. [5]

Utrumque hoc Numisma minori est modulo cusum, & utrumque pulcherrimum. Primum deauratum adspexi. Idem Pons in utroque

a *In vita post Plat. tom. 2. pag. 600*.

que Numo expressus est, sed diversâ structurâ, alter enim quinque, alter quatuor arcubus constat. Id fortasse accidit, quod Eques Fontana ipsum primus delineavit, haud tamen perfecit, itaut alter ex Numis nondum perfecto ædificio cusus sit. Pontem istum, quem eadem ratione, qua aqua Felix dicta est, Felicem nuncupant, ædificavit Sixtus in Tyberi inter Ocriculum, & Vicum, quem *Borghettum* dicunt, ut facilius Romam viatoribus iter esset. Tradunt enim, Sixtum [a], quum adhuc privatus esset, flumen eo loci magno pretio trajecisse vectorum avaritiâ, qui nonnisi dato pignore ipsum transvexerunt; Cæterum quum ibi rapidior unda sit, & Pons, quem Augustus paulo superius exstruxerat, jamdiu dilapsus esset, sane mirabilior fuit Sixtus, qui tot decessoribus intentatum opus aggressus est, & brevi perfecit. Pontis hujus longitudo est CDXXX. palmorum.

XXXVIII.

SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. V. *Caput Pontificis nudum cum arabici operis pluviali.* 21.

B. DIADACVM. HISP. IN. SS. NVM. RETVLIT. 1588. *Pontifex sub throno cum Tiara, & pluviali, benedicit cuidam ante eum genuflexo: Cardinales e lateribus Pontificis prope porticum sedent.* [3. 5.]

XXXIX.

SIXTO. V. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 22.

DIEG. D' ALCALA. IN. SPAGNA. CA. D. P. SIXT. *Frater Minoris de Observantiâ stans, Crucemque manu tenens; & ædium adspectus.* [4]

Philippus II., ejusque filius Carolus Summos Pontifices diù exoraverant, ut Didacum Hispanum Minoritam ex iis, quos de *Observantia* nuncupant, Sanctorum fastis adscriberet. Sixtus tandem maturo consilio re de more perpensa, oblatis sibi a Comite Olivaresio Regis Oratore precibus annuit, VI. Nonas Julii anni MDLXXXVIII. quemadmodum ex Canononizationis Bulla constat. Solemnitati interfuit Cardinalis Deza, Philippi Regis nomine, qui Olivaresii vices gessit, idque ad turbas avertendas factum est, neque enim Galliæ, & Hispaniæ Oratores publice conveniunt, quum sibi quisque primas deferri contendat. In primo Numismate adest Vexillum cum

Y Ico-

a *Martinell. descrip. Pont. pag. 26.*

Digitized by Google

Icone novi Sancti, & Cardinalis Deza, supplex; in altero sub Pontifice legitur: 1589. Tertium privatus quidam fudit.

XL.

8. SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. *Caput denudatum, cum pluviali arabici operis.*

FIERI. FECIT. *Beatissima Virgo in nubibus respiciens regionem, in qua magnificum Templum: aliquot muri colli insidentes, aliique vici per agrum dispersi.* [4]

Hoc Templo domum Lauretanam indicari autumat R. P. *Bonannius*; At quum in Numismate nullus Maris adspectus adpareat, a quo Lauretum vix MM. pass. distat, exprimi potiùs censeo Templum Sanctæ Mariæ Angelorum M. pass. Assisio distans a Sixto V. constructum, qui viam etiam a Templo Perusium stravit, *ad reddendum faciliorem transitum, & eos per sancta loca ducendos*, ut ait Auctor Minorita [a]: Pontifex Templum hoc præcipue coluit pietatis causa, & ut Assisio se gratum præberet, ubi primum prospera fortuna usus est; etenim profectus ad generalia comitia in ea Urbe habita, Rodulphi Cardinalis Carpensis, & Sigismundi Bosii ejus a secretis officia, & amicitiam sibi comparavit. Templi structura, situs, rectaque via ad illud ducens, quæ omnia Numismati conveniunt, interpretationem nostram probabilem reddunt.

XLI.

SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. V. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

DEXTERA. DOMINI. FACIAT. VIRTVTEM. *Pontifex e throno, Cardinalibus stipatus, lævâ Duci ante eum prostrato, Vexillum, in quo Christus Cruci affixus repræsentatur, tradit; dextrâ eum benedicit.* [4]

Hoc Numisma, quod apud March. *Lucatellium* vidi, apocryphum puto, quum ejus postica ad Sixti successorem Urbanum VII. potiùs pertineat.

XLII.

6. SIXTVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

DOMVS. S. MARIAE. LAVRETANAE. FACTA. CIVITAS. *Beatissima Virgo cum puero in ulnis sedens supra S. Domum inter nubes.* [4]

XLIII.

a *Franc. a Rivo-torto Hist. Conv. Assis. 1704. pag. 90.*

XLIII.

SIXTUS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 7.

VRBS. LAVRETANA. *Muri Laureti cum duabus Portis: in medio Beatissima Virgo cum puero Jesu, sedens supra S. Domum, a nubibus, & ab Angelis sustentata.* [4]

Devotione [a] erga B. Virginem Sixtus obstrictus non solùm Templi Lauretani frontem perfecit, sed etiam illud in Cathedralem erexit Ecclesiam [b], Episcopo constituto, ut ex duplici Inscriptione [c] apposita minoribus Portis hujus Templi dignoscitur [d]. Urbem præterea muris circumdedit, munimentisque auxit, ut a piratarum tutam redderet incursionibus. Super his Prid. Id. Novemb. an. MDLXXXV. Consistorium habuit, & an. sequenti edidit [e] Constitutionem, an. verò MDLXXXVII. Portis æneis Templum ornavit [f].

XLIV.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. *Effigies, ut præcedentes; infra:* L. PARM.

CONTRIBVLASTI. CAPITA. DRACONIS. *Mulier hydram conterens, faceque ejusdem capita comburens, lævâ Legis tabulas tenet.* [4]

Similem posticam sub Pio V. visam, supra retulimus. Hæc refertur ad excommunicationis sententiam [g] in Henricum Borbonium Navarræ Regem, & in Condæum Principem latam a Pontifice, & ad Sacrum Fœdus in Hugonottos initum, cujus rei causa Sixtus Cardinalem Cajetanum Legatum e Latere constituit.

XLV

SIXTVS. V. PONT. MAX. *Caput nudatum cum arabici operis pluviali.* 14.

PAVPER. PIE. ALEND. EXT. AN. II. *Mulier sub quadam Porta eleemosynas in pauperes erogans; & duo pueri.* [4]

Ad Pontem *Sixti IV.*, qua Via *Julia* conspicitur, ædificavit Sixtus V. Pontifex [h] Ædes pauperibus, infirmis, aliisque, qui victum sibi parare non possent, pro eorum victu, & vestibus XV. aureorum
mil-

a *Jo: Anton. Petramellar. in Vit.*
b *Oldoin. col. 117. Ciccarell. post Platin. tom. 2. pag. 610.*
c *Bonann. Numism. tom. 1. pag. 385.*
d *Videsis Pontiff. Constit. & Cong. Laur. Resolut. &c. Romæ an. 1743. Benedicti XIV. jussu editas.*
e *Bullar. pag. 518. edit. Lugd.*
f *Tursell. hist. Lauret. lib. V. cap. 13. Martorell. Hist. della S. Casa.*
g *Ciccarell. post Platin. pag. 614.*
h *Vide Bull. Quamvis infirma. Piazz. in Operib. piis cap. 19.*

millibus annuis assignatis [a]. Hasce ædes continere commode posse ad MM. hominum scribit Ciccarellius, sed numerum adauxit profectò, neque enim antiquum ædificium tot homines continere poterat. Clemens XI. pauperes istos ad ædes S. Michaelis ad ripam Tyberis transtulit; Domum a Sixto ædificatam nosocomium fecit pauperibus Clericis, & Sacerdotibus; eique redditus attribuit, quos ad curandos ægrotos, & pauperes Clericos Jo. Antonius *Vestrius*, & Franciscus Antonius *Blancardus* reliquerant. Quoniam verò major ædificii pars nosocomio superflua erat, stationem in ea advenis Ecclesiasticis parari jussit.

XLVI.

15. SIXTVS. V. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & pallio brevi.* DOMINE. IVBE. ME. AD. TE. VENIRE. *Navicula vela faciens, & duo Apostoli ad gubernaculum; in medio S. Petrus stans, respicit Christum in terra existentem.* [4]

Pontificatum Sixtus V. temporibus turbulentis auspicatus est, ideo animum intendit ad sacra, ut sibi Deus præsto esset, viresque adderet ad tantum munus exsequendum: Constitutione igitur, quæ [b] *Virium nostrarum* incipit, editâ, Jubileum [c] indixit; & an. MDLXXXVI. Cardinalium XV. Congregationes instituit aliâ Constitutione [d] (*Postquam vetus ille*), in quibus cum eo ad Ecclesiasticam ditionem, & Christianum Orbem moderandum insudarent. Non me latet tamen, haud omnes illum hos cœtus primum instituisse, sed partim instituisse, partim confirmasse [e].

XLVII.

23. SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. VI. *Effigies, ut supra.* PONTINAS. PALVDES. SICCARE. CONCESS. 1588. *Paludes cum arboribus, & domibus.* [4]

Paludes sitas inter Auxurem, & Circæjum Montem, ad Asturæ flumen, & ad Montes Norbanos, ac Setinos, regio animo Pontifex Sixtus siccare studuit; quare post maturum examen novam foveam [f], quæ nunc *Sixti fovea* dicitur, effodi præcepit, in qua, inductâ aquâ, agri ad XX. mill. pass. longitudinis, & VII. latitudinis siccati sunt. Ad hoc opus CC. aureorum millia fuerunt impensa; quod

a *Post Platinam pag.* 608.
b *In Bullar.*
c *Oldoin. col.* 121. *Ciccarell. in vita pag.* 604.
d *In Bullar.*
e *Ciccarell. ibid. pag.* 628.
f *Oldoin. n.* 114.

Digitized by Google

quod tamen obitu Sixti non est absolutum [a], sicut neque Clanarum paludum ab eo tentata exsiccatio perfecta est.

XLVIII.

SIXTVS. V. PONT. MAX. AN. VI. *Effigies, ut supra.* 33.

MEM. FL. CONSTANT. RESTITVTA. *Duo equi marmorei Quirinales, quos nudi homines fræno coercent; In medio Lacus, & Saliens: In basi legitur:* OPVS. HPIDIÆ. OPVS. PRAXITEL. [4]

Auctor est [b] *Flaminius Vacca*, equos istos ab ædibus aureis Neronis ad Thermas suas in Quirinali Constantinum transtulisse; inde a Sixto V., Equitis *Fontanæ* opera, an. MDLXXXIX. [c] ante ædes Pontificias erectos fuisse. Omnes antiquitatum periti conveniunt, statuas, & equos, licet affabre efformatos, non esse opus *Phidiæ*, & *Praxitelis*. Numisma ultimo Sixti anno est cusum, qui Pontificatum gessit annos V. menses IV. dies III. [d].

XLIX.

SIXTVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut in superioribus.* 42.

AQVA. CENTVMCELLAS. ADDVCTA. *Portus Centumcellarum adspectus, & aquæductus.* [5]

Hoc opus sic a Ciccarellio [e] paucis describitur: *Aquam Centumcellas adduxit, quæ Urbs aquâ dulce carebat.* Apud *Paulum* verò *Alaleonem* [f] legimus: *quod Pontifex feria* II. *die* XXII.*Nov. ann.* MDLXXXVIII. *in lectica vectus iverit ad Centumcellas, visendi triremes, & aquam, quam ibi ducere curavit, cum quo iverunt* VII. *Cardinales; & die* XXV. *Nov. rediit ad Urbem.*

L.

SIXTVS. V. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 41.

BIBLIOTHECA. VATICANA. *Vaticanæ Bibliothecæ adspectus.* [4]

Nicolaus V. [g] omnium primus in ædibus Vaticanis Bibliothecam constituit: Sixtus deinde IV. ei locum assignavit, Bibliothecariumque, ac Præfectos constituit. Sixtus V. novum molitus est ædificium, Equite Fontanâ Architecto, in atrio Pii IV., quod *Theatrum* nuncupatur: præter librorum, quos in eam intulit, copiam, or-

---

a *Ciccarell. in vita post Plat.*
b *Post Nardin. Rom. Antic.*
c *Nardin. Roma Vetus. Roma Moderna pag.* 285.
d *Ciccarel. in vit. pag.* 631.
e *In vita post Platin. pag.* 610.
f *In Diar. MSS.*
g *Dom. Georg. in Vita Nicolai V.*

Digitized by Google

ornavit etiam externè, & internè ædificium picturis[a]: Sixti V. opera, Vivianus, Balleonius, aliique expreſſerunt: Concilia Œcumenica, Bibliothecaſque *Belga*, & alii. Hæc Bibliotheca eſt longitudinis CCCXVIII. palmorum, latitudinis verò LXIX.: fornice tota tegitur, quem pilæ ſuſtentant, & bifariam primam ejus aulam dividunt, itaut duplex ambulacrum, ſeu porticum referat. Ædes adjecit Sixtus pro duobus Præfectis, & VII. Adminiſtris, nec non pro Card. Bibliothecario. Inſuper Typographiam inſtruxit ornatiſſimam prope Bibliothecam, eique Dominicum Baſam præfecit.

LI.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. *Caput Pontificis camaleucio ornatum, & brevi pallio.*

BEATI. QVI. CVSTODIVNT. VIAS. MEAS. *Chriſti Servatoris Protome.* [4]

Eadem poſtica in Julii II. Pauli IV., ac Gregorii XIII. Numis conſpicitur.

LII.

SIXTVS. V. PONT. OPT. MAX. *Caput Pontificis camaleucio coopertum, & brevi pallio: ſubtus* F. PAR.

NE. DETERIVS. VOBIS. CONTINGAT. *Chriſtus Elephantiade infirmos benedicens, priſtinæque ſaluti reſtituens.* [4]

Hoc Numiſma, uti præcedens, ſub anterioribus Pontificibus cuſum vidimus.

Johan-

a *Rom. Moder. pag.* 266. *Panſa Bibliot. Vatic.* 1608. *in* 4.



JOhannes Baptista Cardinalis *Castanea*, Januâ oriundus, sed natus Romæ, Pontifex creatus XVIII. Kalendas Octobres anni MDXC., Urbanus VII. dictus est, at XII. post dies defunctus, nempe v. Kal. ejusdem mensis, sepultus est in Basilica Vaticana; inde ad S. Mariam supra Minervam translatus: Sanctissimæ Annunciationis Sodales hoc epitaphium ejus monumento inscripserunt.

HOC. PLVMBEO. LOCVLO. CONDITVM. EST. VENERABILE. CORPVS. D. VRBANI. PAPAE. SEPTIMI. ROMANI. EX. FAMILIA. CASTANEA. PONT. MAX. QVI. SEDIT. IN. PONTIFICATV. DIES. XII. MIGRAVIT. AD. DOMNVM. XXVII. SEPT. FERIA. V. HORA. XII. ANN. MDXC. NON. SINE. MAXIMO. VRBIS. DOLORE. ANTE. SVÆ. CORONATIONIS. INSIGNIA. VIXIT. AN. LXVIII. MEN. I. DIES. XXII. HIC. IN. PACE. DEPOSITVS. EST.

I.

I.

1. 2. VRBANVS . VII. PONT. MAX. ANNO . 1590. *Caput Pontificis nudatum cum pluviali figuris ornato.*

SPONSVM . MEVM . DECORAVIT . CORON. 1590. *Mulier sedens, a dextris habet Crucem, & Tiaram Pontificiam a finistris.* [4]

Hoc aliqui, ut falsum, respuunt Numisma, in eo enim repræsentatur Urbani Coronatio, quum ipse morte præventus coronari nequiverit, sed nil vetat, quin dicamus præpropere cusum, eò magis quia idem est sub Gregorio XIV. renovatum.

II.

3. VRBANVS . VII. PONT. MAX. ANNO . I. MDLXXXX. *Caput nudatum cum pluviali, in quo Christus crucifixus, & quidam stans.*

SIC . LVCEAT . LVX . VESTRA. *Candelabrum cum* VII. *ellychniis, in Monte positum.* [4]

Omnibus præceptum est Prælatis, ut luceant reliquis Fidelibus doctrinâ, & exemplo, quasi candelabrum sublimi loco positum. Hac de caussa Urbanus quum post electionem suam Pontificalia indueret ornamenta, & alba amiciretur veste, exclamavit, ut inquit *Ciccarellius* [a]: *Quis crederet rem tam levem tantum afferre pondus?* alludens scilicet ad Pontificiæ dignitatis onus.

III.

VRBANVS. VII. PONT. MAX. ANNO . I. 1590. *Caput nudatum cum pluviali, in quo duæ icones stantes.*

SIC . LVCEAT . LVX . VESTRA. *Candelabrum præcedenti aliquantulum dissimile.* [4]

Hoc Numisma mihi restitutum videtur.

IV.

4. VRBANVS. VII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

NON . POTEST . ABSCONDI. *Civitas in colle posita.* [4]

Epigraphe eruitur e Matth. v. 15., ubi dicitur: *Non potest civitas abscondi supra montem posita*; & denotat, in quantam apud omnes existimationem pervenerit Cardinalis *Castanea*, quem omnes Pontificatus honore dignum rebantur. Ipse *Sixtus V.* [b] pluries eum sibi successurum prænunciavit.

V.

a *Post Platin. tom. 2. pag. 637.*
b *Ciccarell. ubi supra pag. 635.*

Digitized by Google

V.

VRBANVS . VII. PONT. MAX. ANNO . I. 1590. *Caput nudatum cum pluviali arabicè exornato .* 5.

DEXTERA . DOMINI . FACIAT . VIRTVTEM. *Pontifex in throno , Vexillum militi coram ipso genuflectenti tradens , Cardinalibus , & aliis militibus adstantibus .* [4] .

Hæc postica haud est genuina , ut etiam de simili sub Sixto V. diximus . Artifices duas formas in cudendo Numismate adhibuerunt , unam anticæ aptarunt , in qua hujusce Pontificis effigies , alteram posticæ , in qua emblema ad Gregorium XIV. spectans .

VI.

VRBANVS . VII. PONT. MAX. *Effigies , ut supra .*

IVSTITIA . ET . CLEMENTIA . COMPLEXÆ . SVNT . *Duæ mulieres se invicem amplexibus excipientes .* [4]

Hoc Numisma , a me in Museo Othoboniano perspectum , est apocryphum , ut alibi diximus , & ad Clementem VIII. pertinet .

VII.

VRBANVS . VII. PONT. MAX. *Effigies , ut supra .* 8.

POP. QVIES . ET . SECVRITAS . *Miles stans cum hasta in dextra , librá in læva , & galea solo hærenti* ; *In exergo :* GEN. RE. hoc est : *Genua resurgens .* [4]

Numisma hoc privatus aliquis Januensis fudit , futurum siquidem speravit , ut hujus Pontificis , & civis sui auctoritate , ac prudentia Reipublicæ firma , & perpetua pax redderetur , adhuc enim discordiæ Gregorii XIII. tempore exortæ in ea pullulabant .

VIII.

VRBANVS . VII. PONT. MAX. *Effigies , ut in præcedentibus .* 7.

Beata Virgo ab Angelo annunciata, superius Spiritus Sanctus ; *in exergo :* ROMA . [5]

Post Pontificis obitum hoc Numisma cudendum curavit Sanctissimæ Annunciationis Sodalitium ipsius hæres . Instituit ipsum Cardinalis *a Turre Cremata* anno Dom. MCDXXXI. in S.Mariæ supra Minervam Ecclesia , ad dotandas inopes Virgines [b]. Urbani hæreditate [c] ingens accessio facta est ; quare LX. aureorum summa , quæ singulis Virginibus distribuebatur , ad LXXX. deinceps adscendit .

Z IX.

a *Annal. di Greg. XIII. lib.4.*
b *Vide ejus Statut. cap. 17.*
c *Victorell. in Vita col. 205.*

IX.

9. VRBANVS. VII. PONT. MAX. *Caput nudum cum pluviali varie ornato.*

IN. VERBO. TVO. *S. Petrus in Navim rete trahens.* [5]

Hoc ſymbolum frequentiſſimum eſt in Pontificum Numis, quamvis varie expreſſum [a]. Aperta eſt ejus ſignificatio.



Nico-

a *Vide Bonann. Numiſm. to.1. Ciampin. de Sacr. Ædif. Bonarrot. in Vitris Sacris &c.*

Digitized by Google



NIcolaus Cardinalis *Sfondratus*, Cremonâ oriundus, Mediolani ortus, Pontifex unanimi Cardinalium consensu electus, Gregorii XIV. nomine appellatus est: Ecclesiæ præfuit a Nonis Decembr. anni MDXC. ad Idus Octobres sequentis anni, quum fato functus, sepultus est in Basilica Vaticana, e conspectu tumuli Gregorii XIII.

I.

GREGORIVS. XIII. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo duæ icones intra totidem oblongos circulos.*

GREGORIVS. XIIII. PON. M. *Pontificis Stemma, cujus area in quatuor partes dissecta est, in duabus, arbor, in reliquis duæ fasciæ cum totidem Stellis.* [4]

Digitized by Google

II.

GREGORIVS . XIIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio*, *& brevi pallio*; *subtus*: NI . BONIS.

Pontificis Insignia. [4]

Gens *Sfondratorum* vetus, opulenta, nobilisque Cremonæ jam fuerat, de qua non pauci ex historicis præclara enarrant. Franciscus Pontificis Pater [a] vir fuit doctus, & Reipublicæ benæ gerendæ aptissimus. Primum Mediolanensi Senatui adscriptus est, & quum Carolo V. foret acceptissimus, Senarum Urbi ab eo præfectus. Demum anno MDLIV. a Paulo III. Cardinalis fuit renunciatus.

III.

5. GREGORIVS . XIV. PONT. MAX. *Effigies*, *ut supra*.

DEXTERA . DOMINI . FACIAT . VIRTVTEM. *Pontifex in throno cum pluviali*, *& tiara*, *duobus Cardinalibus stipatus*, *Vexillum*, *in quo Crucifixus impressus*, *Duci genuflectenti*, *cum aliis militibus*, *tradit*; *in exergo*: 1591. [5]

IV.

GREGORIVS. XIIII. PONT. MAX. AN. I. *Caput nudatum cum pluviali circulo oblongo ornato*, *in quo figura*; *infra*: NI . BONIS.

Eadem postica. [5]

Horum Numismatum primum, præter Bonannium, adfert Luchius [b], secundum apud Cl. Marchionem *Lucatellium* vidi. Repræsentatur in iis Hercules Sfondratus Pontificis Fratris Filius, qui Montis Marciani in Piceno Ducatum donec viveret a Patruo obtinuit, deinde S. R. E. supremus copiarum Ductor creatus, in Galliam missus est contra Hugonottos: Eo bello ærarii Apostolici plusquam quingenta aureorum millia insumta [c], præter quadraginta millia ex suo ære a Gregorio erogata. Cæremoniam sic describit in suis Diariis *Alaleonus*. *Die Dominico* XII. *Maji* MDXCI. *Pontifex de mane ivit ad Ecclesiam S. Mariæ Majoris*, *ubi dixit Missam præsentibus* XXXVIII. *Cardinalibus*, *& dedit baculum Generalatus*, *& duo vexilla*, *videlicet unum S. R. E.*, *alterum Papæ*, *Excellentissimo D. Comiti Herculi Sfondrato ejus Nepoti Generali S. R. E. Galliam versùs contra Regem Navarræ*. Præter hæc Numismata alterum vidi novissime cusum.

V.

a *Pietr. Sant. in Tesf. Gentil. pag.* 464.
b *Srileg. Numism. pag.* 329.
c *Ciccarel. post Plat. pag.* 645.

Digitized by Google

V.

GREGORIVS. XIIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & pallio brevi; subtus:* NIC. BONIS. 8.

SPONSVM . MEVM . DECORAVIT . CORON. *Mulier sedens supra sellam, cum Cruce in dextra, & tiara Pontificia in læva; in exergo:* 1590. [5]

Quod supra cusum vidimus ob proximè coronandum Urbanum VII. Numisma, effigie mutatâ, sub hoc Pontifice est adhibitum.

VI.

GREGORIVS . XIIII. PONT. MAX. *Effigies nudo capite cum pluviali figuris ornato.* 3.

A. TEMPORALI. AD. AETERNVM. *Beatissima Virgo sedens in solio cum Puero Jesu, qui Tiaram Pontificis genuflectentis capiti imponit; post Pontificem Episcopus stans; Intra nubes altera Tiara; In exergo:* ROMA. [4]

VII.

GREGORIVS. XIIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & parvo pallio.*

CONSECRATIO. *Pontificis consecratio.* [4]

Nicolaus *Sfondratus*, Francisci Cardinalis filius, a Gregorio XIII. Cardinalis anno MDLXXXIII. creatus, Nonis Decemb. an. MDXC. Pontifex electus est, & VI. Idus ejusdem Conceptionis Immac. Virg. festo die coronatus. Hac de causa in VI. argenteo Numismate pulcherrimo, & perraro visitur Beatissima Virgo cum Puero Jesu, qui Pontificem coronat. Episcopus stans, non Cardinalis Diaconus, ut autumat R. P. Bonannius[a], sed S. *Nicolaus* Thaumaturgus Myrensis Episcopus Gregorii Patronus, mihi videtur esse. Gregorius enim & Nicolai nomen habuit, & pridie festi S. Nicolai Pontificatum adeptus est.

VIII.

GREGORIVS. XIIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra; subtus:* NIC. BONIS. 4.

DIEBVS. FAMIS. SATVRAB. *Mulier stans, altera manu cornucopiæ terræ nixum, alterá spicas tenet.* [5]

Quia hujus posticæ forma est corrupta, & male cusa, ipsa haud benè adparet. Sub Gregorio XIV. ob maximam annonæ caritatem, tam Ro-

a *Numism. Pont. tom. 1. in fine.*

Digitized by Google

Romæ, quàm in aliis locis, frumenti modium xxx. aureos venibat, neque omnibus præsto erat, itaut multi per agros fame perierint, quam herbis explere nequiverant, hianti enim ore, herbisque admotis cadavera inventa sunt [a]; quare Pontifex largis populum juvit eleemosynis, cibos cæteroquin vetitos in Quadragesima permisit, & panes per Urbis regiones ab earum Præfectis distribui jussit, datis tamen tesseris, ne turbæ excitarentur, neve plus æquo cuiquam tribueretur cæterorum damno. Hæc Numismate significantur.

IX.

6. GREGORIVS. XIIII. PONT. MAX. AN. I. *Effigies Pontificis cum tiara, & pluviali figuris ornato, Sanctissimam Eucharistiam in* Ostensorio *clausam tenens.*

IN. GRAM. PHILIPPINARV. ROMÆ, AN. 1591. *Beatissimæ Virginis, & Salvatoris imagines mutuo se respicientes; in medio Spiritus Sanctus irradiatus.* [4]

Numismate hoc significatur, Gregorium P. Sanchesio S. J. concessisse, ut plusquam x. millia cudi faceret Sacra Numismata, in quibus Salvatoris, & B. M. V. imagines insculptæ essent, eaque ad Philippinarum Insularum incolas recens Christianam Religionem amplexos deferret, quibus si sacro ritu præscripto ii uterentur, Ecclesiasticas lucrarentur indulgentias [b].

Car-

a *Ciccarell. in vit. post Plat. tom. 2.*
b *Collinus Hist. Philip. lib. 11. cap. 20.*

Digitized by Google



CArdinalis Johannes Antonius *Facchinettus*, dictus Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum, ad Pontificatum evectus IV. Kal. Novembr. anni MDXCI. nomen assumsit *Innocentii* IX.: Obiit anno eodem IV. Kal. Januarias, & in Basilica Vaticana est tumulatus.

I.

INNOCENTIVS. IX. PONT. MAX. AN. I. *Effigies nudo capite cum pluviali, in quo duæ icones ovatæ formæ circulis inclusæ.* 1. 2.
INNOCENTIO. IX. PONT. MAX. *Pontificis stemma, Quercus viridis in area argentea.* [5]

Bononiæ natus Joh: Antonius *Facchinettus* XIII. Kal. Sext. anni MDXIX. Patre Antonio, Matre Francisca, Navarræ oppido, quem *Gratiegny* dicunt oriundis, Cardinalis electus est a Gregorio XIII. Prid. Id. Decemb. anni MDLXXXIII.

II.

INNOCENTIVS. IX. PONT. MAX. AN. I. *Effigies capite nudo cum pluviali, in quo Puer Jesus stans cum Cruce, & B. Virgo; subtus:* N. B. *Nicolai Bonis.* 4.

RE-

RECTIS. CORDE. *Angelus Pontificiam tiaram manu tenens in circulo*; *in exergo*: 1591. [5]

In hoc Numismate demonstrantur Pontificis optimi mores, quibus ad Pontificatum adscendit; In Conclavi quum ferè XVI. Cardinales Pontificatu digni existimarentur, solus Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum, teste *Ciccarellio* [a], *etiam antequam Conclavim introirent Cardinales, ab his, & ab universa Roma Pontifex futurus dicebatur*.

III.

3. INNOCENTIVS. IX. PONT. MAX. AN. I. *Effigies capite detecto, cum pluviali, in quo figuræ.*

IVSTITIA. ET. PAX. OSCVLATÆ. SVNT. *Duo cornuacopiæ, quæ una cum floribus, & fructibus coronam exprimunt*; *in medio claves decussatæ*. [5]

Se Justitiam præ omnibus cordi habere, initio statim Pontificatus ostendit Innocentius; nam Cardinalibus aliqua juxta morem ab illo efflagitantibus, minimè obsequutus est, cum omnia maturè tractanda fore diceret [b].

IV.

10. INNOCENTIVS. IX. PONT. MAX. A. I. *Effigies capite detecto cum pluviali, in quo Puer Jesus, & Beatissima Virgo.*

ROMA. RESVRGENS. *Roma stans galeata, cum hasta, & scuto*; *e lateribus arma, libri, aliaque instrumenta*. [5]

Jam huic similem posticam vidimus sub Paulo IV., & Pio IV.; sed ad neminem potiùs, quam ad Innocentium pertinet ejus emblema; Ipse Romanam Urbem fame, qua opprimebatur, liberavit; altero die post electionem Cardinalium indixit Congregationem ad copiam procurandam; Nobilium frumenta Romam vehi jussit; & Vitellio Annonæ Præfecto de ea re mandata dedit. V. Non. Decem. pretium omnibus victui necessariis mercibus constituit, quùm eæ primùm nonnisi magni venirent [c]. His peractis Romanam Urbem restituisse, quis neget?

V.

5. INNOC. IX. PONT. MAX. *Effigies, ut num. præcedenti.*

IN. VERBO. TVO. LAXABO. RETE. *S. Petrus in navi, rete laxans, respiciensque Dominum in littore stantem*. [5]

De-

a *In vita post Platin. tom. 2. pag. 650.*
b *Ciccarell. ubi supra.*
c *Idem ibid.*

Demonstratur hìc, quantum Deo fidere Pontifices debeant in Ecclesiæ discriminibus.

VI.

INNOCENTIVS. IX. PONT. MAX. *Effigies capite detecto, & pluviali arabici operis*. 6.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Christus Apostolis lavans pedes; superne Spiritus Sanctus*. [5]

Ea de causa mihi hoc Numisma apocryphum visum est, quia Innocentius ab Octobri mense ad Decembrem quum regnaverit, non potuit Feria v. in Cœna Domini, quo tempore hujuscemodi Numismata cuduntur, lavere pedes pauperum, lotosque illis donare.

VII.

INNOCENT. IX. PONT. MAX. AN. I. *Caput nudum, pluviale figuris exornatum*. 7.

S. PETRVS. APOST. *S. Petri effigies, cum clavibus*. [5]

VIII.

INNOCENT. IX. PONT. MAX. AN. I. *Effigies, ut supra*. 8.

S. PAVLVS. APOST. *S. Pauli Effigies, cum ense*. [5]

Hoc Numisma apud Marchionem Lucatellium ex aurichalco conspexi; Tam hoc, quàm præcedens sunt fortasse sub Gregorio XIV. cusa ob Indulgentias Neo-Christianis Insularum Philippinarum, ut supra diximus, concessas, quæ quum ab Innocentio Pontifice confirmatæ fuerint, adposita hujus effigie, Numismata sunt renovata.

IX.

INNOCENT. IX. PONT. MAX. AN. I. *Effigies, ut supra*. 9.

PRO. PHILIPPINIS. ET. ALIIS. 1591. *Salvatoris Icon*. [5]

Præcedentium Numismatum explicatio per hoc confirmatur; quicquid dicant alii, qui multa comminiscuntur ad Christi Salvatoris Iconem hìc expressam interpretandam. Indulgentias Pontifex Innocentius, XII. Kal. Januarias confirmavit, & ampliavit [a].

a *Colin. in Histor. Philipp.*



HIppolytus Cardinalis *Aldobrandinus* Florentiâ oriundus, Fani Fortunæ natus, a die III. Kal. Februarias anni MDXCII. ad Nonas Martias anni MDCV. Eccleſiæ præfuit, & Clemens VIII. dictus eſt; Primò ſepultus eſt in Baſilica Vaticana, deinde in Sacello a Paulo V. apud S. Mariam Majorem conſtructo, nobili ſepulchro, cum hac epigraphe:

CLEMENS . VIII. FLORENTINVS . EX . ALDOBRANDINA . FAMILIA
POST . ROM. ROTÆ . IVDICIVM . ET . DATARIÆ . PRÆFECTVRAM
PVRPVRA . DONATVS
ET . MAIORIS . POENITENTIARII . MVNERE . AVCTVS
POST.SEDATAS. IN. POLONICA. LEGATIONE. INTER. SIGISMVNDVM. REGEM
ET. AVSTRIACAM. DOMVM. ORTAS . IN. COMITIIS. REGNI. DISCORDIAS
AD . PONTIFICATVS . APICEM . EVECTVS
PATRIARCHA . ALEXANDRINO . ET . RVTHENIS . EPISCOPIS
A . SCHISMATE . IN . ROM. ECCLESIÆ . COMPLEXVM . ADMISSIS
HENRICO . IV. APOSTOLICA . CARITATE . RECEPTO
GALLIARVM . REGNO . CVM . MAGNO . RELIGIONIS . BONO
POST . DIVTVRNA . BELLA . PACATO

INTER

Digitized by Google

INTER.EVNDEM.REGEM.IAM.ALPIBVS.INCEDENTEM. ET.DVCEM.SABAVDIÆ
. PER . PETRVM . ALDOBRANDINVM . LEGATVM . PACE . FIRMATA
SÆCVLARI. ANNO. IVBILÆI. MIRÆ . PIETATIS. DOCVMENTIS . CVMVLATO
PONTIFICIA . MAIESTATE . VBIQVE . CONSTANTER . ASSERTA
SEDIT. ANNOS. XIII. MENSEM. I. DIES. IV. OBIIT. NONAS. MARTII . MDCV.
ÆTATIS . LXVIII.
CORPVS . TEMPORARIO . VATICANI . TVMVLO . HVC . TRANSFERRI
CVRAVIT . DIE . XXIII. APR. MDCXLVIII.
M.ANTONIVS. BVRGHESIVS. PRINCEPS. SVLMON. PAVLI.V. FRATRIS.NEPOS.

I.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies capite nudo, pluviali arabicè exornato.* 49.

Pontificis stemma, fascia dentata oblique ducta, cum VI. *stellis,* III. *supernè, & totidem infernè.* [4]

Gens Aldobrandina in duas dividitur familias, ex altera est Clemens VIII., Silvestri filius, qui dum Florentiâ extorris Fani Fortunæ incola esset, tantum ibi filium nactus est, deinde Romam venit, ubi domus suæ sedem collocavit: Clementis familiæ cognomen fuit *della Rosa*, altera, quæ Florentiæ adhue viget, dicta est *di Madonna*: ex ista fuit amplissimus S. R. E. Card. Alexander elapsis annis vitâ functus.

II.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. ANN. I. *Effigies capite denudato, cum pluviali duabus figuris exornato.* 1. 2.

FORTITVDO. MEA. ET. REFVGIVM. MEVM. *Pontifex pluviali indutus, genibus flexis super pulvinari ante Christum Crucifixum; in solo Tiara Pontificia.* [5]

Expressam hîc voluit eruditus Artifex Clementis electionem, qui communi Cardinalium consensu Pontifex electus, rogatusque, num Pontificatum acciperet, hæsit primò, & ad aram procubuit, quumque responsum nullum daret, Cardinales, qui eum Pontificem efflagitabant, annuisse testati sunt. His tamen Cæremoniis Præfecti [a] haud quaquam acquieverunt, ut qui in publicas tabulas referre, juxta morem, debuissent tum electionis documenta, tum electi assensum, ideoque pressius interrogatus Clemens, post effusas ad Deum

Aa 2 pre-

a Oldoin. Stringa post Platin. tom. 2. pag. 663.

preces, & lacrymas tandem annuit. Præclarum sane factum, & Numismate dignum[a]!

III.

3. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. A. I. *Effigies, ut numero præcedenti.*

DOMINE. IVBE. ME. AD. TE. VENIRE. *S. Petrus e navicula in Mare se projiciens, ut Christum adeat in littore stantem.* [5]

IV.

CLEMENS.VIII. PONT. MAX.*Effigies cum camaleucio, ac brevi pallio. Eadem postica, ac in præcedenti.* [5]

Duo hæc Numismata diversimodè sunt percussa, ut ex anni nota, quæ in secundo deest, apparet.

V.

36. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. ANN. I. *Effigies, ut numero II.*

IVSTITIA. ET. CLEMENTIA. COMPLEXAE. SVNT. *Duo mulieres sese amplexibus excipientes; utraque e latere habet scutum, & hastam.* [5]

Numismata aliorum Pontificum per nos relata, quæ hoc in postica parte habent emblema, sunt indubitanter apocrypha; Hoc tantùm est genuinum, quod præter Pontificis nomen, exprimit etiam ejus virtutes; De illo hæc scripsit *Victorellus*[b]: *In omni ætate, ac variis, quæ obivit, muneribus, egregium prudentiæ, probitatis, justitiæque specimen dedit.* Idem hoc emblema sub *Innocentio X.* est renovatum.

VI.

48. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. ANN. I. *Effigies capite nudo, cum pluviali arabici operis.*

IN. VERBO. TVO. *S. Petrus in navim rete trahens.* [6]

Minimo modulo hoc Numisma fuit percussum, quod suâ claritate explicatione non indiget.

VII.

34. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudum, & Icon stans in pluviali expressa.*

LILIA. PROPAGANTVR. IN. ORBE. *Henrici IV. Galliæ Regis, & Mariæ Medices ejus uxoris effigies; in earum medio Rosa.* [4]

Clemens Petrum fratris filium Cardinalem Legatum Apostolicum Flo-

a *Scilla Mon. Pont. pag.* 169.
b *Apud Ciaccon, col.* 151.

Digitized by Google

Florentiam misit, ut nuptias inter Mariam Francisci Magni Etruriæ Ducis filiam, & Henricum IV. Galliarum Regem initas celebraret: hæ singulari magnificentiâ anno MDC. factæ sunt, & a Michaele Angelo Bonarrotio juniore descriptæ, typis *Mareschotti* mandatæ fuerunt. Rosa, quæ in medio Numismate visitur, Rosam benedictam, secundùm *Bonannium* [a], designat, novæ Nuptæ a Pontifice missam.

VIII.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. AN. IIII. *Effigies, ut numero præcedenti.* 29.

HENRI. IIII. D. G. FRANC. ET. NAV. REX. CHRISTIAN. *Galliæ Regis effigies thorace induta, & capite nudo.* [4]

Hoc Numisma percussum est, ad exprimendam Henrici Regis cum Ecclesia reconciliationem, & cum Romano Pontifice, qui eum ab excommunicatione absolvit. Hoc [b] post multas ei exhibitas preces, multasque conditiones, factum est XVI. Kal. Decem. an. MDXCV. in Porticu D. Petri. In hujusce rei memoriam Crucem super Columna erigendam Pontifex curavit ante S. Mariæ Majoris Basilicam cum Inscriptionibus rem indicantibus, quæ tamen non multis ab hinc diebus fatiscente jamdiu porticu, ac demum collapsâ, comminuta est. Columna, cujus descriptionem typis mandari jussit Pontifex, & exemplar penes me adservatur, præsefert effigiem ejusdem, & Gallorum Regis.

IX.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero VII.* 30.

ET. NON. POENITEBIT. EVM. CIƆIƆXCIIII. *Miles armatus ante aram genibus flexis, super qua ignis; e latere Sacerdos Hebræorum more indutus Calicem, quem supra aram ponit, habet in una manu, in altera panem.* [4]

In hoc etiam Numismate memorata Galliæ Regis absolutio exprimitur, sed quæ privatim anno MDXCIV. facta est, postquam Romam pervenisset Nivernensis Dux a Rege missus. Apposite quidem in Numismate Sacerdos Panem, & Vinum offerens inducitur, Henricus enim Calvini hæresim ejuravit, qui de Eucharistiæ Sacramento tam impie senserat.

X.

LILIA. PROPAGANTVR. IN. ORBE. *Capita Hencici IV. & Mariæ invicem sese respicientia.* 35.

RE-

a *Tom. 2. pag. 493.*

b *Busseret Hist. lib.* XXIII. *Victorell. vol. 254.*

REGNIS . NATVS . ET . ORBI. *Puer nudus in una manu sceptrum, in altera lilium habet; ad ejus pedes Gallus globum calcans.* [3]

Statim ac Clementi Tusculi commoranti nunciatum est, natum ex Maria, Henrico IV. filium, nempe Ludovicum XIII. v. Kal. Octob. anni MDCI., Maphæum Barberinum, qui postea Pontifex Maximus electus est, & Urbanus VIII. dictus, Apostolicum Nuncium ad Regem misit III. Nonas ejusdem mensis: ut ei de nata sobole gratularetur [a]. Nec minora Roma dedit lætitiæ indicia, præsertim Galli incolæ. Hæc Numisma exprimit.

XI.

4. CLEMENS . VIII. PONT. MAX. *Effigies capite nudato, cum pluviali arabici operis.*

SVPRA . FIRMAM . PETRAM . FVNDATA . EST. *Mulier sedens cum pluviali, manu una elevat Pontificiam tiaram, altera Crucem tenet.* [4]

Quisque videt, emblema ad Ecclesiam spectare, & epigraphem ad Christi sponsionem Petro factam per ea verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

XII.

5. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

AB . ORIGINE . MVNDI. *Abel genuflexus ante aram saxis compactam, supra quam Agnus in holocaustum crematur: inter nubes Deus Pater; in exergo:* CIƆIƆXCIIII. [4]

Molinetio [b] plumbum bullatis constitutionibus adfigi solitum, hoc Numisma visum est: ego verò, qui illud genuinum duco, arbitror, in ejus postica parte Clementem per Abelis sacrificium expressum voluisse, jam *ab origine Mundi* Deum Fidelium preces exaudisse.

XIII.

9. CLEMENS . VIII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis capite nudo, cum pluviali arabicè exornato.*

TV . DOMINE . ET . MAGISTER. *Christus S. Petri pedes lavans; in exergo:* ANNO . V. [5]

Hujuscemodi Numismata a Pontificibus cudi solent, quum Feria V. XII. Pauperum pedes lavant, singulisque eorum unum argenteum tradunt.

XIV.

a Ciaccon. col. 164. Alaleon. in Diar.   b In loco.

XIV.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. A. V. *Effigies cum camaleucio*, *& palliolo*; *subtus*: GEOR. RAV. 20.

RVTHENIS. RECEPTIS. *Pontifex in throno sedens pluviali*, *& tiara indutus*, *& a variis Cardinalibus comitatus*, *duobus genua flectentibus benedicit*, *quos alii duo stantes sequuntur*; *in exergo*: CIↃIↃXCVI. [4]

Johannes *Stringa* in Clementis vita de hisce Ruthenis sic loquitur [a]: *Venuti a Roma* &c.; hoc est: *Episcopi duo Rutheni*, *quum Romam venissent*, *Pontificem Metropolitæ*, *aliorumque Russiæ Episcoporum nomine rogarunt*, *ut eos in Ecclesiæ Romanæ gremium recipere vellet*, *qui ejurare hæreses*, *quæ tot annos foverant juxta Græcorum Dogmata viventes*, *promittebant*. *Pontifex eos benignè excepit*, *& cum vero cordis gaudio*, *itaut Episcopi in patriam læti reversi sint*. Eos Pontifex publicè audivit IX. Kal. Decemb. anni MDXCV. [b] in aula Constantini: ibi postquam professi sunt Catholicam Fidem, eis nomine Pontificis a celebri *Sylvio Antoniano* responsum fuit [c].

XV.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudatum*, *& pluviale arabici operis*; *Infra*: GEOR. RA. 10.

CONSECRATIO. *Pontifex Ministris Ecclesiasticis stipatus Altare consecrat*. [5]

Consecratio Aræ S. Petri super ejus Confessione, VII. Kal. Sextiles anni MDXCIV. a Clemente VIII., XXXVI. Cardinalibus adstantibus facta, hic designatur [d]. Non novum ibi Altare constructum fuit, sed quod usque ab Apostolis, ut creditur, inerat, coopertum; hoc verò ideo factum est [e], quòd quum vetus Altare, elevato Ecclesiæ solo, humile esset [f], in venerationem Apostolorum Pontifex loco dimoveri, haud permiserit.

XVI.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudatum*, *pluviale duabus Iconibus ornatum*. 11.

MAGNVM. GRATIÆ. SACRAMENTVM. *Adspectus Sacelli Sanctissimi Sacramenti in Templo S. Johannis in Laterano*. [4]

Cle-

a *Post Platin. tom. II. pag. 670.*
b *Baron. Annal. tom. VII.*
c *Ciaccon. col. 254.*
d *Alaleon. in Diar. MSS.*
e *Ciaccon. col. 266.*
f *Hist. della Basil. Vatic.*

Clemens VIII. anno MDC.[a] Basilicæ Lateranensis laquearia, quæ Aræ maximè imminent, cælaturis, & auro ornavit, pavimentum stravit, & muros marmore selectissimo obduxit, iisque appingi jussit[b] Constantini gesta, Pictorum eo tempore præstantissimorum opera usus, nempè Balleonii, Pomarancii, Nebbiæ, Novaræ, aliorumque; e fundamentis etiam erexit in eadem Basilica Sacellum Sanctissimi Sacramenti. Ejus epistylium, & tympanum sunt ex ære deaurato, a quatuor ejusdem materiei columnis vetustis striatis ordine composito suffulta. Has in Templo olim Jovis Capitolini fuisse, aliqui dicunt; alii verò ex navium rostris ab Augusto[c] post pugnam Actiacam conflatas; sunt, qui credant, a Vespasiano e Judæa transvectas: Quomodocumque sit, eæ sunt eximia antiquitatis monumenta.

Deum Patrem in tympani fronte pinxit *Pomarancius*[d]: Christum in Cœlum adscendentem, Joseph Cæsar *Arpinas* in muro supra Altare: Angelos æreos fecit Camillus *Marianus*; Statuas Heliæ, & Moysis Flaminius *Vacca*; Statuas Aaronis, & Melchisedechi, *Scilla* Mediolanensis, & Ægidius *Belga*. In nostro Numismate pene omnia hæc visuntur expressa.

XVII.

12. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

MAGNVM. GRATIÆ. SACRAMENTVM. *Cœnaculum quatuor columnis ornatum, in quo Christus cum Apostolis cœnans.* [4]

In eo[e], quod præcedenti numero descripsimus, Sacello, Tabernaculum Pontifex fecit magni pretii, nempe aureorum XII. mill. Architecto *Targionio*; & super Tabernaculo tabulam argenteam, in qua Domini nostri cœna cum Apostolis exprimitur opere anaglyptico[f], fusili; quod in Numismate conspicitur. Hanc tabulam fecit Curtius *Vannius* Romanus Aurifex.

XVIII.

14. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. AN. VII. *Effigies Pontificis, capite nudo, cum pluviali Icone viri exornato; infra verò*: 1598.

HINC. PAX. HINC. VICTORIA. *Crux supra montem posita:* ad

a *Victorell. Hist. Jubil. pag.* 440.
b *Ciaccon. col.* 251. *&* 377.
c *Respon. de Basil. Later. pag.* 59.
d *Baglion. Vita de' Pitt. pag.* 761. *& seq.*
e *Alaman. de Pariet. Later.*
f. *Roma Mod. pag.* 41.

ad ejus dexteram olivæ, ad lævam palmæ ramus; inferiùs frumenti spica. [4]

Mortuo V. Kal. Nov. anni MDXCVII. Alfonso II. Atheſtino, ultimo Ferrariæ Duce, Clemens VIII.[a], collecto Cardinalium Senatu, Ducatum Ferrarienſem S. Sedi devolutum declaravit, & a Cæſare Atheſtino Alfonſi hærede[b] repetendum, qui eum occupaverat. Fortaſſe ea occaſione Pontifex Numiſma cudi curavit, ut qui in Deum ſperans, olivâ Pacem offerret Cæſari: ſi is abnueret, ſibi palmâ Victoriam polliceretur, quæ copiam ſpicæ ſymbolo expreſſam promitteret recuperandæ urbi.

XIX.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudatum; in pluviali figura.* 15.

FERRARIA. RECVPERATA. *Juvenis cum paludamento, claves Cardinali Aldobrandino veſtibus Cardinalitiis induto præſentans.* [6]

Quum Cæſar Ferrariæ ſe tueri ſtuderet, Pontifex ad XXV. millia peditum, & III. millia equitum miſit, ac Cardinalem Aldobrandinum Fratris Filium expeditioni præfecit: Cæſar ſe viribus imparem agnoſcens Ferrariam ceſſit[c]: Faventiæ de conditionibus conventum eſt inter Cardinalem, & Ducis Miniſtros[d]; quare pridie Kal. Martias anni MDXCVIII. Urbis poſſeſſionem idem Cardinalis, a Pontifice Ferrariæ Legatus dictus, iniit. Clemens deinde Româ Idibus Aprilis diſcedens, magnificentiſſime Ferrariam Nonis Majis ingreſſus eſt, in qua ad VI. Kal. Decembres permanſit[e]. Numus explicatione non indiget; nam in eo *Judex Sapientum* (ſic principem urbis Magiſtratum dicunt) claves Cardinali Legato tradit.

XX.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. AN. VII. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo cuſa eſt Icon quædam ſtans; ſubtus:* GEOR. RN.

FERRARIA. RECVPERATA. *Urbis Ferrariæ adſpectus.* [4. 3.]

In Catalogo Numiſmatum per *de Vos* edito, pro: RECVPERATA, legitur: RECEPTA. Aliud quoque vidi, in cujus antica parte: S. QVIRIC.

Bb XXI.

a *Stringa poſt Platin. tom. 2.*
b *Murator. Hiſt. Eſtenſ.*
c *Bruſoni Hiſt. d' Ital.*
d *Muratori Hiſt. Eſtenſ.*
e *Videſis Acta Conſiſtorial. MSS.*

Digitized by Google

XXI.

16. CLEMENS. VIII. PONT. M. A. VII. *Effigies capite nudo*; *in pluviali Icon*; *infra verò*: C. NB.

FERRARIA. RECVPERATA. *Idem adspectus*. [5]

Postremum Numisma novissimè anno MDCCXXVII. est cusum; In utroque exprimitur *Ferraria*, Urbs a Langobardis constructa, quum de ea nonnisi ab eorum tempore fiat mentio apud Scriptores; Hanc cum aliis Urbibus a Comitissa Mathilde Ecclesiæ donatam [a], sed deinde a Friderico II. Imperatore ereptam, paulo post in fidem recepit Gregorius a *Monte-longo* Legatus Apostolicus ope Venetæ Reipublicæ [b], & Insubriæ Principum: Inter hos fuit Azo III. Marchio Athestinus, qui ideo Vicarius Sanctæ Sedis Ferrariæ [c] constitutus, Urbem Posteris tamquam Ecclesiæ beneficiariis usque ad Alfonsum II. ultimum suæ gentis transmisit.

XXII.

18. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. AN. VII. *Effigies*, *ut supra*.

REMIGRAVIT. ERIDANVS. *Flumen jacens*, *in dextra habet urnam*, *qua aquam effundit*, *per quam anates natant*, *in læva cornucopiæ*; *procul aliquot populi arbores*; *subtus*: 1598. [4]

Padus Flumen hoc Numismate exprimitur, ut Veteres descripserunt [d], qui illud, *Eridanum*, sumto ab *Erez* vocabulo, dixerunt [e]: *Erez* apud Hebræos non solùm cedros, sed omnes arbores piceas, & resinosas significat; quæ arbores, in Numismate designatæ, passim in *Eridani* ripis nascuntur. Postea ei Pado nomen indiderunt, quem Itali *Pò* dicunt. Hic duplici alveo Ferrariensem agrum irrigat.

XXIII.

6. CLEMENS. VIII. PONT. M. A. VII. *Effigies Pontificis capite nudo*; *in pluviali Justitia exprimitur*; *subtus*: GEOR. R.

ANNONA. PVBLICA. *Mulier stans capite spicis redimito*, *lævâ earum fasciculum*, *dexterâ cornucopiæ tenet*. [5]

Italiæ calamitatibus, quæ fame valdè premebatur, Pontifex opitulaturus, post divinum imploratum auxilium, publicis indictis preci-

a *Baron. anno 1240. num. 19. Orsi Dominio temporale &c. Roma 1742.*
b *Baruffaldi memor. di Ferrar.*
c *Muratori Antich. Estensi tom. 1.*
d *Morell. Specim. Rei Numm.*
e *Mazzochi sopra l'origine de' Tirreni. Tom. 3. Dissert. di Corton. pag. 7.*

cibus [a], ab Hispaniâ ingenti frumenti copiâ in suam ditionem transvectâ [b], famem ab ea eliminavit; hoc ideò in rei memoriam cusum est Numisma, quod noviter cusum etiam conspexisse memini.

XXIV.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. A. XIII. *Effigies capite nudato: in pluviali Icon; subtus*: GEOR. RA. 21.

IVBILEI. INDICTIO. *Pontifex sacris vestibus indutus, Cardinalibus e lateribus adstantibus, throno insidet: e conspectu Cathedra, in qua Lector, ante eam duo Levitæ Tubis canentes; in exergo*: AN. MDC. [4]

Hic denotatur Jubilei Indictio. Aliud exstat cum anno Pont. XII.

XXV.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 22.

PORTA. COELI. *Porta supernè radiis illustrata, per Clementem Pontificiis vestibus indutum, comitante Clero, aperta; in exergo*: DOMVS. DEI. 1600.

XXVI. 23.

CLEMENS. VIII. PON. MAX. A. IX. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo Icon stans; subtus*: GEOR. RA.

LAVDATE. NOMEN. DOMINI. *Peregrini per portam introeuntes; In aere Angelus cum corona: in exergo*: MDC. [4]

XXVII.

CLEMENS. VIII. PON. MAX. AN. IVB. *Caput nudatum, in pluviali variæ figuræ appositæ sunt.* 24.

EGO. VOS. REFICIAM. *Peregrinis genibus flexis ante portam, Salvator inter nubes sedens benedicit.* MDC. [4]

XXVIII.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudum, pluviale arabici operis.* 25.

IVSTI. INTRABVNT. PER. EAM. MDC. *Porta clausa, in cujus medio Crux; in superiori parte*: CLEMENS. PONT. M.; *& e lateribus duo Angeli inter nubes.* [4]

XXIX.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. A. IX. *Effigies capite denudato, cum pluviali, in quo Icon stans; subtus*: GEOR. RA. 26.

INTROITE. IN. EXVLTATIONE. *Pater Æternus supra Portam,*

a *Paul. Alaleona in Diariis.*
b *Stringa in Vita post Platinam tom. 2. pag. 671.*

tam, inter nubes, & radios; e latere Pontifex genuflexus, ante pedes habens thiaram; ab alio latere oves, per portam introire satagentes, in exergo: A. MDC. [4]

XXX.

27. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. A. IX. *Omnia, ut supra; Infra*: GEOR. RA.

ABSOLVTO. ANNO. IVBILEI. *Pontifex Portam Sanctam claudens; in exergo*: CIↃIↃC. [4]

XXXI.

28. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum arabici operis pluviali*.

PORTAM. SANCTAM. APERVIT. CLAVSITQVE. ANNO. IVB MDC. *Porta Sancta clausa*. [4]

VIII. hæc Numismata Portam Sanctam, & reseratam, & clausam anno Jubilei MDC. ab Clemente VIII. ostendunt. Quum Pontifex podagrâ laboraret, non in Vigilia Nativitatis Domini, juxta morem Porta reserata est, sed ultimo anni die. Portam S. Pauli, Cardinalis *Gesualdus*, Portam S. Johannis Lateranensis, Cardinalis *Columna*, & S. Mariæ Majoris Portam, Cardinalis *Pinellus*, reserarunt. Hoc anno Romæ eò peregrinorum numerus excrevit, ut in sola *Trinitatis Peregrinorum* Domo ad CCCXX. eorum millia hospitio fuerint excepta. Ut Portæ Sanctæ reseratio, Pontifice ægrotante, protracta est, ita ejus clausura, eadem de causa ad Idus Januarias anni MDCI. producta est. Numismati numero XXIV. relato malè cusoris negligentiâ annus Pontificatus XIII. pro IX., ut in cæteris factum est, designatur.

XXXII.

31. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies capite nudato, cum pluviali, in quo figura est expressa*.

PAX. ET. SALVS. A. DOMINO. *Mulier spicis ornata, Crucem dextrá tenet, levá armorum acervum face comburit; in exergo*: MDCI. [4]

Ad Pacem ab Henrico IV. Galliæ Rege cum Sabaudiæ Duce anno MDCI. Cardinalis Aldobrandini, qui Ap. Legatus in Galliam ibat, officiis, initam hoc Numisma adludit: hac Sabaudus *Salutium* titulo Marchionis habuit, Gallus vicissim aliquot Urbes, & vicos Galliæ finitimos [a]. Pontifex lætus Nuncium de Pace accepit, quæ magnam ejus auctori gloriam peperit.

XXXIII.

a *Stringa in Vita post Platin. tom. 2. pag. 689.*

XXXIII.

Anticâ caret hoc Numiſma.

PAX. ET. SALVS. A. DOMINO. *Mulier ſpicis redimita, & cætera, ut numero præcedenti.* [4]

XXXIV.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies capite nudato: In pluviali aliquot figuræ.* 32.

PAX. REIPVBLICAE. CHRISTIANAE. *Duæ Protomes, manus ſibi invicem dantes, e quibus tres frumenti ſpicæ ſurgunt; ſuperius Spiritus Sanctus.* [4]

Poſtquam inter Henricum IV. Galliæ Regem, & Philippum II. Hiſpaniæ diuturno bello certatum eſt, quod Henricus Catharinus de *Avila* [a] eleganter deſcripſit Italico Idiomate Libris XV. quos noviſſimè latinè reddidit Cl.*Cornazzanius* Imolenſis amicus noſter [b], Chriſtianus Orbis pacem inſtanter efflagitabat. Eam Pontifex per Ordinis Franciſcanorum Generalem Miniſtrum, cui rem commiſerat, conciliare non potuit, ideo Alexandrum Cardinalem Medicen, (cui in Pontificatu Leoni XI. nomen eſt datum) in Galliam Legatum e latere [c] miſit, qui ſuâ prudentiâ, & officiis V. Nonas Martias anni MDXCVIII. pace florentiſſimos Europæ Regnos donavit; uterque Rex Pontifici, ut Pacis auctori gratias egit [d], dum ille Ferrariæ [e] permaneret. Non ſine cauſa igitur hìc Pontificis effigiei Regum Protomes ſunt adjectæ, una cum ſpicis, quæ ſymbolum ſunt copiæ a Pace partæ, & Spiritu Sancto Pacis datore.

XXXV.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies nudato capite: In pluviali Icon ſtans; In ima parte:* EMIL. B. 47.

PHILIPPVS. III. HISPAN. REX. CATHOL. ARCH. AVSTRIÆ. ETC. *Philippi III. Protome.* [4]

Pace firmatâ, Hiſpaniarum Rex Philippus II. obiit [f] Nonis Septembribus ejuſdem anni MDXCVIII., cui Philippus III. Filius ſucceſſit. *Bonannius* tam hoc, quàm præcedens Numiſma ad Philippum III. ſpectare contendit, attamen in primo Philippi II. effigies ætate jam pro-

a *Guerre Civili di Francia.*
b *Edit. Romæ in fol. apud Bernab. & Palearin. in 3. Volumina.*
c *Buſſeres hiſt. Gallic. tom. 2. lib. 23.*
d *Ciaccon. col. 258.*
e *Stringa ubi ſupra pag. 673.*
f *D' Avila, & Cornazzan. Hiſt.*

proveċtâ certo certius visitur. Pontifice Ferrariæ adhuc commorante, in hanc Urbem Idibus Novembribus publicè ingressa est *Margareta* Austriaca, Philippo II. desponsata, quam Clemens magnificentissime excepit, & in principe Ecclesia Matrimonio junxit: hac fortasse occasione Numus hic percussus est.

XXXVI.

33. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

VENI. DILECTA. MEA. *Mulier sedens super aliquot gradibus, Ecclesiæ Umbellam manu tenet; cui altera mulier e conspectu stans claves tradit.* [4]

R. P. *Bonannius* in hoc Numismate expressum putat Reginæ *Margaretæ* adventum, sed non apposite. Ego quidem censeo, mulierem cum Umbella referre Ecclesiasticam Ditionem, cui Civitas *Ferrariæ*, per alteram mulierem designata, claves tradat.

XXXVII.

39. CLEMENS. VIII. PON. MAX. A. V. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

SEQVERE. ME. *Christus, quem Apostoli sequuntur.* [5]

XXXVIII.

13. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedenti numero.*

TV. SCIS. DOMINE. *Christus cum Petro, duobus aliis Apostolis adstantibus, loquens.* [5]

XXXIX.

19. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. A. XIII. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo S. Johannes Baptista stans exprimitur; subtus:* GEOR. RA.

VNVS. DEVS. VNA. FIDES. *Mulier stans velata, & coronata ad aliquot fulgores respiciens; levâ tenet Crucem, Calicem cum Hostia dexterâ; in exergo:* MDCII. [4]

Tria hæc Numismata nobis exponunt Sanċtissimi Pontificis vigilantiam summam in custodiendis Catholicæ Religionis Dogmatibus, & Hæreticis ab errore reducendis, quorum multi [a] anno Jubilei illius mores sanċtos admirati, in S. Matris Ecclesiæ gremium reversi sunt. Horum Numismatum ultimo pro anno X. malè cusor XIII. apposuit.

XL.

[a] *Stringa in Vita pag. 683.*

XL.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudum*; *in pluviali figura stans*. 40.

EXVRGAT. D. ET. DISSIP. INIM. EIVS. *Pontifex in solio sedens Pontificiis vestibus indutus*, *Vexillum genuflectenti militi tradit*: *alii tres viri procul stantes*. [4]

Vigente inter Imperatorem *Rodulphum* Austriacum, & Turcarum tyrannum bello, Christianorum res Clemens Pontifex auro, copiisque adjuvit: Ter in Hungariam Ducem misit Johannem Franciscum *Aldobrandinum* [a], qui tandem magno Clementis luctu *Canisiam* oppugnans, morbo interiit [b]. In Numismate igitur ostenditur Vexillum Fratris Filio ab eo traditum, quum illum Ecclesiasticis copiis præfecit; *In Vexillo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, inquit *Alaleona* Cæremoniis Præfectus in suis Diariis, in quibus multis functionem describit, *erat depicta Imago Sanctissimi Crucifixi*; *ad pedem Crucis erat scriptum*: EXVRGAT. DEVS. ET. DISSIPENTVR. INIMICI. EIVS. Hæc epigraphe etiam in nostro Numismate legitur, quod & Vexillum Cruce ornatum præsefert.

XLI.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies capite nudato*, *cum pluviali arabici operis*. 7.

GREGEM. NE. DESERAS. *Pastor genibus flexis*, *brachiisque extensis ad Spiritum Sanctum*, *multis circumdatus ovibus*, *manu pedum tenet*; *super scapulo tiara Pontificia*. [4]

XLII.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. ANNO. I. *Effigies*, *ut num. superiori*. 8.

CONFREGISTI. DRACONVM. CAPITA. *Crux*, *quam Draco circumdat*; *procul urbs visitur*; *in exergo*: INTVS. ET. EXTRA. [5]

Pertinet utrumque hoc Numisma ad bellum Hungaricum: Pontificis precibus, & copiis *Buda*, per urbem procul positam hic expressa, e Turcarum (per Draconem designatorum) manibus ab Imperiali exercitu erepta fuit: Audi, quæ in Diariis suis narrat sæpe laudatus *Alaleona* [c]: XX. *Octobris* 1597. *venit Nuncius*, *quod exercitus Imperialis debellavit Turcas*, *& cæpit Budam*, *ideo in Castro Sancti*

a Ciaccon. col. 262.
b Stringa ubi supra.
c In Diar. MSS. Vide etiam Ciaccon. col. 261.

Digitized by Google

sti Angeli fuerunt exoneratæ Bombardæ, & Papa in Basilica Lateranensi, ad quam iverat, fecit cantare TE DEUM.

XLIII.

30. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. AN. XII. *Caput detectum, cum pluviali, in quo figura stans; infra*: GEOR. R.

SALVA. NOS. DOMINE. *Navis vento, & undis agitata; in ea Christus dormiens, quem Apostoli expergefaciunt*. [3]

Maximo modulo cusum est Numisma: *Bonannius* putat eo symbolo Catholicam Religionem in Gallia periclitantem significari; sed quum in antica inscriptus adsit annus XII., verosimilius est, bellum inter Imperatorem, & Turcas indicari, ultimis enim hujus Pontificis annis grave, & periculosum Imperatori fuit [a].

XLIV.

37. CLEMENS. VIII. PONT. MAXIMUS. A. XII. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo duæ Icones stantes. Infra*: GEOR. RAY.

DA. QUOD. IUBES. *Pontifex genibus flexis, pluviali indutus, & ad pedes habens tiaram: Oves multæ eum sequuntur: Christus, quem Pontifex orat, speciem jubentis præfert; in exergo*: MDCIII. [4]

Pontifex præcepti memor, ut suas oves pasceret, seseque imparem tanto oneri agnoscens, Divinam opem, & gratiam verbis implorat S. Augustini; cujus doctrinæ fuit studiosissimus, ut notum est ex iis, quæ Romæ ipso Pontifice acta sunt adversus novam de Divinis Auxiliis doctrinam [b].

XLV.

41. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput detectum, cum pluviali arabici operis*.

PORTU. CENTUMCELLARUM. INSTAURATO. A. MDCIV. *Portus Centumcellensis adspectus*. [5]

Hoc anno MDCIV. Pontifex instauravit magnæ molis murum, quem ad ostium Portus Centumcellensis instar Insulæ Trajanus ædificaverat ad maris impetus arcendos, ibique duos pharos erexit [c], quorum unus adhuc exstat, alterius verò tantùm rudera supersunt.

XLVI.

42. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. A. XII. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo Icon stans exprimitur*.

VELINO. EMISSO. *Torrens ab alto decidens, & Pons*. [4]

Su-

a *Bruson. Hist. d'Ital.* b *Serry Histor. Cong. de Auxil.*
c *Rutil. in Itinerar. v. 237. Scott. Itiner. d'Ital.*

Supra memoravimus, Pauli III. juſſu Velini alveum effoſſum, ſed paulo poſt obſtructum. Clemens verò flumen novo alveo deduxit CXL. palmos lato, XXV. profundo, Marchione Johanne Baptiſta *Caſtellio* [a] Architecto: & ad redundantes aquas coercendas Pontem exſtruxit, qui in Numo viſitur, Architecto Equite *Fontana*. Ad LXXV. aureorum millia Pontifex in id opus inſumſit, quod Ferrariâ redux inviſit [b], perluſtravitque.

XLVII.

CLEMENS. VIII. PONT. MAXIMVS. A. XIII. *Caput nudum*: 43.
In pluviali duæ figuræ ſtantes.

Frons Ædium Quadrumviralium in Capitolio; *in ſuperiori area*: S. P. Q. R.; *in inferiori*: MDCIII. [1]

Duo Palatia, quæ ad latera Capitolinæ areæ ſita ſunt, ædificarunt Clemens VIII., Innocentius X., & Alexander VII. Ichnographiam, & ornatus elegantiſſimos Bonarrotius delineaverat, ejuſque ſpecimine uſi ſunt Architecti, qui in iis ædificiis navarunt operam, nempe Jacobus Ducius, Jacobus Raynaldus, Laurentius Berninus, aliique. Primum in fundamentis lapidem poſuit ipſe Clemens, & in eo epigraphem incidit, quam Bonannius [c] refert.

XLVIII.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio.* 44.

Adſpectus Lacuum, & Salientium Villæ Tuſculanæ, quam dicunt Belvedere. [4]

Hoc rarum Numiſma fuſum eſt fortaſſe, quum, vivo adhuc Clemente, a Petro Cardinale *Aldobrandino* jacta ſunt fundamenta Villæ, quam dicunt *Belvedere*. Præclaram adducimus Inſcriptionem a nemine antea editam, quæ legitur in Coronide Fontium ante Villæ proſpectum.

PETRVS. CARD. ALDOBRANDINVS. S. R. E. CAMER.
CLEMENTIS. VIII. PONT. MAX. FRATRIS. F.
AD. ALLEVANDAM. OPPORTVNO. SECESSV
VRBANARVM. CVRARVM. MOLEM.
FERRARIA. IN. POTESTATEM. SEDIS. APOSTOLICÆ. REDACTA.

a *Videſis Itinerarium Italiæ Scott*...
b *Ciaccon. col. 261.*
c *Num. Pont. Tom. 2. pag. 498.*

PACE. CHRISTIANÆ. REIPVBLICÆ. RESTITVTA
AMENITATEM. LOCI. VILLAM.
ET. MAGNIFICIS. EXTRVCTIS. OPERIBVS. AQVA
ETIAM. CORRIVATA. ET. AB. ALVEO. DVCTA
CAETERISQVE. ORNAMENTIS. ACCVRATISSIMO. CVLTV
DECORAVIT.

Hujus Schema æri incidit, & Ludovico XIV. Galliæ Regi dicavit Dominicus *Barriera*. In præsenti Numismate exprimuntur solummodo Lacus Cyclopis, & Apollinis, aliique e conspectu ædium, quas picturis, & Statuis miri operis idem Cardinalis ornavit [a].

XLIX.

TV. ES. PETRVS. ET. SVP. HANC. PETR. ÆDIFICABO. ECCL. MEAM. *Apostolorum Principum statuæ super stylobates, in quibus Gentis* Priulæ *stemma*.

IN. MEMOR. CASTELLANAM. IAM. VETVSTATE. COLLABENTEM. LAVRENTII. PRIVLI. VEN. PATHR. RESTAVR. SVI. PATH̄VS. ANN. II. CLEMENTE. VIII. P. M. PASC. CICONIA. D. MDXCIIII. [3]

Hoc fuso Numismate memoria servatur fortasse Templi Sanctæ *M. Castellanæ* a Cardinali Laurentio *Priulo* restituti: qui Idibus Juniis anni MDXCVI. a Clemente VIII. creatus est Cardinalis [b].

Ale-

a *Adeundus est liber, cui titulus;* Il Mercurio Errante.
b *Ciaccon. Vita Cardinal. in Clemente VIII.*

Digitized by Google



Alexander Medices, Cardinalis Florentinus nuncupatus, Kalendis April. anni MDCV. electus Pontifex, VII. Kal. Majas anni ejusdem fato functus est: ejus ossa in Basilica Vaticana nobili sepulchro sunt condita, hoc titulo.

LEO XI.

I.

LEO. XI. PONT. MAX. ANNO. I. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio*; *infra*: GEOR. RA. 1. 2.

DE. FORTI. DVLCEDO. MDCV. *Leonis cadaver, in cujus ore favum mellis*. [4]

Symbolum, & epigraphe ex Samsonis historia sumta sunt [a], & Leoni XI. aptata, sicut enim Samson in occisi Leonis ore favum repererat, & ex eo mel fluere viderat, ita a Leone Pontifice quidquid optimum foret sperabat Ecclesia; & sane is Pontificatum assumens, sibi

a Judic. cap. XIV. ver. 14.

Digitized by Google

ſibi conſtituit [a], Conſanguineos minime exaltare, neque Succeſſorem deligere, vel Cardinales creare, qui Pontificatu indigni haberentur; Omnia demum præſtare Optimo digna Pontifice.

II.

4. LEO. XI. PONTIFEX. OPT. MAX. ANNO. I. *Effigies capite nudato, cum palliolo.*

SIC. FLORVI. *Roſarum florentium faſciculus in laureá coroná: In medio Epigraphe tæniis inſculpta.* [4]

III.

3. LEO. XI. PONTIFEX. OPT. MAX. ANNO. I. *Effigies, ut numero II.*

SIC. FLORVI. *Tres Roſæ ſimul colligatæ.* [4]

In utroque hoc Numiſmate Cuſor expreſſa voluit Leonis ante Pontificatum munia, quibus benè functis optimum ſperabant omnes futurum Principem. Ipſo flore juventæ Epiſcopus *Piſtorienſis*, inde Archiepiſcopus Florentinus electus fuit [b]: Poſtmodum eum anno MDLXXXIII. Gregorius XIII. Cardinalem creavit; Clemens VIII. in Galliam legavit ad tractandam pacem inter Galliæ Regem Henricum IV., & Philippum II. Hiſpaniæ, quæ ſuis officiis ſequuta eſt. Meritò igitur Pontificatu ſupremo dignus habitus eſt a Sacro Senatu.

Ad

a *Stringa in Vita poſt Plat. to. 2. pag. 692.*
b *Stringa ubi ſupra.*



AD xvii. Kal. Junias anni MDCV. Cardinalis Camillus *Burghesius* electus est Pontifex, & ad iv. Kal. easdem festum Pentecostes diem fuit coronatus. Mortuus ix. Kal. Februarias anni MDCXXI., in *Burghesiano* Sacello ad S. Mariam Majorem conditus est, cum hoc epitaphio:

PAVLVS V. PONT. MAX.
MORTIS MEMOR
VIVENS SIBI POSVIT
SCIPIO CARDINALIS BVRGHESIVS FVNVS DVCI
IVSTA SOLVI CORPVS INFERRI CVRAVIT.

PAVLVS . V. PONT. MAX. PATRIA . ROMANVS . EX . BVRGHESIA . FAMILIA
CVI . PERPETVA . VITÆ . INNOCENTIA . ET . SPECTATA . VIRTVS
AD . INSIGNES . QVOSQVE . HONORES . GRADVM . FECIT .
BONONIÆ . PROLEGATO . PRÆFVIT . MOX . A . GREGORIO . XIV.
CAVSARVM . CAM. APOST. AVDITOR . CREATVS
ET . A . CLEMENTE . VIII. AD . PHILIPPVM . II.
HISPANIARVM . REGEM . DE . GRAVISSIMIS . REBVS . LEGATVS

IN

Digitized by Google

IN . AMPLISSIMVM . ORDINEM . COOPTATVS
INTER . GENERALES . INQVISITORES . ADSCRIPTVS
ET.VRBIS.VICARIVS.ELECTVS.CVM.OMNES.TANTORVM.MVNERVM.PARTES
SVMMA . CVM . LAVDE . OBIVISSET
AD . SVMMVM . PONTIFICATVM . LEONE . XI. E . VIVIS . EREPTO
FLORENS.ADHVC.ÆTATE. INCREDIBILI. PATRVM. CONSENSV. EVECTVS.EST
CVMQVE . VIGILI . SOLLICITVDINI . SECVRITATEM . ANNONÆ . COPIAM
IVSTITIAM . ET . QVIETEM . POPVLIS . ECCLESIASTICÆ . DITIONIS
CONCORDIAM . VERO . ET . PACEM . VNIVERSO . CHRISTIANO . ORBI
SEMPER . PRÆSTITISSET
RELIGIONEM . SVMMA . PIETATE . COLVISSET
VRBEM . MAGNIFICENTISSIMIS . ÆDIFICIIS. ORNASSET . ATQVE . EGREGIIS
OMNIVM. VIRTVTVM. OFFICIIS. ADITVM. SIBI. AD. IMMORTALITATEM
APERVISSET
E . MORTALIBVS. RAPTVS. GRAVE. CVNCTIS. SVI. DESIDERIVM . RELIQVIT
SEDIT . IN . PONTIFICATV . ANNOS . XV. MENSES . VIII. DIES . XIII.
OBIIT . ANNO . SAL. MDCXXI. DIE . XXII. IANVARII .

I.

37. PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. MAX. *Effigies capite nudo, cum pluviali arabici operis.*

CVIVS. REGNI. NON. ERIT. FINIS. *Burghesiæ Gentis stemma, Aquila scilicet supernè, & infernè Draco: Super scuti claves decussatæ, cum Tiara.* [4]

Gens Burghesia originem Senis habuit, ubi adhuc ex eadem Familia Nobiles aliquot vigent. Viros Reipublicæ dedit literis, & armis potentes. Pater Pontificis *Marcus Antonius*, Advocatorum Consistorialium Romæ multos annos Decanus, Flaminiam *Astalliam* uxorem duxit, e qua nostrum *Camillum* habuit XV. Kal. Octobres anni MDLII.

II.

1.2. PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. MAX. *Caput nudatum Pontificis, cum pluviali, in quo præter alias figuras, ara etiam expressa est.*

VBI. VVLT. SPIRAT. *Spiritus Sanctus radios emittens.* [4]

Ad hujus notitiam Numismatis, Oldoinum [a] præstat audire, de Pauli

a *Oldoin. post Ciaccon. pag. 176.*

Pauli electione loquentem: *Camillum* Burghesium *in Pauli Sacellum repentè deductum Cardinales omnes, divino potius, quàm humano suffragio, venerandum, & colendum, ut Christi vices in Sede Ecclesiæ suprema fulgentem existimasse*.

III.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. ROMANVS. PONT. MAX. A. S. MDCV. PONT. I. *Effigies capite nudo, cum pluviali arabici operis; subtus*: AMB. B.

BEATISS. MARIÆ. SEMP. VIRGIN. SACELLVM. A. FVNDAMENTIS. EREXIT. *Sacellum Burghesium apud S. Mariam Majorem*. [2]

A Marchione *Lucatellio*, apud quem conspexi, fusum hoc, & deauratum maximi moduli Numisma adservatur.

IV.

PAVLVS. V. P. MAX. A. IV. *Caput nudatum, in pluviali duæ Icones stantes; subtus*: G. F.

COMPLEAT. GLORIA. MARIÆ. DOMVM. ISTAM. *Sacelli Burghesii imperfecti adspectus*. [5]

V.

PAVLVS. V. PONT. MAX. A. II. *Caput nudatum, cum arabici operis pluviali; subtus*: G. A.

COMPLEAT. GLORIA. MARIÆ. DOMVM. ISTAM. *Idem Adspectus imperfectus*. [5]

Hoc Numisma oculis subjecit nostris Clarissimus Franciscus *Cornazzanius* Comiti-Stabuli *Columnæ* a secretis, a quo adservatur.

VI.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VIII. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo supplicationes expressæ sunt; subtus*: I. A. MORI. 15.

DEI. GENITRICI. SEMPER. VIRGINI. MDCXII. *Memorati Sacelli Adspectus*. [4]

VII.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VIII. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo resurrectio Christi*. 14.

Similis postica. [4]

In hisce Numismatibus expressum est, ut quisque videt, Nobile Sacellum *Burghesium* primo Pauli anno erigi coeptum in Basilica Liberiana, & octavo perfectum. Ordine Corinthio exstructum, marmoribus, & metallis decoratur. Quæ in eo conspiciuntur, Clemen-

mentis VIII., & Pauli V. monumenta sculpsit *Silla* Mediolanensis. Ab Hieronymo *Raynaldo*, & a Pompejo *Targonio* [a] Romanis Architectis, princeps Altare elaboratum est, cujus columnæ quatuor striatæ, ordinis compositi, earumque stylobatæ sunt e Jaspide Orientali; Tympanum, Frons, Tæniæ, coronæ, capituli, bases, & columnarum striæ ex ære deaurato; Beatæ Virginis Imago lapidibus est ornata pretiosis. Sacellum Flaminius *Pontius* [b] Architectus delineavit, magnique nominis Pictores, quos inter emicant Cæsar *Arpinas*, Guidus *Renius*, & *Balleonius*, picturis decorarunt [c].

VIII.

26. PAVLVS. V. P. MAX. A. III. *Effigies capite nudato, cum pluviali, in quo Icon stans.*

ET. CONGV. ADGNOSCIT. PASTOREM. SVV̄. *Pontifex in throno sedens, pluviali indutus, & tiara redimitus, in medio duorum Cardinalium, viro ante eum genuflectenti benedicit; in exergo:* A. MDCVIII. [5]

XII. Ordinis *Capuccinorum* Fratres in *Congum* Paulus V. miserat, qui Populis in ea Regione degentibus Christi Fidem annunciarent; hi præter alios aquâ laverunt baptismatis Urbis *Boricci*, ab Lusitanis *Sanctissimi Salvatoris* dictæ, Regem, qui ad Pontificem Oratorem misit, obsequii, & obedientiæ testem. De hacce Legatione sic loquitur Paulus *Alaleona* [d]: *Die* III. *Januarii, pervenit Romam Marchio Antonius* Maurus, *Orator Regis* Congi *ad præstandam obedientiam S. D. N., & recognoscendam Sedem Apostolicam. Præfatus verò Orator ad Papam non venit, quia ægrotavit febri non sine periculo vitæ .... Nocte sexta Januarii circa horam septimam transivit ad meliorem vitam. Eadem die circa horam 22. fuit delatus ad Basilicam S. Mariæ Majoris, expensis Cameræ Apostolicæ*, ubi magnificum ei Urbanus VIII. erexit monumentum. Numisma, quod mors fieri prohibuit, factum exprimit.

IX.

PAVLVS. V. P. MAX. A. III. *Effigies, ut supra. In ima parte:* G. R.

APERIT. ET. CLAVDIT. *S. Petrus stans; subtus verò:* 1607. [5]

X.

a *Bzovius in Vita Pauli V. pag.* 15.
b *Rom. Mod. tom.* 2. *p. pag.* 102.
c *Philipp. Tit. pag.* 239.
d *In Diariis MSS. pluries laudatis.*

Google

X.

PAVLVS . V. PONT. MAX. AN. VIIII. *Effigies capite nudo*, *cum pluviali, in quo supplicans Populus est expressus*; *subtus*: I. A. MORI. 6.
IN . HONOREM . PRINCIPIS . APOST. *Frontis Basilicæ Vaticanæ adspectus*; *in exergo*: ET . PORTÆ . INFI . NŌ . PVALEBVT. [4].

XI.

PAVLVS . V. BVRGHESIVS . ROM. PONT. MAX. A. S. MDCVIII. PONT. III. *Caput nudum* : *In pluviali figura stans* ; *infra* : P. SANQVIRIC. 7.

TEM. D. PETRI . IN . VATICANO. *Frons Basilicæ Vaticanæ* ; *in exergo* : ET . PORTAE . INFERI . NON . PRAEVALEBVNT. [2]

Utrumque Numisma, quorum primum est cusum, alterum verò majori modulo fusum, Templi Divi Petri frontem a Paulo Pontifice constructam perhibet. In priori frons ornatur duabus Turribus, quæ in posteriori desiderantur. Paulus V. Basilicam hanc in novam formam redegit [a], nempe, quam ad æquilateralis Crucis formam Julius incœperat, oblongam fecit, Porticumque addidit operâ usus Caroli Maderni Architecti. *Bzovius* in ejus Vita [b] paucis hoc describit ædificium, inquit enim, Pontificem, ut Vaticanam Basilicam a Julio II. incœptam, a Gregorio XIII., & Sixto V. auctam absolveret, antiquam jam fatiscentem dejecisse, novam verò produxisse a Sacello Gregoriano ad portas Templi, itaut oblongæ, seu, ut ajunt, latinæ Crucis formam referret, amplum etiam Sacellum exstruxisse, in quo Canonici divinis officiis operam darent, demum Porticum ædificasse, & supra eam Peristylium, ubi populo bene precantur Pontifices [c].

XII.

PAVLVS . V. PONT. MAX. *Caput nudatum*, *cum pluviali arabici operis*. 5.

SACRA . B. PETRI . CONFESSIO . EXORNATA. *Confessio D. Petri in Vaticana Basilica*, *ut tunc erat efformata*. [4]

Aditum etiam Paulus V. [d] paravit ad Confessionem, sive Hypogæum, in quo SS. Petri, & Pauli corpora venerantur. Eum columnis

a *Rom. Modern. pag. 250.*
b *Post Platin. tom. 2. pag. 702.*
c *Videsis Bonannii Templ. Vatic. pag. 175.*
d *Bzovius ibid.*

Digitized by Google

e Jaspide circumdedit; murum, & pavimentum vario marmore ornavit [a]. Cancellis e deaurato ære Hypogæum clausit; & in duobus loculis lateralibus Apostolorum Iconas ejusdem metalli collocavit [b]. Demum cavit, ut lampas magnæ molis, & aliæ quatuor minoris arderent jugiter ante Confessionis ostium ad augendam in eum locum Religionem.

XIII.

4. PAVLVS. V. PONT. MAX. *Effigies Pontificis nudato capite, cum pluviali figuris ornato.*

DOMINE. I. M. A. T. VENIRE. *S. Petrus e navicula descendens; in exergo:* ROMA. [5]

In postica designatur, ut arbitror, translatio, & restauratio picturæ, qua Jottus S. Petri naviculam expressit; etenim Pontifex celeberrimi Pictoris musivum opus, cæsis diligentissime veteris Basilicæ muris [c], quibus hærebat, novo muro coagmentavit, qua parte erat Atrium. Illud postea Clemens X. anno MDCLXXIV., *Berninio* Architecto, supra Majorem Portam Frontis Basilicæ introrsum collocavit [d]. Siglæ, quæ posticæ sunt inscriptæ, sic sonant: *Domine, jube me ad te venire.*

XIV.

PAVLVS. V. PONT. MAX. A. VI. *Caput nudatum, in pluviali quædam effigies.*

Absque postica. [5]

XV.

29. PAVLVS. V. ROM. PONT. MAX. A. D. MDCX. PONT. VI. *Effigies cum pileolo, & palliolo.*

PVBLICAE. COMODITATI. *Frons lacus ad S. Petrum in Monte Aureo, seu Janiculo; in exergo:* MDCX. [3]

XVI.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. MAX. *Effigies cum pluviali, in quo Christus manum S. Petro porrigit.*

Eadem postica, & in medio frontis ædificii: PAVLVS. V. P. M. [4]

Elegantem hunc Lacum ædificarunt Carolus *Madernus* [e], & Dominicus *Castellius* [f], Paulo V. Pontifice, marmoribus e Nervæ Foro transf-

a *Bonann. Templ. Vat.*
b *Roma Moderna to.2.*
c *Bzovius ibid. pag.703.*
d *Rom. Moder. pag. 251.*
e *Nardini Rom. Ant. pag. 231.*
f *Alveri Roma in ogni Stat. p. 2. pag. 306.*

transvectis. Aqua deducta est e Sabatiis stagnis, ut epigraphe apposita muro ostendit; aquas addidit, & ductum instauravit Alexander VIII.; Innocentius XII. [a] labrum ampliavit, ornavitque Lunensi marmore, in quo Pauli solum Stemma sculpi jussit.

XVII.

PAVLVS. V. P. MAX. A. V. *Effigies, ut numero XIV.* 27.

PVBL. COMOD. RESTITVIT. *Ductuum aquæ Paulæ adspectus.* [5]

XVIII.

PAVLVS. V. ROM. PONT. MAX. A. IX. *Effigies, ut supra.* 28.

PVBLICAE. COMODITATI. RESTITVIT. A. MDCIX. *Eorumdem aquæductuum adspectus.* [4]

Aquæ, quas ad Labrum a se constructum Paulus V. derivavit, sunt *Alsietini* [b] Lacus, nunc *Lartheniani*, qui haud multum distat ab antiqua *Cere*, & *Sabatini*, sive *Barcenni*, vel *Anguillaræ*. Has aquas pœnè dispersas, Eques Johannes *Fontana* collegit [c], veteresque aquæductus per xxxv. milliaria restauravit, in comodum Regionis Transtyberinæ, & Urbis Leoninæ. Ad hoc opus aureorum cccc. millia sunt insumta.

XIX.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VI. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo vir stans; subtus;* G. R. 22.

ET. EXALTAVIT. HVMILES. *Duo pueri in aere sustinentes has litteras:* HVMILITAS. *e superiori parte Corona.* [5]

S. Caroli Borromei Canonizatio per Paulum V. facta hic designatur; nam in Insignibus Borromeæ Gentis *Humilitas* est adpicta.

XX.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VII. *Effigies, ut supra.* 21.

INTER. SANCTOS. REFERT. CARD. BORROMEVM. AN. MDCX. *Pontifex in throno sedens vestibus indutus Pontificiis, Cardinalibus mitratis stipatus, adstante viro, qui Orator fortasse erat, decretum Canonizationis legit in libro a Clericis genuflectentibus sustentato; superne Sanctus Spiritus Pontificem irradians.* [5]

Antequam ad Canonizationem veniret, in tribus Consistoriis, III. Kal. Septem., ac XVIII., & XII. Kal. Octobres anni MDCX. acta examinavit [d], instante Julio *Roma*, Advocato Consistoriali pro Hispa-

 niæ

a *Roma Mod. pag. 291. Vide etiam infra suo loco.*
b *Frontin. de Aquæduct. Nardin. Rom. ant. lib. VIII. cap. 4.*
c *Baglioni Vite de' Pitt. pag. 96.*
d *Alaleona in Diar.*

niæ Rege, aliisque Principibus. Kalendis [a] igitur Novembribus anni ejusdem ad solemne actum ventum est in Basilica Vaticana magnâ populi frequentia.

XXI.

23. SEDENTE . PAVLO . V. P. M. ET . FAVENTE . AN. MDCXII. *Caput nudum, cum pluviali, in quo duæ Icones.*

DEI . ÆDIFICATIO . EST. *Frons, & Tholus Ecclesiæ S. Caroli in via Cursis; subtus:* S. CAROLVS. *E latere Sanctus Carolus inter nubes.* [4]

Quum Insubres [b] a Sixto IV. anno MCDLXXI. parvam Ecclesiam *Sancti Nicolai de Tofo* dictam, obtinuissent, hanc restauratam *S. Ambrosio* dicarunt; Postea [c] sub Paulo V. anno MDCX. multis Legatis ditati, magnificè aliam e fundamentis erexerunt, atque Deo in honorem SS. *Ambrosii*, & *Caroli* consecrarunt. Episcopus Alexandrinus IV. Kal. Febr. an. MDCXII. primum lapidem posuit. Honorio & Martino *de Longis* Architectis, tota fere Basilica ædificata est; Petrus Cortonensis Testudinis elegantissimæ, & plastici operis ornamenti Artifex fuit.

XXII.

24. 25. D. O. M. PAVLO . V. PONT. MAX. FAVENTE . AD . AMPLIFICANDAM . AEDEM . S. CAROLI . NOMINE . ROMAE . PRIMO . DICATAM . LAPIDEM . FVNDAMENTALEM . PER . ARCHIPRESBYTERVM . S. PETRI . CLERICI . REGVLARES. S. PAVLI . PONI . CVRARVNT . ANNO . MDCXII.

TALES . AMBIO . FVNDATORES. *Templi frons cum tribus Portis, in quarum media S. Caroli Borromei, in reliquis S. Pauli, & S. Blasii Icones: In summitate Crux: E lateribus Aquila, & Draco gentis Burghesiæ stemma, cum figlis* A. & Ω. *In inferiori parte:* HVMILITAS. *cum corona; & e lateribus:* FVNDAMENTVM. [3]

Visitur in hoc Numismate Frons Templi *S. Caroli ad Catinarios* [d] Clericorum Regularium SS. Pauli, & Barnabæ. Hi Clerici, qui Barnabitæ dicuntur, a Gregorio XIII. Ecclesiam S. Blasii de Annulo obtinuerunt: eam tamen Theatinis concessere, qui ampliorem S. Andreæ Basilicam ædificarent. Dum ad novam Ecclesiam in honorem Sancti Caroli excitandam studia conferrent Barnabitæ, eosque angustia

a *Giussan. in Vit. S. Carol. Borr.*
b *Grattarol. de Ven. S. Caroli pag. 32.*
c *Roma Moderna pag. 214.*
d *Donat. lib. 4. cap. 12.*

Digitized by Google

ſtia ſitus perplexos redderet, aream ipſis ampliſſimam paravit obortum repente incendium, quo pleræque circa eorum Cœnobium ædiculæ abſumtæ ſunt; ad hæc ingens ipſis acceſſio contigit ex hæreditate Jo: Baptiſtæ Cardinalis *Lenti*. Itaque magnificentiſſimum Templum, ædeſque ampliſſimas ædificarunt, Roſato de Roſatis Architecto; Frons verò celebris *Soriæ* opus eſt. Primum lapidem Cardinalis Conſentinus Archipresbyter S. Petri poſuit duodecimo Kal. Martias [a] anni MDCXII. Templum picturis ornarunt *Lanfrancus*, & Dominicus *Zampierius*, vulgò *Dominichinus* adpellatus.

XXIII.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. A. D. MDCXIII. P. IX. *Caput nudatum cum pluviali, in quo Icon ſtans; ſubtus:* PAVL. SANQVIR. 31.

PORTV. BVRGHESIO. A. FVNDAMEN. EXTRVCTO. *Portus cum munimentis adſpectus; in area ſuperna:* COL. IVL. FANESTRIS. [2]

XXIV.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. ROM. PONT. MAX. AN. IX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 32.

COLONIA. IVLIA. FANESTRIS. *Ejuſdem Portus adſpectus; in area ſuperiori:* PORTVS. BVRGHESIVS. [2]

Efflagitantibus Faneſtribus, Portum in ſuo litore ædificari inſtar aliorum, qui in finitimis Urbibus erant, quique foſſæ potius dicendi ſunt ad minores naves excipiendas, Paulus annuit, & ex publico ærario ſummam non minimam civitati commodavit, operique præfecit Hieronymum Raynaldum; ſed paucos poſt annos arenarum copiâ, quas mare, & limoſus torrens *Arzilla* intulerant obſtruſus, & repletus eſt. Opus denuo aggreſſi ſunt Faneſtres Clemente XII. Pontifice Maximo, derivatis ex Metauro aquis, ut earum impetu aſſiduo egeſtis arenis Portus navibus aptus foret [b].

XXV.

PAVLVS. V. P. MAX. A. IV. *Caput nudatum; in pluviali Sancta Franciſca, & Angelus ſunt expreſſi; infra verò* G. F. 19.

ET. TV. FRANCISCA. S. VOCABERIS. *Pontifex in Throno ſedens, Cardinalibus Pontificalibus veſtibus indutis ſtipatus, pronunciat*

a *Roma Moder. pag.* 338.
b *Scotti Itin. d' Ital.*

Eti Angeli fuerunt exoneratæ Bombardæ, & Papa in Basilica Lateranensi, ad quam iverat, fecit cantare TE DEUM.

XLIII.

3°. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. AN. XII. *Caput detectum, cum pluviali, in quo figura stans; infra*: GEOR. R.

SALVA. NOS. DOMINE. *Navis vento, & undis agitata; in ea Christus dormiens, quem Apostoli expergefaciunt.* [3]

Maximo modulo cusum est Numisma: *Bonannius* putat eo symbolo Catholicam Religionem in Gallia periclitantem significari; sed quum in antica inscriptus adsit annus XII., verosimilius est, bellum inter Imperatorem, & Turcas indicari, ultimis enim hujus Pontificis annis grave, & periculosum Imperatori fuit [a].

XLIV.

37. CLEMENS. VIII. PONT. MAXIMVS. A. XII. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo duæ leones stantes. Infra*: GEOR. RAY.

DA. QVOD. IVBES. *Pontifex genibus flexis, pluviali indutus, & ad pedes habens tiaram: Oves multæ eum sequuntur: Christus, quem Pontifex orat, speciem jubentis præfert; in exergo*: MDCIII. [4]

Pontifex præcepti memor, ut suas oves pasceret, seseque imparem tanto oneri agnoscens, Divinam opem, & gratiam verbis implorat S. Augustini; cujus doctrinæ fuit studiosissimus, ut notum est ex iis, quæ Romæ ipso Pontifice acta sunt adversus novam de Divinis Auxiliis doctrinam [b].

XLV.

41. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Caput detectum, cum pluviali arabici operis.*

PORTV. CENTVMCELLARVM. INSTAVRATO. A. MDCIV. *Portus Centumcellensis adspectus.* [5]

Hoc anno MDCIV. Pontifex instauravit magnæ molis murum, quem ad ostium Portus Centumcellensis instar Insulæ Trajanus ædificaverat ad maris impetus arcendos, ibique duos pharos erexit [c], quorum unus adhuc exstat, alterius verò tantùm rudera supersunt.

XLVI.

42. CLEMENS. VIII. PONT. MAX. A. XII. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo leon stans exprimitur.*

VELINO. EMISSO. *Torrens ab alto decidens, & Pons.* [4]

Su-

---

a *Bruson. Hist. d' Ital.* b *Serry Histor. Cong. de Auxil.*

c *Rutil. in Itinerar. v. 237. Scott. Itiner. d' Ital.*

Digitized by Google

Supra memoravimus, Pauli III. juſſu Velini alveum effoſſum, ſed paulo poſt obſtructum. Clemens verò flumen novo alveo deduxit CXL. palmos lato, XXV. profundo, Marchione Johanne Baptiſta *Caſtellio* [a] Architecto: & ad redundantes aquas coercendas Pontem exſtruxit, qui in Numo viſitur, Architecto Equite *Fontana*. Ad LXXV. aureorum millia Pontifex in id opus inſumſit, quod Ferrariâ redux inviſit [b], perluſtravitque.

XLVII.

CLEMENS. VIII. PONT. MAXIMVS. A. XIII. *Caput nudum*: *In pluviali duæ figuræ ſtantes*. 43.

Frons Ædium Quadrumviralium in Capitolio; *in ſuperiori area*: S. P. Q. R.; *in inferiori*: MDCIII. [1]

Duo Palatia, quæ ad latera Capitolinæ areæ ſita ſunt, ædificarunt Clemens VIII., Innocentius X., & Alexander VII. Ichnographiam, & ornatus elegantiſſimos Bonarrotius delineaverat, ejuſque ſpecimine uſi ſunt Architecti, qui in iis ædificiis navarunt operam, nempe Jacobus Ducius, Jacobus Raynaldus, Laurentius Berninus, aliique. Primum in fundamentis lapidem poſuit ipſe Clemens, & in eo epigraphem incidit, quam Bonannius [c] refert.

XLVIII.

CLEMENS. VIII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio*. 44.

Adſpectus Lacuum, & Salientium Villæ Tuſculanæ, quam dicunt Belvedere. [4]

Hoc rarum Numiſma fuſum eſt fortaſſe, quum, vivo adhuc Clemente, a Petro Cardinale *Aldobrandino* jacta ſunt fundamenta Villæ, quam dicunt *Belvedere*. Præclaram adducimus Inſcriptionem a nemine antea editam, quæ legitur in Coronide Fontium ante Villæ proſpectum.

PETRVS. CARD. ALDOBRANDINVS. S. R. E. CAMER.
CLEMENTIS. VIII. PONT. MAX. FRATRIS. F.
AD. ALLEVANDAM. OPPORTVNO. SECESSV
VRBANARVM. CVRARVM. MOLEM.
FERRARIA. IN. POTESTATEM. SEDIS. APOSTOLICÆ. REDACTA.

a *Videſis Itinerarium Italiæ Scott.*
b *Ciaccon. col. 161.*
c *Num. Pont. Tom. 2. pag. 498.*

Digitized by Google

PACE . CHRISTIANÆ . REIPVBLICÆ . RESTITVTA
AMENITATEM . LOCI . VILLAM .
ET . MAGNIFICIS . EXTRVCTIS . OPERIBVS . AQVA
ETIAM . CORRIVATA . ET . AB . ALVEO . DVCTA
CAETERISQVE . ORNAMENTIS . ACCVRATISSIMO . CVLTV
DECORAVIT .

Hujus Schema æri incidit, & Ludovico XIV. Galliæ Regi dicavit Dominicus *Barriera*. In præſenti Numiſmate exprimuntur ſolummodo Lacus Cyclopis, & Apollinis, aliique e conſpectu ædium, quas picturis, & Statuis miri operis idem Cardinalis ornavit [a].

XLIX.

TV . ES . PETRVS . ET . SVP . HANC . PETR . ÆDIFICABO . ECCL . MEAM . *Apoſtolorum Principum ſtatuæ ſuper ſtylobates, in quibus Gentis* Priulæ *ſtemma* .

IN . MEMOR . CASTELLANAM . IAM . VETVSTATE . COLLABENTEM . LAVRENTII . PRIVLI . VEN . PATHR . RESTAVR . SVI . PATH̄VS . ANN . II . CLEMENTE . VIII . P . M . PASC . CICONIA . D . MDXCIIII . [3]

Hoc fuſo Numiſmate memoria ſervatur fortaſſe Templi Sanctæ *M. Caſtellanæ* a Cardinali Laurentio *Priulo* reſtituti: qui Idibus Juniis anni MDXCVI. a Clemente VIII. creatus eſt Cardinalis [b].

Ale-

a *Adeundus eſt liber, cui titulus;* Il Mercurio Errante.
b *Ciaccon. Vita Cardinal. in Clemente VIII.*



ALexander Medices, Cardinalis Florentinus nuncupatus, Kalendis April. anni MDCV. electus Pontifex, VII. Kal. Majas anni ejusdem fato functus est: ejus ossa in Basilica Vaticana nobili sepulchro sunt condita, hoc titulo.

LEO XI.

I.

LEO. XI. PONT. MAX. ANNO. I. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio*; *infra*: GEOR. RA. I. 2.
DE. FORTI. DVLCEDO. MDCV. *Leonis cadaver, in cujus ore favum mellis*. [4]
Symbolum, & epigraphe ex Samsonis historia sumta sunt [a], & Leoni XI. aptata, sicut enim Samson in occisi Leonis ore favum repererat, & ex eo mel fluere viderat, ita a Leone Pontifice quidquid optimum foret sperabat Ecclesia; & sane is Pontificatum assumens,

a Judic. cap. XIV. ver. 14.

Digitized by Google

ſibi conſtituit [a], Conſanguineos minime exaltare, neque Succeſſorem deligere, vel Cardinales creare, qui Pontificatu indigni haberentur; Omnia demum præſtare Optimo digna Pontifice.

II.

4. LEO. XI. PONTIFEX. OPT. MAX. ANNO. I. *Effigies capite nudato, cum palliolo.*

SIC. FLORVI. *Roſarum florentium faſciculus in laureâ coronâ: In medio Epigraphe tæniis inſculpta.* [4]

III.

3. LEO. XI. PONTIFEX. OPT. MAX. ANNO. I. *Effigies, ut numero II.*

SIC. FLORVI. *Tres Roſæ ſimul colligatæ.* [4]

In utroque hoc Numiſmate Cuſor expreſſa voluit Leonis ante Pontificatum munia, quibus benè functis optimum ſperabant omnes futurum Principem. Ipſo flore juventæ Epiſcopus *Piſtorienſis*, inde Archiepiſcopus Florentinus electus fuit [b]: Poſtmodum eum anno MDLXXXIII. Gregorius XIII. Cardinalem creavit; Clemens VIII. in Galliam legavit ad tractandam pacem inter Galliæ Regem Henricum IV., & Philippum II. Hiſpaniæ, quæ ſuis officiis ſequuta eſt. Meritò igitur Pontificatu ſupremo dignus habitus eſt a Sacro Senatu.

Ad

a *Stringa in Vita poſt Plat. to. 2. pag. 692.*
b *Stringa ubi ſupra.*



AD xvii. Kal. Junias anni MDCV. Cardinalis Camillus *Burghesius* electus est Pontifex, & ad iv. Kal. easdem festum Pentecostes diem fuit coronatus. Mortuus ix. Kal. Februarias anni MDCXXI., in *Burghesiano* Sacello ad S. Mariam Majorem conditus est, cum hoc epitaphio:

PAVLVS V. PONT. MAX.
MORTIS MEMOR
VIVENS SIBI POSVIT
SCIPIO CARDINALIS BVRGHESIVS FVNVS DVCI
IVSTA SOLVI CORPVS INFERRI CVRAVIT.

PAVLVS . V. PONT. MAX. PATRIA . ROMANVS . EX . BVRGHESIA . FAMILIA
CVI . PERPETVA . VITÆ . INNOCENTIA . ET . SPECTATA . VIRTVS
AD . INSIGNES . QVOSQVE . HONORES . GRADVM . FECIT .
BONONIÆ . PROLEGATO . PRÆFVIT . MOX . A . GREGORIO . XIV.
CAVSARVM . CAM. APOST. AVDITOR . CREATVS
ET . A . CLEMENTE . VIII. AD . PHILIPPVM . II.
HISPANIARVM . REGEM . DE . GRAVISSIMIS . REBVS . LEGATVS

IN

Digitized by Google

IN . AMPLISSIMVM . ORDINEM . COOPTATVS
INTER . GENERALES . INQVISITORES . ADSCRIPTVS
ET.VRBIS.VICARIVS.ELECTVS.CVM.OMNES.TANTORVM.MVNERVM.PARTES
SVMMA . CVM . LAVDE . OBIVISSET
AD . SVMMVM . PONTIFICATVM . LEONE . XI. E . VIVIS . EREPTO
FLORENS.ADHVC.ÆTATE. INCREDIBILI. PATRVM. CONSENSV. EVECTVS.EST
CVMQVE . VIGILI . SOLLICITVDINI . SECVRITATEM . ANNONÆ . COPIAM
IVSTITIAM . ET . QVIETEM . POPVLIS . ECCLESIASTICÆ . DITIONIS
CONCORDIAM . VERO . ET . PACEM . VNIVERSO . CHRISTIANO . ORBI
SEMPER . PRÆSTITISSET
RELIGIONEM . SVMMA . PIETATE . COLVISSET
VRBEM . MAGNIFICENTISSIMIS . ÆDIFICIIS. ORNASSET . ATQVE . EGREGIIS
OMNIVM. VIRTVTVM. OFFICIIS. ADITVM. SIBI. AD. IMMORTALITATEM
APERVISSET
E . MORTALIBVS. RAPTVS. GRAVE. CVNCTIS. SVI. DESIDERIVM . RELIQVIT
SEDIT . IN . PONTIFICATV . ANNOS . XV. MENSES . VIII. DIES . XIII.
OBIIT . ANNO . SAL. MDCXXI. DIE . XXII. IANVARII .

I.

37. PAVLVS . V. BVRGHESIVS . RO. P. MAX. *Effigies capite nudo, cum pluviali arabici operis.*

CVIVS . REGNI . NON . ERIT . FINIS . *Burghesiæ Gentis stemma, Aquila scilicet supernè, & infernè Draco: Super scuti claves decussatæ, cum Tiara.* [4]

Gens Burghesia originem Senis habuit, ubi adhuc ex eadem Familia Nobiles aliquot vigent. Viros Reipublicæ dedit literis, & armis potentes. Pater Pontificis *Marcus Antonius*, Advocatorum Consistorialium Romæ multos annos Decanus, Flaminiam *Astalliam* uxorem duxit, e qua nostrum *Camillum* habuit xv. Kal. Octobres anni MDLII.

II.

1. 2. PAVLVS . V. BVRGHESIVS . RO. P. MAX. *Caput nudatum Pontificis, cum pluviali, in quo præter alias figuras, ara etiam expressa est.*

VBI . VVLT. SPIRAT. *Spiritus Sanctus radios emittens.* [4]

Ad hujus notitiam Numismatis, Oldoinum [a] præstat audire, de Pauli

a *Oldoin. post Ciaccon. pag. 376.*

Pauli electione loquentem: *Camillum* Burghesium *in Pauli Sacellum repentè deductum Cardinales omnes, divino potius, quàm humano suffragio, venerandum, & colendum, ut Christi vices in Sede Ecclesiæ suprema fulgentem existimasse*.

III.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. ROMANVS. PONT. MAX. A. S. MDCV. PONT. I. *Effigies capite nudo, cum pluviali arabici operis; subtus*: AMB. B.

BEATISS. MARIÆ. SEMP. VIRGIN. SACELLVM. A. FVNDAMENTIS. EREXIT. *Sacellum Burghesium apud S. Mariam Majorem*. [2]

A Marchione *Lucatellio*, apud quem conspexi, fusum hoc, & deauratum maximi moduli Numisma adservatur.

IV.

PAVLVS. V. P. MAX. A. IV. *Caput nudatum, in pluviali duæ Icones stantes; subtus*: G. F.

COMPLEAT. GLORIA. MARIÆ. DOMVM. ISTAM. *Sacelli Burghesii imperfecti adspectus*. [5]

V.

PAVLVS. V. PONT. MAX. A. II. *Caput nudatum, cum arabici operis pluviali; subtus*: G. A.

COMPLEAT. GLORIA. MARIÆ. DOMVM. ISTAM. *Idem Adspectus imperfectus*. [5]

Hoc Numisma oculis subjecit nostris Clarissimus Franciscus *Cornazzanius* Comiti Stabuli *Columnæ* a secretis, a quo adservatur.

VI.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VIII. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo supplicationes expressæ sunt; subtus*: I. A. MORI. 15.

DEI. GENITRICI. SEMPER. VIRGINI. MDCXII. *Memorati Sacelli Adspectus*. [4]

VII.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VIII. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo resurrectio Christi*. 14.

Similis postica. [4]

In hisce Numismatibus expressum est, ut quisque videt, Nobile Sacellum *Burghesium* primo Pauli anno erigi cœptum in Basilica Liberiana, & octavo perfectum. Ordine Corinthio exstructum, marmoribus, & metallis decoratur. Quæ in eo conspiciuntur, Clemen-

Digitized by Google

mentis VIII., & Pauli V. monumenta sculpsit *Silla* Mediolanensis. Ab Hieronymo *Raynaldo*, & a Pompejo *Targonio*[a] Romanis Architectis, princeps Altare elaboratum est, cujus columnæ quatuor striatæ, ordinis compositi, earumque stylobatæ sunt e Jaspide Orientali; Tympanum, Frons, Tæniæ, coronæ, capituli, bases, & columnarum striæ ex ære deaurato; Beatæ Virginis Imago lapidibus est ornata pretiosis. Sacellum Flaminius *Pontius*[b] Architectus delineavit, magnique nominis Pictores, quos inter emicant Cæsar *Arpinas*, Guidus *Renius*, & *Balleonius*, picturis decorarunt[c].

VIII.

26. PAVLVS. V. P. MAX. A. III. *Effigies capite nudato, cum pluviali, in quo Icon stans.*

ET. CONGV. ADGNOSCIT. PASTOREM. SVV̄. *Pontifex in throno sedens, pluviali indutus, & tiara redimitus, in medio duorum Cardinalium, viro ante eum genuflectenti benedicit; in exergo:* A. MDCVIII. [5]

XII. Ordinis *Capuccinorum* Fratres in *Congum* Paulus V. miserat, qui Populis in ea Regione degentibus Christi Fidem annunciarent; hi præter alios aquâ laverunt baptismatis Urbis *Boricci*, ab Lusitanis *Sanctissimi Salvatoris* dictæ, Regem, qui ad Pontificem Oratorem misit, obsequii, & obedientiæ testem. De hacce Legatione sic loquitur Paulus *Alaleona*[d]: *Die* III. *Januarii, pervenit Romam Marchio Antonius* Maurus, *Orator Regis* Congi *ad præstandam obedientiam S. D. N., & recognoscendam Sedem Apostolicam. Præfatus verò Orator ad Papam non venit, quia ægrotavit febri non sine periculo vitæ .... Nocte sexta Januarii circa horam septimam transivit ad meliorem vitam. Eadem die circa horam 22. fuit delatus ad Basilicam S. Mariæ Majoris, expensis Cameræ Apostolicæ*, ubi magnificum ei Urbanus VIII. erexit monumentum. Numisma, quod mors fieri prohibuit, factum exprimit.

IX.

PAVLVS. V. P. MAX. A. III. *Effigies, ut supra. In ima parte:* G. R.

APERIT. ET. CLAVDIT. *S. Petrus stans; subtus verò:* 1607. [5]

X.

a *Bzovius in Vita Pauli V. pag.* 15.
b *Rom. Mod. tom.* 2. *p. pag.* 102.
c *Philipp. Tit. pag.* 139.
d *In Diariis MSS. pluries laudatis.*

Digitized by Google

X.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VIIII. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo supplicans Populus est expressus; subtus:* I. A. MORI. 6.
IN. HONOREM. PRINCIPIS. APOST. *Frontis Basilicæ Vaticanæ adspectus; in exergo:* ET. PORTÆ. INFĪ. NŌ. P̄VALEBV̄T. [4].

XI.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. ROM. PONT. MAX. A. S. MDCVIII. PONT. III. *Caput nudum: In pluviali figura stans; infra:* P. SANQVIRIC. 7.

TEM. D. PETRI. IN. VATICANO. *Frons Basilicæ Vaticanæ; in exergo:* ET. PORTAE. INFERI. NON. PRAEVALEBVNT. [2]

Utrumque Numifma, quorum primum eft cufum, alterum verò majori modulo fufum, Templi Divi Petri frontem a Paulo Pontifice conftructam perhibet. In priori frons ornatur duabus Turribus, quæ in pofteriori defiderantur. Paulus V. Bafilicam hanc in novam formam redegit [a], nempe, quam ad æquilateralis Crucis formam Julius incœperat, oblongam fecit, Porticumque addidit operâ ufus Caroli Maderni Architecti. *Bzovius* in ejus Vita [b] paucis hoc defcribit ædificium, inquit enim, Pontificem, ut Vaticanam Bafilicam a Julio II. incœptam, a Gregorio XIII., & Sixto V. auctam abfolveret, antiquam jam fatifcentem dejeciffe, novam verò produxiffe a Sacello Gregoriano ad portas Templi, itaut oblongæ, feu, ut ajunt, latinæ Crucis formam referret, amplum etiam Sacellum exftruxiffe, in quo Canonici divinis officiis operam darent, demum Porticum ædificaffe, & fupra eam Periftylium, ubi populo bene precantur Pontifices [c].

XII.

PAVLVS. V. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali arabici operis.* 5.

SACRA. B. PETRI. CONFESSIO. EXORNATA. *Confeffo D. Petri in Vaticana Bafilica, ut tunc erat efformata.* [4]

Aditum etiam Paulus V. [d] paravit ad Confeffionem, five Hypogæum, in quo SS. Petri, & Pauli corpora venerantur. Eum columnis

a *Rom. Modern. pag. 250.*
b *Poft Platin. tom. 2. pag. 702.*
c *Videfis Bonannii Templ. Vatic. pag. 175.*
d *Bzovius ibid.*

e Jaspide circumdedit; murum, & pavimentum vario marmore ornavit [a]. Cancellis e deaurato ære Hypogæum clausit; & in duobus loculis lateralibus Apostolorum Iconas ejusdem metalli collocavit [b]. Demum cavit, ut lampas magnæ molis, & aliæ quatuor minoris arderent jugiter ante Confessionis ostium ad augendam in eum locum Religionem.

XIII.

4. PAVLVS. V. PONT. MAX. *Effigies Pontificis nudato capite, cum pluviali figuris ornato.*

DOMINE. I. M. A. T. VENIRE. *S. Petrus e navicula descendens; in exergo*: ROMA. [5]

In postica designatur, ut arbitror, translatio, & restauratio picturæ, qua Jottus S. Petri naviculam expressit; etenim Pontifex celeberrimi Pictoris musivum opus, cæsis diligentissime veteris Basilicæ muris [c], quibus hærebat, novo muro coagmentavit, qua parte erat Atrium. Illud postea Clemens X. anno MDCLXXIV., *Berninio* Architecto, supra Majorem Portam Frontis Basilicæ introrsum collocavit [d]. Siglæ, quæ posticæ sunt inscriptæ, sic sonant: *Domine, jube me ad te venire.*

XIV.

PAVLVS. V. PONT. MAX. A. VI. *Caput nudatum, in pluviali quædam effigies.*

Absque postica. [5]

XV.

29. PAVLVS. V. ROM. PONT. MAX. A. D. MDCX. PONT. VI. *Effigies cum pileolo, & palliolo.*

PVBLICAE. COMODITATI. *Frons lacus ad S. Petrum in Monte Aureo, seu Janiculo; in exergo*: MDCX. [3]

XVI.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. MAX. *Effigies cum pluviali, in quo Christus manum S. Petro porrigit.*

Eadem postica, & in medio frontis ædificii: PAVLVS. V. P. M. [4]

Elegantem hunc Lacum ædificarunt Carolus *Madernus* [e], & Dominicus *Castellius* [f], Paulo V. Pontifice, marmoribus e Nervæ Foro transf-

a Bonann. Templ. Vat.
b Roma Moderna to. 2.
c Bzovius ibid. pag. 703.
d Rom. Moder. pag. 251.
e Nardini Rom. Ant. pag. 231.
f Alveri Roma in ogni Stat. p. 2. pag. 306.

Digitized by Google

transvectis. Aqua deducta est e Sabatiis stagnis, ut epigraphe apposita muro ostendit; aquas addidit, & ductum instauravit Alexander VIII.; Innocentius XII. [a] labrum ampliavit, ornavitque Lunensi marmore, in quo Pauli solum Stemma sculpi jussit.

XVII.

PAVLVS. V. P. MAX. A. V. *Effigies, ut numero XIV.* 27.

PVBL. COMOD. RESTITVIT. *Ductuum aquæ Paulæ adspectus.* [5]

XVIII.

PAVLVS. V. ROM. PONT. MAX. A. IX. *Effigies, ut supra.* 28.

PVBLICAE. COMODITATI. RESTITVIT. A. MDCIX. *Eorumdem aquæductuum adspectus.* [4]

Aquæ, quas ad Labrum a se constructum Paulus V. derivavit, sunt *Alsietini* [b] Lacus, nunc *Lartheniani*, qui haud multum distat ab antiqua *Cere*, & *Sabatini*, sive *Barcenni*, vel *Anguillaræ*. Has aquas pœnè dispersas, Eques Johannes *Fontana* collegit [c], veteresque aquæductus per xxxv. milliaria restauravit, in comodum Regionis Transtyberinæ, & Urbis Leoninæ. Ad hoc opus aureorum cccc. millia sunt insumta.

XIX.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VI. *Effigies capite nudo, cum pluviali, in quo vir stans; subtus;* G. R. 22.

ET. EXALTAVIT. HVMILES. *Duo pueri in aere sustinentes has litteras:* HVMILITAS. *e superiori parte Corona.* [5]

S. Caroli Borromei Canonizatio per Paulum V. facta hic designatur; nam in Insignibus Borromeæ Gentis *Humilitas* est adpicta.

XX.

PAVLVS. V. PONT. MAX. AN. VII. *Effigies, ut supra.* 21.

INTER. SANCTOS. REFERT. CARD. BORROMEVM. AN. MDCX. *Pontifex in throno sedens vestibus indutus Pontificiis, Cardinalibus mitratis stipatus, adstante viro, qui Orator fortasse erat, decretum Canonizationis legit in libro a Clericis genuflectentibus sustentato; superne Sanctus Spiritus Pontificem irradians.* [5]

Antequam ad Canonizationem veniret, in tribus Consistoriis, III. Kal. Septem., ac XVIII., & XII. Kal. Octobres anni MDCX. acta examinavit [d], instante Julio *Roma*, Advocato Consistoriali pro Hispa-

 niæ

a *Roma Med. pag. 291. Vide etiam infra suo loco.*
b *Frontin. de Aquæduct. Nardin. Rom. ant. lib. VIII. cap. 4.*
c *Baglioni Vite de' Pitt. pag. 96.*
d *Alaleona in Diar.*

Digitized by Google

niæ Rege, aliiſque Principibus. Kalendis [a] igitur Novembribus anni ejuſdem ad ſolemne actum ventum eſt in Baſilica Vaticana magnâ populi frequentia.

XXI.

23. SEDENTE . PAVLO . V. P. M. ET . FAVENTE . AN. MDCXII. *Caput nudum, cum pluviali, in quo duæ Icones.*

DEI . ÆDIFICATIO . EST. *Frons, & Tholus Eccleſiæ S. Caroli in via Curſus; ſubtus:* S. CAROLVS. *E latere Sanctus Carolus inter nubes.* [4]

Quum Inſubres [b] a Sixto IV. anno MCDLXXI. parvam Eccleſiam *Sancti Nicolai de Toſo* dictam, obtinuiſſent, hanc reſtauratam *S. Ambroſio* dicarunt; Poſtea [c] ſub Paulo V. anno MDCX. multis Legatis ditati, magnificè aliam e fundamentis erexerunt, atque Deo in honorem SS. *Ambroſii*, & *Caroli* conſecrarunt. Epiſcopus Alexandrinus IV. Kal. Febr. an. MDCXII. primum lapidem poſuit. Honorio & Martino *de Longis* Architectis, tota fere Baſilica ædificata eſt; Petrus Cortonenſis Teſtudinis elegantiſſimæ, & plaſtici operis ornamenti Artifex fuit.

XXII.

24. 25. D. O. M. PAVLO . V. PONT. MAX. FAVENTE . AD . AMPLIFICANDAM . AEDEM . S. CAROLI . NOMINE . ROMAE . PRIMO . DICATAM . LAPIDEM . FVNDAMENTALEM . PER . ARCHIPRESBYTERVM . S. PETRI . CLERICI . REGVLARES . S. PAVLI . PONI . CVRARVNT . ANNO . MDCXII.

TALES . AMBIO . FVNDATORES. *Templi frons cum tribus Portis, in quarum media S. Caroli Borromei, in reliquis S. Pauli, & S. Blaſii Icones: In ſummitate Crux: E lateribus Aquila, & Draco gentis Burgheſiæ ſtemma, cum ſiglis* A. & Ω. *In inferiori parte:* HVMILITAS. *cum corona; & e lateribus:* FVNDAMENTVM. [3]

Viſitur in hoc Numiſmate Frons Templi *S. Caroli ad Catinarios* [d] Clericorum Regularium SS. Pauli, & Barnabæ. Hi Clerici, qui Barnabitæ dicuntur, a Gregorio XIII. Eccleſiam S. Blaſii de Annulo obtinuerunt: eam tamen Theatinis conceſſere, qui ampliorem S. Andreæ Baſilicam ædificarent. Dum ad novam Eccleſiam in honorem Sancti Caroli excitandam ſtudia conferrent Barnabitæ, eoſque anguſtia

a *Giuſſan. in Vit. S. Carol. Borr.*
b *Grattarol. de Ven. S. Caroli pag. 32.*
c *Roma Moderna pag. 214.*
d *Donat. lib. 4. cap. 12.*

Digitized by Google

ſtia ſitus perplexos redderet, aream ipſis ampliſſimam paravit obortum repente incendium, quo pleræque circa eorum Cœnobium ædiculæ abſumtæ ſunt; ad hæc ingens ipſis acceſſio contigit ex hæreditate Jo: Baptiſtæ Cardinalis *Lenti*. Itaque magnificentiſſimum Templum, ædeſque ampliſſimas ædificarunt, Roſato de Roſatis Architecto; Frons verò celebris *Soriæ* opus eſt. Primum lapidem Cardinalis Conſentinus Archipresbyter S. Petri poſuit duodecimo Kal. Martias [a] anni MDCXII. Templum picturis ornarunt *Lanfrancus*, & Dominicus *Zampierius*, vulgò *Dominichinus* adpellatus.

XXIII.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. A. D. MDCXIII. P. IX. *Caput nudatum cum pluviali, in quo Icon ſtans; ſubtus:* PAVL. SANQVIR. 31.

PORTV. BVRGHESIO. A. FVNDAMEN. EXTRVCTO. *Portus cum munimentis adſpectus; in area ſuperna:* COL. IVL. FANESTRIS. [2]

XXIV.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. ROM. PONT. MAX. AN. IX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 32.

COLONIA. IVLIA. FANESTRIS. *Ejuſdem Portus adſpectus; in area ſuperiori:* PORTVS. BVRGHESIVS. [2]

Efflagitantibus Faneſtribus, Portum in ſuo litore ædificari inſtar aliorum, qui in finitimis Urbibus erant, quique foſſæ potius dicendi ſunt ad minores naves excipiendas, Paulus annuit, & ex publico ærario ſummam non minimam civitati commodavit, operique præfecit Hieronymum Raynaldum; ſed paucos poſt annos arenarum copiâ, quas mare, & limoſus torrens *Arzilla* intulerant obſtruſus, & repletus eſt. Opus denuo aggreſſi ſunt Faneſtres Clemente XII. Pontifice Maximo, derivatis ex Metauro aquis, ut earum impetu aſſiduo egeſtis arenis Portus navibus aptus foret [b].

XXV.

PAVLVS. V. P. MAX. A. IV. *Caput nudatum; in pluviali Sancta Franciſca, & Angelus ſunt expreſſi; infra verò* G. F. 19.

ET. TV. FRANCISCA. S. VOCABERIS. *Pontifex in Throno ſedens, Cardinalibus Pontificalibus veſtibus indutis ſtipatus, pronunciat*

a *Roma Moder. pag. 338.*
b *Scotti Itin. d' Ital.*

ciat decretum Canonizationis Sanctæ Franciscæ Romanæ; *in medio super pavimento*: ANN. MDCVIII. [5]

S. Francisca Civis Romana, Laurentii de Pontianis vidua, post longum suæ causæ examen [a] sub Eugenio IV., Nicolao V., Julio II., & Clemente VIII. initum, tandem Sanctorum albo adscripta est IV. Kalendas Junias anni MDCVIII. a Paulo V., ut in Regestro Pauli *Alaleonæ* Cæremoniis Pontificiis Præfecti scribitur: *Die 29. Maji* (ibi legitur) *feria tertia post Pentecostem*, *die anniversario Coronationis SS. D. N. pro incboatione anni ejus quarti Pontificatus*, *idem solemniter cum solitis cæremoniis canonizavit D. Franciscam de Pontianis Romanam Fœminam*, *Fundatricem Congregationis Oblatarum Turris Speculorum*, *in Basilica Sancti Petri precibus totius Populi Romani*.

XXVI.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. A. XI. AN. MDCXV. *Effigies capite nudo*; *in pluviali exprimitur S. Carolus stans*.
Postica caret. [4]

XXVII.

20. PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. A. XI. AN. MDCXV. *Effigies*, *ut numero præcedenti*.

S. AGNETIS. ET. EMERENTI. OSSA. HONORIFICATA. *Pontifex Aulicis*, *& Clero circumdatus Altare dedicat*. [4]

In hoc elegantissimo Numismate repræsentatur [b] Altare, & quod vocant *Ciborium* S. Agnetis extra muros, in via Nomentana, a Paulo V. Cardinalis Sfondrati precibus [c], constructa, & vario marmore, ac columnis porphyreticis ornata. Supra aram locavit Sanctæ Virginis Statuam ex Onyce Orientali, quam Franciosinus restauraverat. Sacras verò ejusdem S. Agnetis, & S.Emerentianæ Reliquias argentea urna condidit, & sacro ritu sub Altari posuit, illudque consecravit XVIII. Kal. Quintiles anni MDCXV. [d]

XXVIII.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. *Caput nudatum*, *in pluviali Redemtor cum Cruce expressus*.

PRO. TVI. NOMINIS. GLORIA. *Columna S. Mariæ Majoris*; *& Liberianæ Basilicæ frons*. [4]

XXIX.

a *In ejus Vita impressa Romæ an. 1675. lib. V. cap. 21.*
b *Mabillon. Mus. Ital. pag. 87.*
c *Oldoin. col. 442.*
d *Paulus Alaleona in Diar.*

Digitized by Google

XXIX.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. A. XIII. *Effigies capite nudo, cum pluviali arabici operis.* 16.

PRO. TVI. NOMINIS. GLORIA. *Eadem, ac in praecedenti, postica.* [3]

Simile Numisma a Marchione *Lucatellio* adservatur, in quo tamen: AN. XI., & in inferiori parte: MDCXV. legitur; quae annorum diversa adnotatio ad annos, quibus Numismata sunt cusa, est referenda.

XXX.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. A. XI. AN. MDCXV. *Effigies capite nudo; in pluviali arabici operis Icon stans.* 17.

FVNDA. NOS. IN. PACE. *Eadem columna; in area.* A. M. D. C. XIII. [4]

In foro ante Basilicam Liberianam, Columna striata erecta est, quam fulmine tactam, novissimè SS. D. N. BENEDICTUS XIV. restauravit[a]. Hanc Paulus V. e ruderibus veteris Templi Pacis, ad eum forum transtulit, eique imposuit B. Mariae V. Statuam ex aere deaurato, per Dominicum *Ferrerium* fusam, ad modulum Caroli Maderni Architecti, qui Salientem, & labrum prope columnam construxit[b]. Statua XX. palmos alta est, columna verò LXXV. praeter stylobatem,& peristylium; Diametros columnae est VIII. palmorum. In Diariis Praefectorum[c] Caeremoniis, sub Paulo V. legitur: *Die XVIII. Julii fuisse collocatam supra Columnam ante Basilicam superioribus diebus erectam aeneam Imaginem B. Virginis, quam benedixit Episcopus Iserniensis.*

XXXI.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. M. A. XIIII. 1618. *Caput nudatum, cum arabicè ornato pluviali.*

Absque postica. [4]

XXXII.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. M. A. XII. *Effigies, nudato capite; in pluviali duae Icones delineatae; infra verò:* I. A. M. 11.

PONTIFICVM. COMMODITATI. *Aedes Pontificiae Quirinales; in exergo:* AN. D. MDCXVI. [4]

Hasce aedes Gregorius XIII., Flaminio *Pontio* Architecto, inchoavit; Octavianus *Mascherinius* alter Architectus opus est prosequutus, qui

a *Roma Moder. pag.* 104. b *Bzovius in Vita pag.* 16.
c *Diar. Manuscr.*

qui & scalam cochlydem, & domus partem, quam nobilem appellant, nec non porticum, hypetrum, & Horologium, fecit. Sixtus V. ædificium ampliavit: Clemens VIII. ornavit, & Paulus V. Maderni Architecti usus operâ absolvit, amplum quippe atrium oblongum, nobile Sacellum, aulamque, & proxima cubicula ædificavit, ad quæ per duplices scalas aditum paravit [a].

XXXIII.

12. PAVLVS. V. BVRCHESIVS. RO. P. MAX. AN. XVI. *Effigies capite nudato, cum pluviali, in quo S. Jo. Baptista; infernè*: I. A. M.
SACELLVM. IN. PALATIO. QVIRIN. *Porta Sacelli Pontificii in Quirinali Palatio*; *in exergo*: A. MDCXIX. [4]

XXXIV.

10. PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali arabici operis*.
SACELLVM. IN. PALATIO. QVIRIN. *Adspectus ædium Quirinalium*; *in exergo*: PONTIFICVM. COMODITATI. [3]

Quemadmodum in postica primi ex his duobus Numismatibus notatur annus MDCXIX., ita in antica parte notari debuisset annus XV. Pontificatus Pauli; verum, ut ut res sit, utrumque Numisma Sacellum Pontificium Palatii Quirinalis exhibet. Magnam ante Sacellum aulam pinxere Carolus Venetus, Lanfrancus, aliique. Anaglyphum supra ostium, quo pedum lotio exprimitur, quodve etiam in priori Numismate visitur, Taddæi Landini est opus. Angelos, seu Genios, qui Pontificis Stemma sustentant, plastico opere fecerunt Berninus, & Bartolus. Sacelli longitudo est CLXXX. palmorum, LX. verò latitudo. In Diariis [b] sic legitur: *Die* XXV. *Januari* MDCXVII. *in die festo Conversionis S. Pauli Papa post dictam missam in sua privata Capella, benedixit Sacellum sub Invocatione Assumptionis B. Virginis Mariæ, quod extruendum, & ornandum curavit in Palatio Quirinali*.

XXXV.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. MAX. AN. XVI. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo Christus claves S. Petro tradens*.
SACELLVM. IN. PALATIO. QVIRIN. *Fores Sacelli Pontificii Quirinalis*; *in exergo*: A. M. DCXIX. [3]

Hoc R. P. *Bonannius* Numisma non refert; in eo quidem pro anno XVI., apponi debuerat XV.

XXXVI.

a *Videsis Rom. Med. pag.* 179.   b *Diar. MSS.*

Digitized by Google

XXXVI.

PAVLVS. V. PONT. MAX. A. XIIII. *Effigies, capite nudato, cum pluviali floreis ramusculis consperso.* 3.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Christus, qui Apostolorum pedes lavat.* [6]

Hæc postica non est sub hoc Pontifice efformata, cujus temporibus monetæ cudendæ præerat Johannes Antonius *Mori*. *Bonannius*, licet hoc adserat, subdit tamen, istis temporibus denariis cudendis præfectum *Molam*, & ab ipso hoc Numisma esse cusum: Sed nullum de his testem adfert: Quidquid de eo sit, Numus distributus fortasse in lotione pedum Feria v. in Cœna Domini peragi solita, exprimit prostypum, de quo supra numero XXXIV. meminimus. Alium ejusdem magnitudinis vidi cum anno I. Pont. & MDCVI.

XXXVII.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. MAX. AN. XIIII. *Caput nudum, pluviale arabici operis*; *infra verò*: I. A. MORI.

CEPRANI. SVPER. LIRIM. RESTITVTO. *Pons tribus arcubus insidens, in cujus aditu arx.* [3]

XXXVIII.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. MAX. AN. XVI. *Effigies, ut numero* XXXV. 30.

CEPRANI. PONS. SVPER. LIRIM. RESTITVTVS. *Idem Pons.* [3]

Horumce Numorum primum maximi moduli vidi apud Marchionem *Lucatellium*. *Cepranum*, opidum est juxta flumen, quod veteres *Lirim*, vulgo nunc *Garigliano* appellant; Ecclesiasticamque ditionem a Neapolitano Regno dividit. Antoninus Pius pontem in Liri extruxit, Paulus vero collapsum restituit, operique præfecit Paulum *Bisciam* Cam. Ap. Clericum, subjecta epigrape ponti insculpta.

PAVLVS. V. PONT. MAX
OPVS. PONTIS. AB. ANTONINO. AVG. PIO
ANTE. ANNOS. MCDLXXIV
RESTITVTVM
INIVRIA. TEMPORVM. COLLAPSVM
REFECIT. A. FVNDAMENTIS. OPPIDO. IVNXIT
ANNO. SAL. MDCXVII. PONT. XIII

XXXIX.

8. PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. MAX. AN. XVI. *Effigies, ut numero* XXXVI.

PALATII. VATICANI. PORTA. RESTITVTA. *Adspectus Portæ, Horologii, & ædium Vaticanarum*. [3]

XL.

9. PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. AN. XIIII. *Effigies, capite nudo, cum pluviali floribus consperso; in inferiori parte*: I. A. M.

PALATII. VATICANI. PORTA. RESTITVTA. *Porta, sive aditus ædium Vaticanarum, ut sub Paulo V. refectus est*. [4]

XLI.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. A. D. MDCXVI. P. XIII. *Caput nudatum, pluviale arabici operis; in inferiori parte*: I. A. M.

PALATII. VATICANI. PORTA. RESTITVTA. *Eadem postica, ac numero præcedenti*. [4]

In Templi Vaticani Historia R. P. *Bonannii*, Tabula LXI. conspicitur princeps Porta Palatii Vaticani, ut erat ante Paulum V. Tres hujus Portæ delineationes Martinus Ferrabuscus fecerat, quarum unam & alteram hæc Numismata referunt. In Portæ fastigio Horologium locatum est [a], cujus nola sub Calisto III. fusa fuerat; tota facies hujus aditus immutata est, quum Alexander VII. scalam regiam ædificavit.

XLII.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. P. M. AN. XV. *Caput nudatum, cum arabici operis pluviali*.

Numus posticâ caret, in qua fortasse pedum lotio describi debuerat. [5]

XLIII.

18. PAVLVS. V. BVRGHESIVS. PONT. MAX. AN. XIV. *Effigies, nudato capite, cum pluviali, in quo Icon expressa est*.

ECCLESIAM. S. MARIAE. IN. CAMPITELL. CONGREG. MATRIS. DEI. VNIVIT. ANNO. MDCXIX. [4]

Injuriâ temporis quùm pœne collaberetur vetus Ecclesia S. Mariæ in Porticu Romanæ Regionis *Campitelli*, Paulus V. Patribus Congregationis Matris Dei, quorum institutiones Clemens VIII. proba-ve-

a *Baglione Vite de' Pittori pag.* 176.

verat, conceſſit VI. Nonas Majas an. MDCXIX. Primum ædificii lapidem *Garzias* Cardinalis *Millinus* poſuit, & in fundamenta hoc Numiſma jecit. Frontem Alexandro VII. Pontifice, Populus Romanus ſua impenſa [a] exſtruxit, Architecto Raynaldo. Ad parcendum ſumtui Senatus curaverat, ut ſibi facultas eſſet, ad hoc ædificium uti Tyburtino lapide, quo Metellæ ſepulchrum ad viam Appiam obductum eſt; jamque nonnulli inde lapides avulſi ſunt, quum ab eximio Cardinali Franciſco Barberino S.R. E. Vicecancellario occurſum eſt, ejuſque auctoritate vetitum, ne præclarum inclytæ Familiæ, & Romanæ magnitudinis monumentum tamdiu a communi ruina incolume ſervatum, funditus everteretur.

XLIV.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo Icon ſtans repræſentatur.* 33.

SECVRITAS. POPVLI — FERRARIA. *Ichnographia Arcis Ferrarienſis.* [4]

XLV.

PAVLVS. V. BVRGHESIVS. RO. PONT. MAX. *Caput nudatum, operis arabici pluviale.* 34.

SECVRITAS. POPVLI. *Ejuſdem Arcis adſpectus; in inferiori verò parte tæniis inſcriptum eſt:* FERRARIA. [4]

XLVI.

PAVLVS. V. RO. PONT. MAX. *Effigies, ut ſuperiori numero.* 35.

SECVRITAS. POPVLI. *Ejuſdem Arcis cum foſſis adſpectus.* [4]

Ferrariâ receptâ, Clemens VIII. P. M. ſtatim ad eam muniendam animum applicuit [b]. Arcem igitur in ea ædificare cœpit an. MDIC.; ſed quum lentè admodum procederet opus, Paulus V. anno MDCVIII. Pompejum *Targonium*, ejus artis peritiſſimum illi præfecit. Hic Arcem pentagonam externis, & internis munimentis ad eorum temporum morem ædificavit. Primus lapis anno MDCXI. poſitus eſt. In fundamenta præter recenſita a nobis Numiſmata, aliud etiam injectum eſt, in cujus poſtica erat effigies S. Barbaræ, ſi Nicolao *Baruffaldo* fides [c]: at quidquid de hoc ſit, illud profectò nuſquam vidi.

a *Roma Moder. pag.* 17.
b *Rocc. in Itin. Ferrar. pag.* 95.
c *In quodam Diar.*

XLVII.

36. ANGVLARIS. FVNDAMENTVM. LAPIS. CHRISTVS. MISSVS. EST. *In medio:* VT. PRO. PECCATIS. POPVL. ORET. SACERDOS. VIRGO. CVIVS. VTERVS. TEMPLVM. DEI. FACTVS. EST. S. P. Q. BONONIENSIS. TEMPLVM. HOC. TVO. NVMINI. EXTRV. *In exergo verò:* MDCXIX. *E lateribus epigraphes, duo parva ſcuta, in quorum uno urbis Bononienſis ſtemma, in altero faſcia, in qua:* S. P. Q. B.

CVIVS. REGNI. NON. ERIT. FINIS. *Pauli V. Pontificis gentilitium ſtemma.* [2]

Hoc maximi moduli Numiſma cuderunt Bononienſes, quum fundamenta jacta ſunt novi Templi Beatiſſimæ Virginis, *S. Lucæ* adpellatæ. Præter hoc [a], aliud in fundamentis poſuerunt cum effigie Cardinalis *Capponii* Legati, qui primum lapidem poſuit, cum hac epigraphe in antica: ET. LAPIS. ISTE. VOCABITVR. DOMVS. DOMINI. *In poſtica verò:* PAVLI. V. FOELICISSIMI. TOTIVS. ECCLESIAE. MODERATORIS. ANNO. XV. MDCXIX.



[a] *Oldoin. tom. IV. pag. 419.*



ALexander Cardinalis *Ludovisius* Patricius,& Archiepiscopus Bononiensis, post breve admodum Conclave Pontifex creatus est VI. Idus Februarias anni MDCXXI.; is nomen assumsit Gregorii XV.; obiitque VIII. Idus Julias anni MDCXXIII. Ejus ossa a Basilica Vaticana, in qua primùm condita, ad Ecclesiam Sancti Ignatii fuerunt translata, ubi etiamnum requiescunt, cum hac epigraphe:

GREGORIVS XV.
PONT. MAX.

I.

GREGORIVS. XV. PONT. MAX. A. III. *Pontificis effigies, capite nudato, cum pluviali, in quo S. Johannis Baptistæ imago.* 1.2.
CAVSA. NOSTRAE. LAETITIAE. *Beatissima Virgo cum Puero Jesu, inter nubes.* [4]

II.

Digitized by Google

II.

3. GREGORIVS. XV. PONT. MAX. *Effigies, ut numero priori.*
CAVSA. NOSTRAE. LAETITIAE. *B. Virgo ſedens in Throno, cum Puero in ulnis; In exergo:* SANTA. MARIA. DELLA. VITA. BOLOGNA. Hoc eſt: *S. Maria de Vita, Bononia.* [4]
Utrumque hoc Numiſma cuſum puto in memoriam Eccleſiæ, & Xenodochii *S. Mariæ de Vita* Bononiæ [a], Gregorii XV. tempore, anno MDCXXIII. inſtaurati, Fidelium eleemoſynis, qui illuc convenerant Religionis cauſa, dum Italia fere tota peſte, & fame premeretur. Pontifex eodem anno altare in hac Eccleſia privilegio donavit, ad ſuffragia pro defunctis impetranda.

III.

4. GREGORIVS. XV. PONT. MAX. A. III. 1623. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo Chriſtus reſurgens inducitur.*
BEATI. QVI. CVSTODIVNT. VIAS. MEAS. *Redemtoris effigies.* [4]
Similem poſticam conſpeximus, & recenſuimus ſub Julio III., Paulo IV., & Gregorio XIII.

IV.

5. GREGORIVS. XV. PONT. MAX. A. III. 1623. *Effigies, ut numero præcedenti.*
PACIS. ET. RELIGIONIS. AMOR. *Duæ Mulieres ſedentes, quarum una, quæ Crucem dextera, Tiaram triplici corona redimitam læva tenet, Religionem Chriſtianam repræſentat; altera, quæ Pacem deſignat, olivæ ramum leva tenet, dextera verò cornucopiæ, e quo flammæ aliquot aram in ſolo ſtratam comburentes.* [4]
Quum Galliæ, & Hiſpaniæ Reges de *Vallis Tellinæ* principatu diuturno bello certaſſent [b], tandem Gregorii XV. officiis, & opera inter ipſos conventum eſt, ut eum Pontifex in ſuam fidem reciperet, donec Hiſpanus Belgas Hæreticos rebelles, & Gallus Hugonottas domaret; interim vero integra utriuſque Regis jura eſſent [c]. Gregorius Horatium Ludoviſium Fiani Ducem, cum copiis illuc miſit, eoque pacto compoſitis rebus, jure hoc Numiſmate Pacis, & Religionis triumphus exprimitur.

V.

---

a *Maſin. Bonon. Illuſt. pag.* 542.
b *Oldoin. ubi ſupra col.* 468.
c *In Vita Gregorii poſt Platinam tom. 2. pag.* 723.

V.

GREGORIVS. XV. PONT. MAX. A. III. 1623. *Reliqua*, *ut supra*. 6.

QVINQVE. BEATIS. COELESTES. HONORES. DECERNIT. ANNO. MDCXXII. *Pontifex in throno*, *juxta quem Cardinales sedentes*; *supernè Spiritus Sanctus inter nubes*: *Duo Clerici genibus flexis ante Pontificem*, *Canonizationis decretum pronunciantem*. [5]

VI.

GREGORIVS. XV. PONT. MAX. A. III. *Effigies*, *ut numeris superioribus*; *infra verò*: I. A. M. 1623.

QVINQVE. BEATIS. COELESTES. HONORES. DECREVIT. 1622. *Eadem postica*, *ac supra*. [5]

VII.

GREGORIVS. XV. PONT. MAX. *Effigies capite nudato*, *cum operis arabici pluviali*; *infra*: AN. II.

QVINQVE. BEATIS. COELESTES. HONORES. DECREVIT. 1622. *Eadem postica*. [4]

Omnia hæc Numismata præferre debuerant annum II.; eo enim anno IV. Idus Martias in Sanctorum album sunt relati per Gregorium XIII.[a] *Ignatius Loyola*, *Franciscus Xaverius*, *Philippus Nerius*, *Isidorus*, & *Teresia a Jesu*; sed referri anni III. notam nullus vetat ad Numorum cusionem. Hæc Canonizatio celebrata est in Basilica Vaticana nobili apparatu, quem inter alios multis describit R. P. *Bonannius*[b].

VIII.

ALTER. IGNATIVM. ARIS. ADMOVIT. ALTER. ARAS. IGNATIO. *Protomæ Gregorii XV.*, *& Cardinalis Ludovisii sese respicientes*; *in prioris infima parte*: GREG. XV. P. M.; *in posterioris verò*: L. CARD. LVDO. 7.

LVDOVICVS. CARD. LVDOVISIVS. S. R. E. VICECANCELL. S. IGNATII. TEMPLO. VBI. PATRVVS. GREGORIVS. AD. SAPIENTIAM. ADOLEVERAT. DESIGNATO. ILLI. EX. HOC. GLORIAM. HVIC. EX. ILLO. SVFFRAGIVM. QVAESIVIT. [3]

Ludovicus *Ludovisius* Cardinalis, Gregorii XV. fratris filius, Ecclesiam S. Ignatii a fundamentis exstruxit, ejusque primum posuit lapidem,

a *Vide* BENEDICTI XIV. *Opus de Beatific. & Canoniz. Sanctor.*

b *Numism. Pontif. tom. 2. pag. 550.*

pidem, cum hoc, aliisque Numismatibus suam referentibus effigiem, ut *Bonannius* notat [a], anno MDCXXVI. Tres insignes ad hoc Templum erigendum, exornandumque adhibiti sunt artifices, Pater scilicet *Grassius* S. J., Dominicus *Zampierius*, vulgo *il Domenichino*, & *Algardius*, cujus opus est Templi frons. Multas in eo tabulas pinxit Petrus *Lati* S. J.; Absidem verò, fornicem, & aram principem picturis ornavit celebris P. *Puteus* [b]. In hoc Templo, ut diximus, Gregorii XV. ossa quiescunt, in magnifico Monumento, nec non Ludovisii Cardinalis ejus fratris filii.

IX.

GREGORIVS. XV. PONT. MAX. *Effigies cum pileolo, & palliolo.*
ASSAGIVM. GENERALE. 1622. *Tentorium cum clavibus decussatis.* [4]



Ma-

a *Ibidem pag.* 554.
b *Roma Moderna pag.* 376.



MAphæus *Barberinus* Florentinus S. R. E. Cardinalis, Pontifex prid. Nonas Sextiles anni MDCXXIII. electus, nomen assumsit Urbani VIII., obiitque IV. Kal. easdem anni MDCXLIV. Magnifico cadaver ejus sepulchro est conditum in Basilica Vaticana hac epigraphe:

VRBANVS. VIII. BARBERINVS. PONT. MAX.

Sepulchrum, & signa, quæ illud ornant, Berninus egregia opera elaboravit.

I.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. ANN. I. *Effigies Pontificis, nudato capite, & in pluviali cujusdam Sancti stantis Icon.* 4.

FIAT.PAX.IN.VIRTVTE.TVA. 1624. *Mulier sedens, libram dexterá, ensem lævá tenet.* [5]

II.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. P. MDCXXVIII. *Effigies, ut supra.*

FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA. *Eadem postica, ac in praecedenti.* [5]

III.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. P. 1623. *Eadem effigies.*

FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA. *Eadem postica.* [5]

IV.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. II. *Eadem effigies.*

FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA. *Eadem postica; & infernè:* 1625. [5]

V.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. II. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo S. Petri protome repraesentatur.*

FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA. *Eadem postica, ac in superioribus.* [5]

Urbanus, Pontificatu assumto, primas curas impendit, ut pacem Italiae restitueret, & a multis jam annis ob Vallem Telinam diffidentes Gallos, Hispanosque componeret [a]: quare anno MDCXXIV. in Galliam misit Cardinalem Franciscum Barberinum a latere Legatum, ut cum Ludovico Rege de pace ageret [b], litteras ad Europaeos Episcopos dedit, & ad divinam opem implorandam solemnes supplicationes indixit a Basilica Vaticana ad S. Mariae Basilicam, quae Transtyberina dicitur a Regione, in qua sita est.

VI.

41. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. P. 1623. *Caput nudatum; in pluviali S. Petri protome.*

FECIT. MIRABILIA. MAGNA. SOLVS. *Christi Transfiguratio.* [5]

Cusum est hoc Numisma ad designandam Pontificis electionem, quae Pridie Nonas Sextiles [c], Festo Transfigurationis Domini die contigit; Epigraphe facto respondet.

VII.

3. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. III. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo S. Elisabeth.*

TE. MANE. TE. VESPERE. *S. Michael Archangelus superne; coram eo Pontifex genuflexus, pluviali indutus, & tiara terrae deposita.* [5]

Ur-

a *In Vita post Platin. tom. 2. pag. 733.*

b *Oldoin. col. 525.*

c *In Vita post Ciaccon.*

Digitized by Google

Urbanus ſtatim, ac electus fuit Pontifex, febre correptus tamdiu ægrotavit, ut nonniſi III. Kal. Octobres feſto die S. Michaelis coronatus ſit. Hunc ſibi patronum elegit, ejuſque imaginem eadem formâ, & epigraphe, quibus in hoc Numiſmate exprimitur,[a] in monetis etiam ſæpiſſimè cudi juſſit: Aram in ejus honorem ſtatuit in Vaticana Baſilica, cujus tabula muſivo opere[b] a Calandra affabre elaborata Archangeli Iconem præfert. Joſeph Cæſar Arpinas prototypum delineavit, haud ſane egregium. Antica obſervatur etiam cum ann. II. VIII. & XVII. eâdem ſemper poſticâ adhibitâ.

VIII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. III. *Effigies, nudato capite, in pluviali SS. Petri, & Pauli protomæ; inferius verò;* GASPARO. MOLO. 5.

PONAT. FINES. SVOS. PACEM. *Pontifex magno apparatu Portam Sanctam claudens; in exergo:* MDCXXV. [4]

IX.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. III. *Eadem effigies, ac numero ſuperiori.* 6.

RESERAVIT. ET. CLAVSIT. ANN. IVB. MDCXXV. *Porta Sancta clauſa, in cujus medio Crux, ſupernè verò Vultus Sanctus, & B. Virgo Puerum Jeſum habens in ulnis.* [4]

X.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. ANN. III. *Effigies cum pileolo, & palliolo.* 7.

HOMINIBVS. BONAE. VOLVNTATIS. ANN. IVB. MDCXXV. *Porta Sancta, cum Peregrinis; in ejus medio Vultus Sanctus; in parte ſuperiori puer ramum Olivæ tenens; in exergo:* ROMA. [5]

Annum Jubilei indixit Urbanus III. Kal. Majas anni MDCXXIV.; in Vigilia Nativitatis Domini more majorum, Baſilicæ Vaticanæ Portam Sanctam ipſemet reſeravit, Cardinalibus de Monte, Lenio, & Millinio juſſis, ut cæteras aperirent. R. P. *Bonannius*[c], ut ſpuria rejicit duo Numiſmata per *Molinetium* adducta, unum cum epigraphe: QVI. INGREDITVR. SINE. MACVLA. alterum, Porta reſerata, &: HOMINIBVS. BONAE. VOLVNTATIS. Hic[d] fortaſſe utrumque protulit, quum in Pontificis vita[e] legiſſet,

 duo

a *Auctor Vitæ ejus, poſt Platin. tom. 2. pag. 729.*
b *Bonann. Templ. Vatic.*
c *Tab.* VII.
d *Hiſt. Pontif. per Numiſm.*
e *Poſt Platin. tom. 2. pag. 730.*

duo fuisse tunc percussa Numismata, sed diversâ epigraphe, quòd nempe alteri inscriptum esset: *Qui ingreditur sine macula*, alteri: *Hominibus bonæ voluntatis*. Nos alium quoque vidimus cum anno XVII. MDCXXXIX.

XI.

9. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. IVB. *Caput nudatum, cum pluviali floribus consperso.*

TRANQVILLITAS. REDVX. *Mulier sedens columbam manu tenet, in cujus ore Olivæ ramus.* [3]

Pacem semper cordi habuit Urbanus, nam, ut diximus, Pontificatum vix adeptus Cardinalem Franciscum in Galliam, & Hispaniam Legatum misit, qui eorum Regum animos componeret. Hunc, re benè gestâ, reducem [a], publico Consistorio, magno plausu, quasi Columbam ab Arca emissam, & in arcam cum olivæ ramo reversam, nuntiam Pacis, excepit. Præterea missis Johanne Baptista *Pallottá* ad Rom. Imperatorem, & Cæsare *de Monte* ad Hispaniæ Regem, bellicos rumores sedavit, & Italiam pace donavit [b].

XII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. III. *Caput nudatum: In pluviali vir stans; ac infernè:* CAS. MOL. MDCXXV.

C. ET. CAP. S. MARIÆ. TR. *Porta Sancta, & Pontifex supplicans: Peregrini: Et Angelus supra portam, olivæ ramum manu retinens; in exergo:* ROMA. [5]

Quæ causa fuerit, cur Canonici S. Mariæ Transtyberim, hoc Numisma cudi curaverint, Anonymus in Urbani vita nos docet. Ait enim: IV. *Nonas Februarias, quum Panormi magis magisque pestis grassaretur, jussit Pontifex, ut ex quatuor Ecclesiis tempore Jubilei visitandis, una esset Basilica S. Mariæ Transtyberim, pro Ecclesia Sancti Pauli extra muros: Ipsemet verò* VII. *Idus ejusdem mensis, aliquot Cardinalibus comitatus Ecclesias visitans, idem Templum ingressus est* [c].

XIII.

25. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. III. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo S. Petri protome.*

Mare, in quo quinque triremes. [6]

In tuendis terra, marique Ecclesiasticæ ditionis Provinciis Urbanus to-

a *Vita post Platin. tom. 2. pag. 733.*
b *Oldoin. col. 506.*
c *Anonym. post Platin. pag. 731.*

totus fuit, nam Centumcellarum, & Anconæ Portus, & propugnacula munivit, Ferrariæ arcem absolvit, novamque excitavit ad fines agri Bononiensis, quam suo nomine Urbanam nuncupavit, & triremes, quas Sixtus instruxerat, fortasse integravit, easque Numismate expressit.

XIV.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. IIII. *Effigies, ut numero superiori.* 28.

SECVRITAS. PVBLICA. *Fortis-Urbani ichnographia, supra quam Episcopi protome, cum nimbo, & mitra, qui dextera pedum tenet, Urbem læva.* [4]

XV.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. VII. *Effigies nudato capite, cum pluviali, in quo flores exculpti; infernè:* MDCXXX. GASP. MOL. F.

SECVRITAS. PVBLICA. *Eadem postica, ac in antecedenti.* [4]
Urbanus, ut mox diximus, in finibus Bononiensium, qua iter est Mutinam, arcem exstruxit quatuor habentem propugnacula. Episcopi protome Numo insculpta fortasse est effigies S. Petronii, Bononiæ Patroni [a].

XVI.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. IIII. *Caput nudum; in pluviali SS. Petri, & Pauli protomæ; in imo:* MOLO. 12.

ECCL. B. VIRG. CONCEPTÆ. P°. IACTO. LAPIDE. MDCXXVI. *Pontifex primum imponens lapidem in fundamentis Ecclesiæ erigendæ.* [4]

Ecclesia in Numismate expressa, cujus primum lapidem IV. Nonas Octobres S. Francisci sacro die, anni MDCXXVI. Pontifex posuit, est Fratrum Minorum, quos Cappuccinos vocant. His, qui ad clivum Quirinalem prope Ecclesiam S. Crucis degebant, Antonius Barberinus ex eodem Ordine a Pontifice fratre suo Cardinalis Tituli Sancti Honuphrii creatus, amplum Cœnobium instruxit ad forum Barberinum, hortosque amplissimos addidit. Hisce ædificiis præfecti sunt Felix Casonius, & P. Michael Cappuccinus Architecti, qui Templum construxerunt purum, & sine ornatu, quale istis Religiosis usui esse solet [b], quod tamen non caret egregii operis tabulis, Gui-

a *Oldoin. post Ciaccon. tom. 4. col. 504.*
b *Baglioni Vite de' Pittor. pag. 181.*

Guidi [a] nempe, Lanfranchi, Sacci, Petri Cortonensis, Camasei, aliorumque ea ætate magni nominis Pictorum [b].

XVII.

16. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. IIII. *Effigies, ut supra; inferius verò*: 1627. GASP. MOLO.

S. PETRI. BASILICA. CONSECRATA. *Crux radiis circumdata*. [4]

XVIII.

15. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. VIII. *Effigies, ut numeris superioribus*.

SANCTI. PETRI. BASILICA. CONSECRATA. *Pontifex vestibus indutus Pontificiis, & mitratus Vaticanam consecrat Basilicam; illum sequuntur Cardinales itidem mitrati, & reliqui ex Clero; in exergo*: ROMA. [4]

In hujusce posterioris Numismatis antica pro VIII. anno exprimendus erat IIII., ut in priori factum est. Cæterum licet, ut suo loco memoravimus, Clemens VIII. Altare ad Confessionem SS. Apostolorum consecrasset, opportunum duxit Urbanus illud denuò solemniter anno MDCXXVII. Pontificatus sui IV. consecrare, quum post Clementem tota pœne Confessio fuerit refecta [c].

XIX.

19. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. IIII. *Effigies, ut in superioribus*.

AEDE. S. BIBIANAE. RESTITVTA. ET. ORN. *Ecclesiæ Sanctæ Bibianæ frons; in exergo*: ROMAE. [4]

XX.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XI. MDCXXXIII. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo S. Michael Archangelus expressus est*.

AEDE. S. BIBIANAE. RESTITVTA. ET. ORN. *Eadem postica, idem exergum*. [4]

Veterem S. Bibianæ Ecclesiam cum cœmeterio S. Anastasii, juxta *Fanucium*, & *Fedinum*, construxit S. *Olympina* circa annum CCCLXIII. [d] Eam Simplicius Papa anno CDXXX. sacravit; Honorius III. refecit anno MCCXXVII. Canonicis Basilicæ Liberianæ Ecclesia ista commendata est,

a *Titi Stud. di Pittur. pag.* 307.
b *Roma Modern. pag.* 205.
c *Roma Mod. tom.* 2.
d *Roma Moder. tom.* 2. *Titi Pitture di Roma*.

Digitized by Google

est, quam Urbanus VIII. instauravit, ejus frontem,& porticum fecit, Aram S. Bibianæ pario marmore ornavit, urnamque sub ea posuit ex Alabastro Orientali, in qua ejusdem Sanctæ Virginis, & ejus Sororis Demetriæ, ac S.Daphrosæ utriusque Matris ossa condita sunt [a]. Petrus Cortonensis, & Campellus earundem Martyrum gesta tectoriis coloribus in parietibus depinxerunt. Frontis, Porticus, & majoris Aræ Architectus Berninus fuit [b], idemque S. Bibianæ Statuam miro sanè artificio sculpsit, de qua Plinianum illud de Laocoontis signo non immerito dici posset, nempe [c] *opus omnibus picturæ, & statuariæ artis præferendum*; illam enim cum Berninus [d] aliquando reviseret, non suum opus esse inquit, sed Sanctam Virginem suam sibi imaginem elaborasse. In posterioris Numismatis antica pro anno XI. apponi IV. debuit.

XXI.

VRBANVS . VIII. PONT. MAX. A. V. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo Principis Apostolorum protome*; *inferius*: GAS. MOLO. 21.

INSTRVCTA . MVNITA . PERFECTA . MDCXXVIII. ROMA. *Molis Adrianæ ichnographia, sub qua Pontificis parvum stemma*. [5]

XXII.

VRBANVS . VIII. PONT. MAX. A. VIII. *Effigies, ut numero antecedenti*.

INSTRVCTA . MVNITA . PERFECTA . MDCXXVIII. *Eadem postica, ac supra*. [5]

Primum horum Numismatum, quod apud Marchionem *Lucatellium* vidi, a Paulo etiam *Rollio* in adnotationibus ad *Ovverbeckii* Romam veterem [e] adfertur. Quæ verò ad arcem firmiorem,ac tutiorem reddendam fecerit Urbanus, Epigraphe nos docet, quæ muro inest.

VRBANVS . VIII. PONT. MAX. PROPVGNACVLVM . PRO . HÆC . INTERCLVDENTES . SVB . PONTIS . FORNICE . SPATIA . INVTILITER . ANTIQVITVS . FABREFACTVM . SOLO . ÆQVAVIT . FLVMINIS . LAPSV . EX . PARTE . RESERATO . QVOD . MVNITA . MAGIS . ARCEM . EFFICIT . ET . EXVNDATIONES . INGRVENTES . COHIBET . NE . POSTERI . PROVENIENTIS . HINC . VTILITATIS . IGNARI . SECVS . QVID . MOLIANTVR . HOC . VOLVIT . EXTARE . MONVMENTVM . ANNO . MDCXXVIII.

XXIII.

---

a *Baldinucc. in Vita Bernin. pag.* 15.
b *Roma Modern. pag.* 60.
c *Lib.* 35. *cap.* 5.
d *Dom. Bern. in Vita Patris*.
e *Pag.* 115.

Digitized by Google

XXIII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. V. *Effigies, capite nudo, cum arabici operis pluviali*; *inferius*: 1628. GAS. MOLO.

AB. VRBANO. VIII. CANONIZATA. 1625. ANN. IVB. DIE. 25. MAII — ROMA. *Supplicatio, quâ Icon S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis effertur*. [4]

Quem supra laudavimus, Anonymus Biographus, sic istam describit Canonizationem [a]: *Beatam renunciavit Mariam Magdalenam de Pazzis Florentinam, magnis virtutibus, meritisque præditam Virginem; decrevitque, Romæ ad anni terminum, in Ecclesia S. Johannis Baptistæ nationis Florentinæ, & Florentiæ in Ecclesiis universis, recitari posse in ejus honorem Officium, Sacrificiumque celebrari, a Communi Virginum non Martyrum sumta; quum primùm hoc peractum est*, X. *Kalendas Apriles, Solemnitati in memorata S. Johannis Baptistæ Ecclesia Cardinales pæne omnes interfuerunt*.

XXIV.

24. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. VI. *Effigies Pontificis manu benedicentis, cum Tiara, & pluviali, in quo S. Episcopi icon*; *infrà*: GAS. MOLO.

NVNC. RE. PERFECTO. *Centumcellensis portus, in quo aliquot triremes*; *e lateribus duplices apes*. [4]

In portu Centumcellensi Urbanus Pharum refecit, insulam ad portus ostium a Trajano, ut supra dictum est, adversus maris impetus ædificatam, sæpiusque labefactatam, addito novo munimine firmiorem reddidit, novo ductu aquam oppido restituit anno MDCXXXII., Pontificatus XI., qui annus Numismati pro VI. apponi debuerat; licet cætera ædificia anno MDCXXIV. fuerint completa. Hæc omnia constant ex longa satis epigraphe, quæ in eodem portu marmori insculpta est.

XXV.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. VIIII. *Caput nudatum, in pluviali figura stans*; *inferius autem*: A. MDCXXXII. HASTESANVS. F.

NVNC. RE. PERFECTO. *Portus Centumcellensis*. [4]

Numisma hoc, quod apud Abbatem *Cornazzanium* vidi, annum IX. præseferens, pertinet fortasse ad aquæductum hoc anno restitutum Centumcellis.

VR-

a *Post Platin. tom. 2. pag. 733., & seq.*

XXVI.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. VI. *Caput nudatum*, *cum pluviali*, *in quo S. Episcopus*.

BEATO. ANDREA. INTER. SANCTOS. RELATO. *Pontifex in Throno sedens*, *ante Confessionem Principum Apostolorum in Vaticana Basilica*, *Cardinalibus stipatus*, *Decretum Canonizationis pronuncians*; *supernè Spiritus Sanctus*. [4]

De B. *Andrea Corsinio* Florentino Carmelita, Fesularum Episcopo, in Cœlum ad annum Christi MCCCLXXIII. translato, hic agitur [a]. Eum Urbanus inter Sanctos retulit X. Kal. Majas anni MDCXXIX. magnâ pompâ in Basilica Sancti Petri, per Equitem *Berninium* ornata. Pontifici dono data est hac occasione effigies S. Andreæ a Guido *Renio* depicta, quæ in Barberinis ædibus visitur; Ejus exemplar musivo opere affabre factum Clemens XII. ex eadem illustri Corsiniorum gente aræ Sacelli imposuit, quod in Lateranensi Basilica sumtu magnifico excitavit.

XXVII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. VI. *Effigies*, *ut uumero superiori*; *infra verò*: MDCXXIX.

Eadem postica, *ac supra*. [4]

XXVIII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. VI. 1629. *Caput nudatum*; *in pluviali duplex Icon*. 29.

DORICAE. VRBIS. INCOLVMITATI. *Urbis*, *&* *Collis Anconitani adspectus*, *cum ædificio ad Maris ripam*. [3]

In hac postica repræsentatur vetus Lœmocomium, quod Urbanus VIII. construxit [b] in Anconitana urbe, a Doriensibus, ut creditur, ædificata, in cujus fundamentis Numisma positum est. Pontifex hic, ut ex epigraphe patet, munimenta etiam Urbis, & Portus restituit.

XXIX.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. VIII. *Caput nudatum*, *cum pluviali*, *in quo SS. Petri*, *&* *Pauli Apostolorum protomæ*. 12.

AVCTA. AD. METAVRVM. DITIONE. *Mulier galeata sedens*, *dextera hastam*, *lævâ tenens Vaticanum Templum*: *Omnia intra coronam oleaginam*; *in exergo*: ROMAE. [4]

Extincta Roboreorum familia, Urbini Ducatus ad S. Sedis dominium re-

a *Anton. Gherardius*, *Hist. Canon. typis Zanetti*.

b *Oldoin. in Vita tom. 4. col. 518.*

Digitized by Google

rediit, in cujus rei memoriam Urbanus Numiſmata,& denarios cudit hac Epigraphe; id contigit [a] anno MDCXXXI., quo Urbanus *Caſtrum Durantis* Epiſcopatu donavit, & ex ſuo nomine Urbaniam nuncupari juſſit [b]. Alia vidi Numiſmata, in quibus an. IV. VII. & XXI. ſignantur.

XXX.

13. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. X. *Effigies, nudato capite, cum pluviali, in quo viri icon tiaram geſtans; ſubtus*: GASP. MOLO. MDCXXXIII.

ORNATO . SS. PETRI. ET . PAVLI. SEPVLCHRO . MDCXXXIII. *S. Petri abſis.* [4]

XXXI.

14. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. IIII. *Caput detectum; in pluviali SS. Petri, & Pauli protomæ.*

ORNATO . SS. PETRI . ET . PAVLI . SEPVLCHRO. MDCXXXIII. *Eadem abſis.* [4]

XXXII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XVI. MDCXXXVIIII. *Effigies, ut in antecedenti.*

ORNATO . SS. PETRI . ET . PAVLI. SEPVLCHRO. MDCXXXIII. *Eadem abſis, ac in ſuperioribus.* [4]

Numiſmata hæc, quibus inſcriptus eſt annus IV., & XVI. aliudque, quod vidi, anno XIV. notatum, rectiùs conveniunt anno X.. In primo, & ſecundo eadem abſis diversâ formâ exprimitur [c], quæ tamen in poſteriori Numo habetur, abſidis, quam Urbanus fecit, vera imago eſt. Abſidem hanc, quam *Ciborium* dicunt, Urbanus ex æneis trabibus conflavit, quæ tectum porticus Agrippæ ad Pantheon ſuſtentabant, quæve Conſtantis Heracleonis filii manus evaſerant,quum tegulas itidem æneas inde abſtulit. Abſidem quatuor columnæ cochlydes ſuffulciunt [d], circa eas ſpiræ ex lauri ramis ſerpunt pendentibus bacchis, quibus intermixtæ ſunt puerorum alludentium Icones. Supra coronam quatuor Angelorum majores ſtatuæ, duæque minores, quæ claves, & tiaram tribus coronis ornatam (*Triregnum* dicunt) efferunt, oſtentantque: omnia ex ære ſunt auro interſito, ſtylobates marmorei, & alabaſtro Orientali ornati; Abſidis, & ma-

a *Memor. d'Urbino, in fol. Relaz. dell'acquiſt. della S. Sede dello Stato d'Urbino, in 8.*
b *Dandin. in Orat. pag. 20. Oldoin. ubi ſupra col. 509.*
c *Bonann. Numiſ. Pont. tom. 2. num. 13. & 14.*
d *Bonann. Templ. Vatican. pag. 155.*

Digitized by Google

majorum Angelorum modulos Berninus fecit, puerorum verò Franciscus Belga, dictus *il Fammingo*. Angelus *Rubeus* fusili opere omnia ad archetypa summa industria, & diligentia perfecit [a].

XXXIII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XI. *Effigies ejusdem, capite nudo, cum pluviali, in quo Angelus armatus, tiaram manu tenens Pontificiam; inferius:* GASP. MOLA.
Postica caret. [4]

XXXIV.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XII. *Effigies, ut supra; in pluviali S. Michael Archangelus; infra:* GASP. MOL. 20.
DENVO. EXAEDIFICATA. *Apis; Adspectus Ecclesiæ S. Caji ad Thermas Diocletianas, in cujus corona legitur:* S. CAIO. P. P. D. [4]

XXXV.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XVI. MDCXXXIX. *Caput nudatum; in pluviali S. Elisabeth Regina; in imo:* GASP. MOL.
DENVO. EXAEDIFICATA. *Eadem postica, ac in præcedenti.* [4]
Ecclesiam hanc, ubi ferunt, Sancti Pontificis, & Martyris *Caji* fuisse domicilium, a fundamentis ædificavit Urbanus VIII. anno salutis MDCXXXI. [b]; & sub Altari principe ossa ejusdem collocavit: Architecti adhibiti sunt *Paparellius*, & *Vincentius a Græca*: *Camassejus* verò, *Sperantia*, & *Balassius* [c] Altarium tabulas pinxerunt.

XXXVI.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. MDCXXXV. *Effigies cum pileolo, & palliolo,* 33.
ORA. PRO. ME. BEATA. MARTINA. *intra coronam lauream.* [2]
Sanctæ Martinæ Templum ab Alexandro IV. consecratum [d], Sixtus V. postmodum Pictoribus attribuit, quo tempore novo titulo nuncupatum est, nempe S. Lucæ in S. Martina. Urbano Pontifice, Sanctæ Martyris ossa reperta sunt, & in nova Ecclesia, quam idem Pontifex ædificavit, honorificentissime collocata. Petrus Berettinus, cui opus commisit Urbanus, sacrum Hypogæum suâ impensâ instruxit, & vario marmore ornavit. Aram ex ære aurato, & urnam ex Jaspide fecit, ubi sacræ reliquiæ conditæ sunt [e]. S. Martyris

a *Roma Moder. pag.* 252.
b *Oldoin. tom.* 4. *col.* 591.
c *Roma Modern. pag.* 136. *Titi delle Pitture pag.* 164.
d *Marlian. lib.* 3. *cap.* 16.
e *Roma Moderna pag.* 25.

ris imaginem ex onyce Orientali Altari superimposuit. Omnia affabre, & elegantissime perfici curavit usus operâ Johannis Piscinæ. Templum anno MDCXL. perfectum est.

XXXVII.

18. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XIII. *Caput detectum*, *cum pluviali*, *in quo S. Petrus*; *in imo*: GASP. MOLI.

AEDE. EXORNATA. FACIE. RESTITVTA. *Ecclesiæ frons*, *in cujus corona legitur*: S. ANASTAS. D. [4]

Ad Palatini collis radices S. Anastasiæ vetus Templum situm est, quod ferunt, quarto ineunte sæculo Romanam Matronam Apolloniam condidisse. Illud Leo III., Innocentius III., Sixtus IV., & Urbanus VIII. anno MDCXXXVI. diversis temporibus instaurarunt. Urbanus Templi frontem repente noctu collapsam renovavit, *Bernino*, & *Dominico Castellio* Architectis [a]. In abside duplex visitur columna e marmore, quod *Porta Sancta* dicitur; Lazarus Baldus cura,& impensis Jo. Baptistæ Card. Costaguti ejusdem Ecclesiæ Presbyteri picturis absidem ornavit. Aram principem vario marmore, & ære aurato Dominicus Cappellus exstruxit, Sanctæque Virginis Statuam ab Hercule Ferrata affabre elaboratam ad aræ frontem locavit [b]. Stemmata Fœbeæ familiæ ibi visuntur, licet fere omnia Cappelli sumtibus perfecta sint:sed vir gratissimus,& modestissimus, quod Fœbei Præsulis familiaritate, & officiis propitiâ forte usus esset, hac ratione beneficium rependit; cæterum ejus sepulchri epitaphium, eidem Altari proximum, hæc,quæ diximus,satis innuit.

XXXVIII.

42. VRBANVS. VIII. P. M. A. XIII. *Effigies capite nudato*, *cum pluviali floribus conspersο*; *inferius verò*: G. MOL.

DOMINE. QVIS. SIMILIS. TIBI. *Salvatoris protome*. [6]

XXXIX.

45. VRBANVS. VIII. P. M. A. XIII. *Effigies superiori in omnibus similis*.

REGINA. ANGELORVM. *Beatissima Virgo coronâ redimita*, *in nubibus sedens*, *e quibus Luna progreditur*, *Puerum habet in ulnis*, *in cujus manu globus*. [6]

Duo hæc Numismata, Pontificis in Christum, Virginemque Deiparentem pietatem unicè ostendunt.

XL.

a *Roma Modern. pag. 328.*
b *Titi delle Pitture pag. 66.*

Digitized by Google

XL.

VRBANVS.VIII. PON. MAX. A. XIIII. *Caput nudatum*, *pluviale arabici operis*; *infra*: GASP. MOLI. 17.

ORNATO. CONST. LAVACRO. ET. INSTAVRATO. *Baptisterii Sancti Johannis Lateranensis adspectus interior*; *in exergo*: ROMAE. [4]

Hoc Numisma argento percussum vidi; ære aliud cum anni XIII. nota; tertium anni MDCXXXIV. & Pontific. XVI. Templum, in quo Baptisterium Lateranense est, octo porphyreticis columnis sustentatur, & est Octagonon. Urbanus laquearia renovavit, & auro ornavit: in medio pavimento depressior area est rotunda, & in ea labrum marmoreum, tegmine æneo deaurato, pavimentum, & muri circa Baptisterium lectissimorum marmorum crustis intecta sunt, Templi parietes Geminianus, Camassejus, & Maratta tectoriis coloribus pinxerunt, octo tabulas, quæ circa Tholum sunt, Andreas Saccus egregio opere elaboravit [a]. Addam ad hæc, tam Gregorium XIII., quàm Clementem, & Urbanum Octavos de hoc Fonte benè fuisse meritos, hunc potissimùm, ut ex præsenti elicitur Numismate.

XLI.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XV. *Caput detectum*, *cum pluviali*, *in quo S. Petri protome*; *subtus*: GASP. MOLO. 31.

SVBVRBANO. RECESSV. CONSTRVCTO. *Castri Gandulphi*, *ædiumque Pontificiarum adspectus*. [4]

Quum Urbanus Villam in Gandulphi vico jam possideret, ampliorem construendam duxit Pontificum comoditati, opera usus *Madernii*, *Castellii*, & *Brecciolii* Architectorum [b], ædibus Vicecomitum emtis. Villam muris circumdedit, viamque, quæ ad Capuccinorum Cœnobium Albanense ducit, aperuit. Vicum a Sabella Familia emerat [c] Clemens VIII. anno MDCIV., & Reverendæ Cameræ Apostolicæ attribuerat. Aliud exstat Numisma cum anno XVI.

XLII.

VRBANVS. VIII. P. MAX. A. XV. *Caput triplici corona ornatum Pontificis manu benedicentis*, *cum arabici operis pluviali*. 34.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Jesus Christus S. Petri pedes lavans*; *in exergo*: EXEMPL. DEDI. VOBIS. [6]

Effi-

a *Titi delle Pitture. Roma Moderna pag. 37.*
b *Baglion. Vite de' Pittori pag. 180.*
c *Ciaccon. col. 871.*

Effigies huic Numiſmati appicta potius ad annum II., quam ad XV. convenit.

XLIII.

35. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudatum; pluviale arabici operis.*

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Reliqua, ut numero præcedenti.* [6]

Differt a præcedenti hæc poſtica, quod hic Salvator eſt radiis circumdatus, quibus ibi caret: deinde ſella, ſuper qua S. Petrus ſedet, non eſt ejuſdem formæ.

XLIV.

36. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XXI. *Effigies capite detecto cum pluviali, in quo S. Petri protome.*

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Chriſtus Apoſtolorum, qui e lateribus conſpiciuntur, lavans pedes: S. Petrus ſedens: supernè nubes, & radii.* [6]

Similem poſticam ſub Paulo V. recenſuimus.

XLV.

37. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero præcedenti.*

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Chriſtus abluens Apoſtolorum pedes; in aere ſplendentes radii: Omnia intra lauream coronam.* [6]

XLVI.

38. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut præcedentes.*

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Chriſtus lavans Apoſtolorum pedes; in exergo:* TV. DOMINVS. [5]

Omnia hæc percuſſa ſunt Numiſmata in Hebdomada Sancta, ut XII. pauperibus Viris Feria V. in Cœna Domini diſtribuerentur. Eædem formæ aliis annis ſunt adhibitæ.

XLVII.

52. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XVI. *Effigies capite nudato, cum pluviali, in quo S. Petri protome; inferius:* GASP. MOLO. MDCXXXVIIII.

MVNIFICENTIA, ANT. BARBERINI, S. R. E. CARD. CAM. SOCIET. IESV, ANN. C. PIE. CELEBRATO. S. CIↃIↃCXXXIX. V. KAL. OCT. *Duo Seraphim capita, unum supernè, aliud infernè.* [4]

XLVIII.

XLVIII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XVII. *Eadem effigies: infra verò*: GASP. MOLO.

Eadem postica, ac in superiori. [4]

Posterius hoc Numisma annum præseferens genuinum, conspicere mihi fas fuit apud *Cornazzanium* a me aliàs laudatum. Ambo sunt cusa, quum centesimus annus a fundatione Societatis Jesu, ejusdem Societatis Sacerdotes celebrarunt: hoc factum est v. Kal. Octobres anni MDCXXXIX. magnâ solemnitate, & pompâ [a].

XLIX.

VRBANVS. VIII. P. M. A. XVI. MDCXXXIX. *Caput detectum, & pluviale arabici operis*. 50.

ASSAGIVM. GENERALE. MDCXXXIX. *Ecclesiæ Vexillum; cum clavibus decussatis*. [5]

Aliud hujusce generis Numisma sub Gregorio XV. [b] adduximus, & interpretati sumus.

L.

VRBANVS. VIII. P. M. A. XVI. MDCXXXIX. *Effigies, capite detecto, cum pluviali, in quo tres icunculæ intra totidem oblongos circulos*. 40.

SALVA. NOS. DOMINE. *Navis vento agitata, in qua Christus dormiens ab Apostolis excitatur*. [4]

Possumus hoc Numisma, quod *Bonannius* præterit, ad bellum referre, quod Urbanus VIII. intulit Duci Parmensi; cum quo fœdus iniere Dux Mutinensis, Magnus Etruriæ Dux, Venetorumque Respublica [c]. Bellum hoc Galliæ Regis officiis tandem sopitum est.

LI.

VRBANVS. VIII. P. MAX. A. XVII. *Effigies, capite detecto, cum pluviali, in quo variæ Icones*. 2.

IN. VERBO. TVO. *S. Petrus in navi rete contrahens*. [5]

Pluriès hanc posticam, licèt diversimodè cusam, & adduximus, & explicavimus.

LII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XVII. *Caput nudatum, in pluviali viri stantis imago*.

S. PE-

---

a *Videsis Bonannium Num. Pont. tom. 2. pag. 604.*

b *Num. IX.*

c *Victorius Siri in Mercurio.*

S. PETRVS. PRINCEPS. APOSTOLORVM. *Protome S. Petri; clavesque e latere.* [4]

LIII.

30. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XVII. *Caput nudatum, Icon in pluviali expressa; inferius:* G. M. F. MDCXXXX.

AD. AEDIVM. PONTIFICVM. SECVRITATEM. *Ædium Pontificiarum Quirinalium facies, qua Viridarum patet muris circumdatum; omnia intra coronam lauream.* [4]

Ædibus Pontificiis ad Quirinalem collem pœnè perfectis, Viridarium Urbanus VIII., ut adposita epigraphe ostendit, adjecit, æquato monte, murisque circumdato [a]. Salientes etiam construxit, ædesque pro Helvetiis militibus incœpit.

LIV.

26. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XVII. *Caput nudatum, cum arabici operis pluviali.*

PACIS. INCOLVMITATI. *Parva Apis. Armamentarium ædium Vaticanarum, cum harum facie; in exergo:* ROMÆ. [4]

Sixtus V. Armamentarium [b] statuit in Vaticano sub Bibliotheca; Paulus deinde V. arma in illud invexit, quibus IV. hominum millia instruerentur; Urbanus verò VIII. ædificium perfecit, auxit arma, hancque adposuit epigraphem [c]: VRBIS. ET. DITIONIS. ECCLESIASTICÆ. SECVRITATI.

LV.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Caput Pontificis cum pluviali protome ornato: in ima parte:* A. XXI. G. M.

FORTITER. EGIT. PRVDENTER. PATITVR. *Mulier sedens in solio floribus redimita, dextra spinarum ramus tenens, sinistra palmam: ab uno latere mulier stans speculo sese intuens, ex altero mulier armata galea, scuto, & ense: infra* MDCXLIV. [4]

LVI.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. XXI. *Caput Pontificis cum camaleucio, ac brevi pallio.*

PRVDENTER. PASSVS. FORTITER. EGIT. *Eadem postica infra:* MDCXLIV. [4]

Secundum Numisma, a Francisco Cardinale Barberino post Urbani mor-

---

a *Roma Moderna tom. 2.*
b *Roma Moder. tom. 2. pag. 265.*
c *Donat. Roma Vet. lib. IV. cap. 7.*

tem cusum, se conspexisse apud Hæredes *Gasparis Molo*, refert *Bonannius* hoc loco.

Justitia, Prudentia, & Fortitudo in utroque hoc Numismate expressæ, adludunt ad Urbani VIII. singularem Justitiam, Prudentiam, & Fortitudinem. Hæ virtutes in eo semper enituerunt, præsertim, quum extremis ejus Pontificatus annis *Roncarius* Præfectus Stabulo Ducis *Crequii* Gallorum Legati, ab apparitorum manibus quemdam eripuit, ad Triremes damnatum, quod in ejus domo conventus haberent, qui vetitâ aleâ luderent [a]: *Tunc enim* Roncarius, inquit Spada in sui Regiminis historia, *absque edicto, vivâ voce capite damnatus, præmioque indicto aureorum Numorum quingentorum caput ejus adferenti, in Villa Taberna cæsus est: Romam ejus caput allatum, benignitate Pontificis, privatè in Tribunali cognitum, paucis præsentibus, Carnifici traditum fuit, qui illud coram testibus, & Tabellario, ubi fæx ista hominum sepeliri solebat, humaret.*

LVII.

VRBANVS. VIII. PON. MAX. A. XVIII. *Caput detectum*; *in pluviali SS. Petri, & Pauli protomæ*: *Omnia intra lauream coronam, apibus ludentibus distinctam*; *subtus*: G. M. P. 32.

FERRI. FODINIS. APERTIS. MDCXXXXI. *Effossores, calcarii, aliique ministri ferro igni imponendo intenti*; *in exergo*: ROMÆ. *Omnia intra coronam*. [3]

LVIII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XIX. *Caput nudatum*; *in pluviali expressa est Beata Virgo cum Puero Jesu, intra lauream coronam*.

FERRI. FODINIS. APERTIS. MDCXXXXI. *Eadem postica, ac in superiori Numismate*. [3]

In Catalogo Numismatum *Vossiano* pro anno XVIII., vel XIX. malè adnotatus est XVII., qui MDCXLI. non respondet. Urbano VIII. Pontifice, ferrifodinæ aliquot repertæ sunt in agro oppidi *Trebulæ*, nunc *Monte-Leone*, *Nursinæ* ditionis, in monte, quem appellant *Terrargo* [b]. Officinæ ad hoc artificium, constructæ sunt, stratæque viæ, ad *Scheggini* vicum, at paucos post annos, Alexandro VIII. Pontifice, fodinæ exhaustæ quum fuerint opificium desiit.

a *In Vita post Plat. tom. 2. pag. 718.*
b *Bonann. Num. Pont. tom. 2. pag. 595.*

Digitized by Google

LIX.

42. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XVIII. *Caput denudatum, cum pluviali arabici operis*; *inferiùs*: G. M. *Omnia intra coronam*.

DOMINE. QVIS. SIMILIS. TIBI. *Salvatoris protome*. [4]

Aliàs hujuſcemodi Numiſma explicuimus.

LX.

43. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudatum*: *SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli capita in pluviali*.

MATER. MISERICORD. SAONA. *B. Virgo coronata in vertice Montis*; *ante eam Paſtor genua flectit*. [5]

B. M. Virgini, cujus imago Paſtori in monte Saonenſis agri per viſum apparuit, templum erectum eſt in eodem loco, quod accolæ ſumma religione frequentant. Numiſmatis forma oblongum circulum exprimit.

LXI.

27. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XIX. *Effigies cum pileolo, & brevi pallio*; *infra*: 1642.

VBERIORI. ANNONÆ. COMMODO. *Ædificium*. [4]

LXII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XIX. *Effigies, capite detecto, cum pluviali, in quo Beatiſſima Virgo, cum Puero Jeſu*.

Eadem poſtica. [4]

Præter ea, quæ Urbis comoditati conſtruxit Paulus V., alia horrea Urbanus VIII. adjecit ad Portam Piam, *Marco Antonio Andreuccio* Architecto [a]. In ſuperioribus Numiſmatibus hæc horrea conſpiciuntur, quæ Urbani opus eſſe, conſtat etiam ex epigraphe, annum præſeferente MDCXXXIX., Pontificatus XVIII. [b]

LXIII.

22. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XX. *Caput detectum*; *In pluviali viri ſtantis Icon*.

ADDITIS. VRBE. PROPVGNACVLIS. *Romanæ Urbis Mœnia propugnaculis munita, intra lauream coronam*. [3]

LXIV.

23. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XX. *Caput detectum, pluviale arabicè contextum*.

ADDI-

a *Baglione Vite de' Pittori pag.* 180.

b *Roma Modern. tom.* 2. *pag.* 131.

ADDITIS. VRBE. PROPVGNACVLIS. *Eadem penitùs postica, ac numero superiori.* [3]

In utroque Numismate Mœnia exprimuntur, quibus Urbanus Janiculenses colles a Vaticanis aggeribus Pauli III. ad Portam Aureliam Urbi adjecit, & Transtyberinam Regionem novo ambitu circumsepsit [a], præfecto operi Cardinali Maculano.

LXV.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XX. — ROMA. *Caput detectum, S. Petri protome in pluviali expressa; in imo:* GAS. MOL. 49.

S. ELISABETH. REGINA. LVSITANIAE. *Sanctæ hujus protome Monialium more indutæ, Regiâ coronâ redimitæ, & aureolâ, circa quam:* A. DEO. SANCTIFICATA. [5]

S. Elisabeth Aragoniæ Regis filia, uxor Dionysii Lusitaniæ Regis, in cœlum anno Domini MCCCXXXVI. migravit: cultum, quo semper ipsam prosequuti sunt Christifideles, auxit Urbanus VIII. anno MDCXXV., illam Sanctorum fastis adscribens. Eminentissimus *Prosper* Cardinalis *de Lambertinis*, nunc BENEDICTUS XIV. P. O. M. [b] animadvertit, nullibi exstare Constitutionem, in qua S. Elisabethæ Canonizatio recenseatur. In ejusdem Sanctæ Reginæ Vita legitur, Urbanum hujus Canonizationis solemnitatem celebrasse festo die SS. Trinitatis, quo anno in eandem diem incidit festum S. Urbani Papæ, & Martyris. Numisma est formâ circuli oblongi.

LXVI.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XX. — ROMA. *Caput nudatum, pluviale arabici operis.* 47.

MONSTRA. TE. ESSE. MATREM. *B. Virgo cum Diademate; Puer Jesus in ulnis; ambo lunâ bicorni circumdati.* [5]

LXVII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo figura stans.* 45.

REGINA. ANGELORVM. *B. Virgo coronata cum Puero Jesu in sinu, qui manu Orbem Terrarum tenet, alterâ benedicit: In inferiori parte nubes, e quibus Lunæ cornua emergunt.* [4]

Hh 2 LXVIII.

a *Carlo Padredio. Misura di Roma. pag. 25.*

b *In peruditο opere de Beat. Serv. Dei, & Beator. Canoniz. lib. 1. cap. 9. n. 11.*

LXVIII.

46. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Effigies*, *ut supra*.

ECCE. ANCILLA. DOMINI. *B. Virgo sedens*, *& Angelus genuflexus eam salutans*; *in exergo*: FLOREN. [4]

Singulari cultu B. Dei Genitricem Urbanus prosequutus est, præcipuè verò ad pietatem excitabatur, quum orabat ante ejus iconem ea forma expressam, quæ Florentiæ colitur in Templo ejusdem, Annunciatæ ab Angelo Virginis nuncupato, quamve Angelorum opera pictam ferunt; Hanc Urbanus Numismati insculpi jussit, indeque occasio orta est, de veritate hujus traditionis disserendi: quid eruditi Scriptores senserint, refert Cl. Lamius [a].

LXIX.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XXI. *Caput detectum*, *cum pluviali*, *in quo S. Petri protome*; *Inferiùs*: G. M.

AVCTA. AD. METAVRVM. DITIONE. *Mulier sedens laureâ coronâ redemita*, *& galeata*, *hastam lævâ*, *Vaticanum Templum sustinet dexterâ*: *in exergo*: ROMAE. [4]

Huic simile Numisma primis Urbani Pontificatus annis cusum, quum forte de futura Ducatus Urbini accessione, seu devolutione, ut ajunt, ad Cameram Apostolicam, inter Franciscum Mariam ultimum Ducem, & Pontificem ageretur, renovatum fuit, quum Dux obiit. Sic in Pontificis Vita [b] scribitur: *Tantâ is prudentiâ egit cum Francisco Maria de Rubere Duce Urbinati moribus sanctis, vitaque inlibatâ satis claro, de Urbinatensis Ducatus post Ducis mortem ad Ecclesiam reversione, ut omnibus dissidiorum seminibus sublatis, mortuo Duce, summa quiete eo Ducatu potitus sit*. Hac de caussa etiam percussæ sunt aliquot Denariorum species, vulgo *Testoni*, Pontificis VIII., & IX. anno notatæ.

LXX.

39. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. AN. XXI. *Effigies cum pileolo*, *& brevi pallio*; *infrà*: G. M.

MONAST. INCARNATIONIS. IESV. CHRISTI. *Tres Apeculæ*; *in medio cor duplici laureo ramo circumdatum*; *in eo verò*: V. C. F. E. *hoc est*: Verbum caro factum est. [4]

In Quirinali monte anno MDCXXXIX. Urbanus Monialium Cœnobium fundavit sub regula Carmelitarum, a Cœnobio Florentino S. M. de An-

a *In Ephemer. Flor.*

b *Post Platin. tom. 2. pag. 737.*

Angelis accitâ Sorore *Innocentia*, & Sorore *Maria Gratia*, Caroli *Barberini* Fratris filiabus, quæ Fundatrices essent [a]. Ecclesiam, in cujus fundamentis hoc Numisma jactum fuit, ad idem Monasterium exstruxit, & x. Kal. Novembris anni MDCLXX. consecravit Franciscus Cardinalis *Barberinus* earundem piarum Monialium frater. Architecto usus est Paolo *Pichettio*, & Hiacynto *Brandio* Pictore [b].

LXXI.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. A. XXI. *Caput nudatum, cum pluviali arabici operis*.

ANNA. COL. PHIL. COL. DVCIS. PAL. ETC. FILIA. VXOR. THAD. BARB. VR. PRAEF. VRB. VIII. NEP. ETC. AED. COELI. REGINAE. IN. SIGNV̄. SVAE. PIET. D. 1643. *in vertice Columnæ, supra quam apis in medio duplicis laurei ramunculi. Epigraphe hæc sic legenda est*: Anna Columna Philippi Columnæ Ducis Paliani, &c. Filia, Uxor Thadæi Barberini Urbis Præfecti, Urbani VIII. Nepotis, &c. Ædem Cœli Reginæ in signum suæ pietatis dicavit. 1643. [3] 51.

Urbanus ab Anna Columna fratris filii Thadæi uxore rogatus, locum dari jussit in via *Longaria*, ubi Cœnobium exstrui posset Sacris Virginibus, sub regula Carmelitarum Excalceatorum: Ejus ædificii primus lapis positus IV. Kal. Decembres anni MDCXLIII. ab Hieronymo Cardinali *Columna Annæ* fratre. Anno tandem MDCLIV. perfecto Cœnobio, & proxima Ecclesia, operâ Francisci *Contini* Romani Architecti, tres ex S. Ægidii Cœnobio Moniales ad novum Monasterium instituendum solemni ritu translatæ sunt [c].

LXXII.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Eadem effigies, ac numero, qui præcessit*. 44.

XPS. REX. VEN. IN. PACE. ET. DEVS. HOMO. FACTVS. EST. *Salvatoris protome*. [4]

Quòd nullus in Numismate adnotetur annus, rationem, qua cusum fuit, haud facilè adsignaverim. Forte cusum est, ut in festo Nativitatis Domini, distribueretur.

LXXIII.

a *Roma Moderna pag.* 136.
b *Titi le Pitture di Roma*.
c *Roma Moderna tom.* 2. *pag.* 287.

Digitized by Google

LXXIII.

53. VRBANO. VIII. PONT. MAX. SEDENTE. *Apeculæ vice punctorum funguntur. Christus intra Fontem, ante eum aliquot parvi montes.*

ANNO. DOMINI. MDCXXXIX. *Pro punctis adsunt apes. Intra circulum:* MONS. PIETATIS. DE. VRBE. FVNDATVS. [4]

A temporibus usque Pontificis Pauli III. anno MDXXXIX., Johannis *Calvi* Fratris Minoris Observantiæ operâ, institutus est Mons Pietatis, cujus stemma in antica Numismatis parte exprimitur. Insequentes deinde Pontifices redditibus, privilegiisque hunc locum cumularunt. Novissimè Urbanus VIII. ædes auxit, precibus Francisci Cardinalis *Barberini* Montis Protectoris, ut ex marmorea tabula, quæ est in vestibuli pariete. Ædificii Architectus fuit *Paparellius*, Oratorii verò *Mathias de Rubeis*, quo defuncto, adhuc imperfectum *Bizzaccherius* absolvit [a]. Mons ab Equitum deputatorum Collegio, cui præest Ærario Pontificio Præfectus, regitur, & gubernatur.

LXXIV.


55. VRBANVS. VIII. PONT. MAX. *Caput detectum, & pluviale arabici operis.*

S. NILVS, S. BARTH. S. BAS. MAG. *In medio S. Basilius, cum pallio, & Cruce Archiepiscopali; a dextris S. Nilus, oculos ad columnam flammis circumdatam intendens; a sinistris S. Bartholomæus Monachus, librum tenens.* [4]

Vetustum Basilianorum Cœnobium, quod in agro Tusculano situm est, & Crypta-ferrata nuncupatur, Urbanus VIII., & Franciscus Cardinalis Barberinus exornarunt; qua de re Numisma hoc cusum est, in quo *S. Basilius* Ordinis Institutor, *S. Nilus*, qui a Brutiis in Latium venit, & *S. Bartholomæus*, qui idem Cœnobium [b] fundavit sæculo XI., observantur.

Johan-

a *Roma Moderna tom. 2. pag. 354.*
b *Placentin. Palaeograph. Graeca pag. 33.*



JOhannes Baptifta Pamphilius, jam Romanæ Rotæ Auditor, deinde Cardinalis, Pontificatum obtinuit XVIII. Kalendas Octobres anni MDCXLIV., & Innocentius X. dictus eft: obiit VII. Idus Januarias anni MDCLV.; primùmque in Vaticana Bafilica tumulatus eft, deinde in Ecclefia S. Agnetis ad forum Agonale, quam ipfe ædificaverat, cum hac epigraphe:

INNOCENTIVS X. PAMPHILIVS
ROMANVS PONT. OPT. MAX.

I.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. I. *Effigies Pontificis cum pileolo, & pallio brevi.* 4.

VNDE. VENIT. AVXILIVM. MIHI. *Immaculatæ Virginis imago fulgoribus illuftrata, Lunæ falcatæ infidens, duobus Angelis e lateribus genuflexis.* [5]

Singulari Beatam Virginem religione veneratus eft Innocentius X., eique

Digitized by Google

eique Pontificiam dignitatem referebat acceptam [a]. Ea de causa die, quo coronatus est [b] singulis Cardinalibus distribui jussit Numum, quem describimus. Præ cæteris verò coluit ejusdem Beatæ Virginis Conceptionem, ideo frequens ejus symbolum visum est in monetis quum aureis, tum argenteis [c], ipso Pontifice, percussis, quæ ejus anno II., & VIII. notantur.

II.

3. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. ANN. I. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo flores expressi sunt; inferius*: CORMANN.

FRVCTVM. SVVM. DEDIT. IN. TEMPORE. *Crux irradiata inter nubes; e lateribus duo Angeli genibus flexis*. [5]

III.

1.2. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. AN. II. *Effigies cum camaleucio, ac brevi pallio; infra*: MOLA.

FRVCTVM. SVVM. DEDIT. IN. TEMPORE. *Crux radiata, quam duo Angeli sustinent; supernè caput Seraphim*. [5]

Quùm pridie Iduum Septembrium S. Crucis Exaltationis festo Innocentius Pontifex fuisset electus, in rei memoriam utrumque hoc Numisma percussum est: Singulis etiam annis SS. Petro, & Paulo Apostolis sacro die eadem renovata sunt, anni tantum notâ mutatâ.

Hìc notandum est, Pontificum Numismata tempore Exaltationis eorum, vel Pontificatus anno I. cusa, valoris V. aureorum Numorum esse: singulis verò annis pretium augeri; ita ut anno II. sex aureis constent, anno III. septem aureis, & sic deinceps.

IV.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. ANN. I. *Effigies, ut supra*.

OMNIA. AD. VNVM. OMNIA. AB. VNO. *Triangulum æquilaterum*. [4]

Cuique notum est, hoc symbolum SS. Trinitatis esse, cujus providentia reguntur omnia; Epigraphe verò ostendit, Pontificem omnem in Deo fiduciam cum vera spe collocasse.

V.

5. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. AN. I. *Caput detectum, cum pluviali, inferius*: CORMAN̄.

TV.

---

a *Chartar. in Diar. MSS.*

b *Bazatta in Vita post Platinam tom. 2. pag. 748.*

c *Olduinus col. 575. & 660.*

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Christus lavans S. Petri pedes*; *in exergo*: EXEMPL. DEDI. VOBIS. [6]

VI.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. I. *Effigies cum camaleucio*, *& brevi pallio*; *infra*: MOLA. 6.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *S. Petrus sedens*, *Christusque aquam in craterem effundens*, *in quo S. Petrus pedes mergit*. [6]

VII.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. III. *Effigies*, *cum camaleucio*, *& palliolo*.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Eadem postica*, *ac supra*. [6]

Numismata hæc percussa sunt, ob pedum lotionem peragi solitam Feria V. in Cœna Domini. Alia potuissem adducere, in quibus subsequentes anni sunt signati; sed id brevitas vetuit.

VIII.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. AN. II. *Caput nudatum*, *pluviale arabici operis*. 9.

IVSTITIA. ET. CLEMENTIA. COMPLEXÆ. SVNT. SE. *Duæ Mulieres amplexibus sese excipientes*, *& scutum*, *hastamque habentes*. [5]

Epigraphem, & Emblema hisce similia aliàs adduximus. In quibusdam hujus Pontificis Denariis, quos *Testoni* dicimus, annis I., & II. percussis, legitur: IVSTITIA. ET. PAX. OSCVLATÆ. SVNT. Quum Numisma, tum Denarius pacem denotare possunt sub Urbano VIII. initam, sub Innocentio firmatam, qua sublata est de Castrensi Ducatu controversia. Innocentius, ad preces Parmensis Ducis, & Hispaniarum Regis officiis, precarium, seu utile, ut ajunt, ejus Ducatus dominium soluto pretio redemit; rebellem verò Castri urbem solo æquavit.

IX.

INNOCENTIVS. X. PON. MAX. AN. X. *Effigies cum camaleucio*, *ac brevi pallio*: *subtus*: G. M. 24.

AEDIFICAT. ET. CVSTODIT. *Ædium frons*; *in area Pontificium stemma a duobus Angelis elatum*. [4]

X.

INNOCENT. X. PONT. MAX. A. V. *Effigies cum camaleucio*, *& brevi pallio*. 25.

AEDIFICAT. ET. CVSTODIT. *Ædium Capitolinarum Senato-*

ris Urbis frons, conspectusque Equi aenei, aediumque lateralium; inter nubes parvum Pontificis stemma a binis Angelis elatum. [4]

Capitolinas aedes in dextra areae parte a Clemente VIII. aedificari coeptas, Innocentius X. absolvit, Architecto Equite Hieronymo *Rainaldo*, qui *Bonarrotii* [a] typum est exequutus. In rei memoriam S. P. Q. R. Innocentio aeneam statuam in ejusdem Palatii aula erexit, quam Algardus fudit [b]. In horum Numorum primo annus, quo aedificium incoeptum, in secundo annus, quo perfectum est sub Innocentio, notatur.

XI.

12. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. AN. II. *Effigies capite nudato, cum arabici operis pluviali.*

Porta, per quam duo peregrini ingrediuntur; e lateribus verò duo Angeli flexis genibus: supernè Spiritus Sanctus eosdem irradians; omnia intra lauream coronam. [5]

Praesens Numisma ante tempus cusum est ad indicendam Portae Sanctae Reserationem ob annum Jubilei MDCL. Annus II. anticae inscriptus incidit in Christi MDCXLV., & MDCXLVI.

XII.

20. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. AN. III. *Caput detectum, cum pluviali, in quo SS. Petrus, & Paulus duobus oblongis circulis expressi; subtus:* G. M.

DECOR. DOMVS. DOMINI. *Interior Basilicae Lateranensis adspectus; in exergo:* MDCXLVII. [5]

XIII.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. AN. X. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; subtus:* G. M.

DECOR. DOMVS. DOMINI. *cum eodem emblemate.* [5]

Utrumque Numisma exponam verbis Equitis Antonii *Bagattae* latine redditis [c]. *Eodem anno* MDCXLVI. *Innocentius Basilicae Lateranensis novum aedificium auspicatus est, qua de re Numisma cusum fuit, Pontificis effigiem referens, & Basilicam, cum hisce litteris:* DECOR. DOMVS. DOMINI. In parietibus Templi SS. Silvestri, & Martini in Exquiliis hujus Basilicae interior adspectus diligentissime tectorio colore expressus visitur. Columnis totum fulciebatur aedificium; majores e libyco marmore altiores muros mediani laquearis

a *Baglioni Vite de' Pittori pag. 55.*
b *Roma Modern. pag. 5. 9.*
c *In Vita Pontificis post Platinam tom. 2. pag. 752.*

ris ſuſtentabant; harum aliquæ, pilarum muris, ut firmiores eſſent, circumclauſæ ſunt, reliquæ amotæ. Minores verò ex Lacedæmonio marmore viridi, quibus depreſſiores parietes ad latera Baſilicæ inſidebant, pars ſtatuarum ſedibus, quas Clemens XI. in eadem Baſilica collocavit, ornamento ſunt, aliæ a Canonicis Gallorum Regi Ludovico XIV. dono datæ, ſex ab Alexandro VII. Senas transvectæ, quibus ſuæ familiæ Sacellum decoravit, demum duæ in ara S. Andreæ Corſini nuper collocatæ ſunt. Borrominus Pontificis juſſu opus perficiendum ſuſcepit, de quo Berninus, aliique deſperaverant, quippe rati, haud fieri poſſe, ut quinquepartita Baſilica quaquaverſus illuminaretur. Inſcripti lapides, quos Canonici in Innocentii honorem variis Baſilicæ locis poſuerunt, innuunt, perfectum fuiſſe ædificium anno MDCL. Pontificatus ejuſdem VI.; ſed hoc falſi arguitur ex poſteriori Numiſmate, quod apud *Cornazzanium* vidi, in quo annus X. notatur.

XIV.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. III. *Caput nudatum, cum pluviali floribus conſperſo*; *ſubtus*: F. TRAVANVS.

Abſque poſtica. [4]

Plumbeum hunc Numum *ὁ ἐν ἁγίοις* Franciſcus *Valeſius* conſiderandum mihi tradidit.

XV.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. IIII. *Effigies cum camaleucio, & palliolo*; *ſubtus*: G. M. 21.

VATICANIS. SACELLIS. INSIGNITIS. *Partis mediæ Baſilicæ Vaticanæ adſpectus interior*. [5]

Audi, quæ ſupra laudatus Eques *Bagatta* [a] de hoc Pontifice narrat: *Novo, & magnifico ornatu Vaticanam Baſilicam marmoribus decoravit, & ante centenos annos cœptum opus perfecit, cuſo Numiſmate, in quo inſcribi juſſit*: VATICANIS. SACELLIS. INSIGNITIS. Quum Jubilei annus inſtaret, Bernino Architecto, pilarum latera marmoreis puerorum ſignis, Pontificumque imaginibus ornavit. Marmoratum cameris induxit Marcellus Provenzalius [b].

XVI.

INNOCENTIVS, X. PON. MAX. AN. V. *Caput nudatum cum pluviali, in quo ſupplicatio*. 27.

a *Ubi ſupra*.

b *Bonanni Templ. Vatican. Roma Moderna pag.* 432.

ABLVTO . AQVA . VIRGINE . AGONALIVM . CRVORE . *Lacus Fori Agonalis* . [5]

XVII.

26. INNOCENTIVS . X . PON . MAX . A . VI . *Caput nudatum , cum pluviali , in quo Immac. Virginis Conceptio* ; *subtus* : G . M.

ABLVTO . AQVA . VIRGINE . AGONALIVM . CRVORE . *Forum Agonale cum Lacu* . [5]

XVIII.

INNOCENTIVS . X . PONT . MAX . A . VII . *Effigies Pontificis , cum triplici Regno , & pluviali , in quo Immacul. Virginis Conceptio* ; *subtus* : G . M.

ABLVTO . AQVA . VIRGINE . AGONALIVM . CRVORE . *Eadem postica* . [5]

Posteriori huic Numismati pro anno VII. octavus , mea sententia , inscribendus est . Anno MDCXLVII. Innocentius X. Lacum eximiæ artis , *Berninio* Architecto , in Foro Agonali fecit . Supra Lacum[a] Obeliscum posuit , e Circo *Caracallæ* translatum . Hic affabre elaboratis scopulis imminet , qui quadrifariam dispertiti aquas e Trivii Castello deductas , ad speciem earum , quæ sponte e rupibus fluunt , in subjectum labrum emittunt , intra quod marinæ belvæ , & angues e Tyburtino lapide visuntur . Iisdem scopulis quatuor insident marmorea simulacra Fluviorum[b] , qui in totidem Orbis partibus majores habentur[c] .

XIX.

10. INNOCENTIVS . X . PON . MAX . AN . V . *Caput nudatum , cum pluviali , in quo supplicatio repræsentatur* .

VT . THESAVROS . ANNI . SANCTIORIS . TECVM . APERIAM . *S. Petrus insidens nubibus , librum dextrâ tenens , clavesque elatas lævâ* . [4]

XX.

INNOCENTIVS . X . PONT . MAX . AN . X . *Effigies cum camaleucio , & brevi pallio* ; *subtus* : G . M.

VT . THESAVROS . ANNI . SANCTIORIS . TECVM . APERIAM . *Eadem postica* . [4]

Hæc postica diversimode est cusa ; in antica error cusoris manifestè deprehenditur , qui annum x. pro quinto apposuit . Numisma anno MDCXLIX.

a *Oldoin. col. 160.*
b *Bagatta in Vita post Platin pag. 751.*
c *Roma Moderna pag. 362.*

MDCXLIX. cusum fuit, quum Jubileum indictum fuit Adscensionis Domini festo die [a], editæque leges Anno sanctiori servandæ.

XXI.

INNOCENTIVS. X. PON. MAX. A. VI. *Caput triplici corona ornatum, cum pluviali, in quo Immac. Virginis Conceptio.* 13.

ET. PORTÆ. COELI. APERTÆ. SVNT. *Porta Sancta, supra quam Spiritus Sanctus in medio duorum lauri ramorum, e lateribus duo lilia; subtus:* ROMÆ. MDCL. *& lilium.* [4]

XXII.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. VI. *Effigies cum camaleucio, & palliolo.* 12.

ET. PORTÆ. COELI. APERTÆ. SVNT. MDCL. ROMA. *Eadem postica.* [5]

Hæc Numismata adludunt ad Portam Sanctam Basilicæ Vaticanæ magnâ solemnitate ab Innocentio X. referatam IX. Kalendas Januarias anni MDCL. Aliarum Basilicarum Portas, ab eodem mandato accepto, referarunt Cardinales *Lanti*, *Columna*, & *Maldachinus*.

XXIII.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. IVB. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo S. Paulus; subtus:* MDCL. G. M. 11.

OSTIVM. COELI. APERTVM. IN. TERRIS. *Pontifex solemniter Portam Sanctam referans.* [4]

XXIV.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. IVB. *Caput nudatum, cum pluviali arabici operis.* 14.

Porta Sancta, supra quam Statua; in medio Spiritus Sanctus; e lateribus duo rami laurei, & tria lilia. [4]

XXV.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. AN. IVB. MDCL. *Caput cum Regno, & pluviali, in quo Sancti Icon.* 15.

LAVDENT. IN. PORTIS. OPERA. EIVS. MDCL. *Pontifex, multis Episcopis comitatus, Portam Sanctam claudens.* [4]

XXVI.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. VII. *Effigies, ut supra. Infra:* G. M.

LAVDENT. IN. PORTIS. OPERA. EIVS. MDCLXXV. *Eadem postica, in qua error in Epocha.* [5]

XXVII.

[a] *Ex Diar. MSS.*

XXVII.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. VII. *Effigies, ut in superioribus.*

LAVDENT. IN. PORTIS. OPERA. EIVS. *Eadem postica, ac in precedenti.* [6]

XXVIII.

17. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. VII. *Eadem effigies cum triplici corona, ut supra.*

APERVIT. ET. CLAVSIT. AN. IVB. MDCL. *Porta Sancta clausa.* [6]

XXIX.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. IVB. MDCL. *Eadem effigies.*

APERVIT. ET. CLAVSIT. AN. IVB. MDCL. *Porta Sancta clausa, intra coronam lauream.* [5]

XXX.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. IVB. MDCL. *Eadem effigies.*

APERVIT. ET. CLAVSIT. ROMÆ. *Porta Sancta clausa.* [4]

XXXI.

16. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali arabici operis.*

ANNO. IVBIL. MDCL. *Porta Sancta clausa; in exergo:* ROMA. [6]

Omnia hæc Numismata cusa sunt anno Jubilei MDCL. de quo sic Eques *Bagatta* sæpiùs memoratus [a]: *Anno* MDCXLIX. *exeunte, Portam Sanctam Vaticanæ Basilicæ aperuit* (Innocentius X.), *Jubileum indixit, & Numisma percussit cum epigraphe;* OSTIVM. COELI. APERTVM. IN. TERRIS. *Sex Juliorum Vectigali subditos levavit, quod ex quolibet modio frumenti moliti exigebatur. In usus pauperum erogari jussit multatitiam pecuniam, quam dicunt* delle Componende, *quæve plura conflabat Numerum millia. Anno Jubilei feliciter exacto, eandem Portam Sanctam clausit, primo posito lapide, cum epigraphe:* LAVDENT. IN. PORTIS. OPERA. EIVS.

XXXII.

8. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. VII. *Effigies, cum Regno, ac pluviali, in quo Immac. Virginis imago; subtus:* G. M.

FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA. *Pater Æternus nubibus insidens, orbem terrarum manu tenet.* [4]

Hoc Numisma aliqui cusum existimant, quum pax *Monasterii* inter Im-

a *In Vita post Platinam tom. 2. pag. 753.*

Digitized by Google

Imperatorem, & Suecorum Regem inita est; sed quum Innocentius Constitutione [a], quæ incipit, *Zelus Domus Dei*, damnaverit Pacem hanc; eaque anno MDCXLVIII. signata sit, Numisma verò annis MDCL. & MDCLI. cusum; bellum potius Italicum indicabit inter Hispanos, & Gallos, quorum dissidia, ut componeret, *Æmilium* Cardinalem *de Alteriis* Pontifex legavit.

XXXIII.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. A. VII. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 23.

AGNETI. VIRGINI. ET. MARTYRI. SACRVM. *intra coronam lauream.* [4]

XXXIV.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. *Effigies, ut supra; subtus verò*: G. M. ANNO. X. 22.

D. AGNETI. VIRGINI. ET. MART. SACRVM. *Templi frons.* [4]

Vetus ad circum Agonalem fuit Sanctæ Agnetis Ecclesia, ubi fornices erant, ad quos Sancta Virgo adacta, Angeli tutela incolumis servata est [b]. Eo loco Innocentius novum Templum excitavit in ejusdem S.Virginis honorem, Borromino totius ædificii Architecto [c], qui perfecit vivo adhuc Pontifice interiores muros, & ornatus, testudinem, cameras, &, frontem ad coronam usque. Mortuo Pontifice Camillus Princeps Pamphilius Pontificis Fratris filius Borromino jussit, ut Turres, quæ fronti imminent, proceriores faceret. Sed Architectus, ut qui pervicaci erat ingenio, nolle se inquit probato a Pontifice operi quidquam detrahere, quare Princeps Raynaldo mandavit, ut Turres, & Tympani frontem ad novum modulum ædificaret. Altarium marmoreas tabulas anaglyptico opere elaborarunt Franciscus de Rubeis, Hercules Ferrata, Dominicus Guidius, Antonius Raggius, aliique Sculptores præstantissimi, quos tamen omnes superavit Algardus Anaglyphi Auctor, quod in hypogei ara visitur. Is S. Virginis, quum ad lupanar duceretur, simulacrum expressit, nudo corpore, eoque elegantissimo, sed pudibundo admodum ore, gestuque composito, ut ad pietatem animos intuentium inducat. Tholum, quem Cyrus Ferrus optimis lineamentis, sed invenustis pig-

a Bullar. pag. 507. num. 38.
b Martinellius Roma Sacra.
c Roma Moderna pag. 362.

pigmentis obduxerat, Corbellius, dum perficere ausus est, misere fœdavit. Angulos Tholo subjectos Jo: Baptista Gaullus egregiè pinxit. Primum Templi lapidem Innocentius posuit anno MDCLII. & quod numero XXXIII. dedimus Numisma in fundamenta jecit [a].

XXXV.

7. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali arabici operis.*

S. PETRVS. APOST. *S. Petri protome.* [5]

XXXVI.

18. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo Icon stans.*

S. PAVLVS. APOSTOLVS. *S. Pauli protome.* [5]

Numismata hæc cusa sunt in honorem Principum Apostolorum, ut distribuerentur forsan eorum festo die.

XXXVII.

19. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. AN. XI. *Effigies cum camaleucio, & palliolo; subtus:* G. M.

REPLEVIT. ORBEM. TERRARVM. *Spiritus Sanctus cum radiis intra coronam lauream.* [5]

Duplex hujusce posticæ modulus exstat, quorum alter altero major est. Annus XI. pro IX. Artificis errore in antica adnotatus est. Si fides habenda est R. P. *Bonannio* [b] S. J., denotatur hìc proscriptio V. Propositionum Cornelii *Jansenii* Iprensis Episcopi de Dei Gratia, ab Innocentio anno MDCLIII. Pontificatus IX. promulgata [c]; Is enim ait, inter aliquot schedas hæredum *Gasparis Molæ* cusoris se adnotatum reperiisse, nonnisi hac occasione Numisma fuisse cusum.

XXXVIII.

28. INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, & palliolo.*

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. *intra fasciam rosis ornatam; in medio Portus Centumcellensis, in quo aliquot triremes.* [4]

Evectio ad solium Innocentio X. (inquit *Oldoinus* [d]) *Camillus Nepos copiarum S. R. E. Generalis Dux renunciatus, Centumcellis usus con-*

---

a *Bagatta ubi supra pag. 735.*
b *Numis tom. 2. pag. 628.*
c *Oldoin. col. 664. Bagatta in Vita pag. 754.*
d *In Vita col. 667.*

construendarum triremium primus induxit; Nam antea vel Romæ construebantur, vel ab exteris coemebantur. Ad hoc exprimendum cusum esse Numisma existimo.

XXXIX.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX. *Effigies, ut supra*. 29.
IESVS. ET. MARIA. SINT. NOBIS. IN. VIA. *Salvatoris, & B. Virginis Icones*. [5]

Privatâ quisquam auctoritate fudit hoc Numisma, ut putat *Bonannius* [a], ob Jubileum anni MDCL.



a *Numism. tom. 1. pag. 640.*



Cardinalis *Fabius Chisius* Senensis electus fuit VII. Idus Apriles anni MDCLV.; nomenque assumsit *Alexandri* VII. Obiit XI. Kalendas Junias anni MDCLXVII., sepultusque est in Vaticana Basilica magnifico sepulchro, Equitis *Berninii* opere, hac inscriptâ epigraphe.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX.

I.

41. 42. ALEXANDER. VII. CHISIVS. SENENSIS. PONT. OPT. MAX. A. I. *Effigies Pontificis cum pileolo, & palliolo.*

ALEXANDER. VII. CHISIVS. SENENSIS. PONT. MAX. ANNO. II. CREATVS. *Pontificis Insignia, Quercus, & sex Montes, supra eos Stella.* [1]

II.

45. ALEXANDER. VII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero I.*

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. ANNO. MDCLXIV. *Sex Montes cum Stella: superiùs verò Tiara Pontificia cum infulis.* [4]

Pri-

Primum Numiſma fuſum eſt, alterum cuſum, quod vidi abſque verbo OPT*imus*, quod *Bonannius* apponit. Vera Inſignia Gentis *Chiſiæ* Montes, & Stella ſunt, Quercum ſtemmati addidit Auguſtinus Chiſius, Julii II. privilegio. Ditiſſimum hunc virum beneficiis cumularunt Julius, & Leo X.[a], quorum familiaris fuit. Poſtremis Alexandri annis Chiſiorum ſtemmata ſine quercu viſa ſunt.

III.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. AN. I. MDCLV. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo orantis viri icon; ſubtus*: G. M. 3.

VIVO. EGO. IAM. NON. EGO. *Salvatoris ſimulacrum dextrorſum*. [5]

Triplici modulo cuſum vidi præſens Numiſma; quod diſtributum eſt populo, quum Alexander Pontificatum auſpicaretur, qui forte his D. Pauli verbis oſtendit, quem ſe futurum ſperaret.

IV.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. AN. I. MDCLV. *Effigies, ut ſupra*. 6.

IVSTITIA. ET. PAX. OSCVLATÆ. SVNT. *Juſtitia galeata, enſe diſtricto; & Pax laureâ corona redimita, laureumque ramum habens; ambæ ſe viciſſim amplexantur*. [5]

V.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. I. *Effigies cum camaleucio, & palliolo; in ima parte*: G. M.

Eadem poſtica; in exergo: ROMA. [5]

In aliis duobus Numiſmatibus eandem hanc poſticam vidi, quæ tamen inter ſe differunt anticâ parte, in qua legitur: ALEXANDER. VII. PONT. OPT. MAX.

Vix ad Pontificatum aſſumtus Alexander, ad conciliandos Galliæ, & Hiſpaniæ Reges animum adjecit[b], ut ipſos ad bellum adverſus Turcas incitaret: Ideo pacem, per quam juſtum bellum parari poſſet, hoc Numiſmate expreſſam voluit.

VI.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero ſuperiori*. 5.

PAX. VOBIS. *Salvatoris ſimulacrum ſiniſtrorſum*. [5]

Kk 2 Hoc

a *Jo: Palat. in Emblem Victorell. &c.*

b *Bagatta in Vita poſt Platinam pag. 761.*

Hoc etiam Numiſma ſpem Pontificis deſignat, ſuis ſtudiis pacem inter Chriſtianos Principes conciliandi.

VII.

1.2. ALEXANDER. VII. PONT. MAX. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali, in quo Montes, & Stella, Pontificis ſtemma.*

OMNIA. AD. VNVM. OMNIA. AB. VNO. *Triangulum intra circulum.* [4]

VIII.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. I. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; ſubtus:* I. F. T. F. Jo. Franc. Travanus fecit.

Eadem poſtica. [4]

Pauca cum hac poſtica exſtant Numiſmata, ejus enim formæ, cuſis aliquot diſruptæ ſunt. Simile *Molinetius* refert [a], in quo nomen Dei Hebraicum *Ieovà*. In omnibus exprimitur gratus Pontificis animus erga Deum ob beneficia ab eo recepta.

IX.

9. ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. II. MDCLVI. *Effigies, ut ſupra; ſubtus verò:* G. M.

FEL. FAVS. Q. INGRES. *Portæ Flaminiæ, & Eccleſiæ S. Mariæ de Populo adſpectus, ac Equitum acies.* [4]

Duo alia Numiſmata, quæ conſpexi, hanc poſticam habent, quorum alterum in antica caret anno, alterum verò, quod & in Ovverbechii antiquitatibus viſitur, epigraphem habet cum anno III. nempe: ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. III. ſubtus: G. M. Cuſa ſunt, quum Chriſtina Suecorum Regina anno MDCLVI. Alexandri VII. Pontificatus II. [b] Romam ingreſſa eſt. Ingreſſum hunc accuratiſſimè deſcripſere Eques Galeatius Gualdus, & Chartarius [c]. Portam Flaminiam, quam *Populi* dicunt, Pius IV. ornari juſſit a Vignola ad Bonarrotii delineationem. Alexander VII., Berninio Architecto, poſticum Portæ parietem opere lateritio elegantiſſimo perfici juſſit [d], inſcripta marmori epigraphe: FELICI. FAVSTOQVE. INGRESSVI. nempe, Suecorum Reginæ Chriſtinæ. Ad rem ſignificandam encarpum apponi juſſit quernis foliis, & ſpicis contextum, Quercus enim Pontificis, Spicæ verò Sueciæ Regni ſunt ſtemmata.

X.

a *Numiſm. pag. 138.*
b *Bagatta in Vita pag. 761. poſt Platinam tom. 2.*
c *Diar. MSS.*
d *Roma Moderna pag. 224.*

Digitized by Google

X.

ALEXANDER . VII. PONT. MAX. A. III. *Effigies capite detecto, cum pluviali, in quo Angelus Crucem, & Calicem tenens; subtus:* G. M. 11.

VT . VMBRA . ILLIVS . LIBERARENTVR. *Angelus alatus fugiens, ensem instar fulminis dextera, caput hominis lævâ tenet: multi infirmi ante Basilicam Vaticanam; supernè S. Petrus.* [4]

XI.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. III. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; subtus* A. H. 10.

POPVLVM . RELIGIONE . TVETVR. *Angelus, in cujus læva frænum, & Crux, in dextra Evangeliorum liber, mortem pedibus premit.* [4]

Hæc Numismata cusa sunt, ut omnibus manifesta fieret Pontificis vigilantia, pietasque, quæ tunc potissimùm enituerunt, quum pestis Romæ anno MDCLVI. eò grassata est, ut ad XV. hominum millia obierint [a]. Alexander enim Beatissimæ Virgini vovit, in illius honorem Templum se erecturum, si a Populo iram Dei averteret: hæc secundum significat Numisma, primum enim (cui simile, cum camaleucio in antica vidi) ad Apostolorum principem Romæ Patronum spectat. Exstinctâ peste, solemnes indictæ sunt supplicationes ab Ecclesia S. Mariæ in *Aracæli*, ad Sanctæ Mariæ in Porticu [b]. Pontificis vigilantia publicâ meruit epigraphe celebrari a S. P. Q. R. in tabula marmorea, quæ in Capitolio adhuc exstat.

XII.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. III. *Caput nudatum, cum pluviali, in quo S. Petri effigies intra circulum oblongum.*

EXEMPL. DEDI. VOBIS. *Christus Apostolorum lavans pedes.* [5]

XIII.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 4.

TV . DOMINVS. ET. MAGISTER. *Christus S. Petri lavans pedes; in exergo:* EXEMPL. DEDI. VOBIS. [4]

Hæc, aliaque Numismata sequentibus annis cusa, XII. pauperum pedum lotionem exprimunt, quæ a Romanis Pontificibus fieri assolet Feria V. in Cœna Domini, ut pluriès supra diximus.

XIV.

a *Bagatta ubi supra tom. 2. pag. 764.*

b *Chartar. in Diar. MSS. an. 1617.*

Digitized by Google

XIV.

7. ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. II. *Effigies cum camaleucio, & palliolo*; *inferius*: G. M.

DA. PACEM. DOMINE. IN. DIEBVS. NOSTRIS. *Templi Pacis adspectus*. [4]

XV.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra, inferius*: G. M.

DA. PACEM. DOMINE. IN. DIEBVS. NOSTRIS. *Eadem postica, ac in præcedenti*. [4]

Templum, quod Pacis dicunt, antea S. Andreæ Aquarenarii dictum est, & Basilicæ S. Laurentii in Damaso commendatum. Sixtus IV. anno MCDLXXXVII. novam Ecclesiam construxit, & B. Mariæ Virgini dicavit, quòd sub veteris Ecclesiæ porticu ejusdem Beatæ Virginis imago esset, quam frequens populus venerabatur, Pacis verò nomen adjectum est eo, quod eodem tempore pax inter Christianos Principes fuerit inita. Eandem Ecclesiam Canonicis Lateranensibus, quos a Basilica Constantiniana amoverat, attribuit [a]. Anno deinde MDCXI. Gaspar *Rinaldus* Romanus absidem principis Sacelli construxit, Iconemque in hoc Thaumaturgam collocavit. Novissimè Alexander VII., ut pacem inter Christianos Principes a B. Virgine impetraret, Ecclesiam instauravit, *Petro Cortonensi* Architecto, qui Ecclesiæ parietes, & cameram ab Antonio Sangallo exstructas ornavit, novam verò frontem singulari opera, artificioque perfecit. Anno MDCLVI. hæc Numismata cusa sunt, Pontificis anno II., quo cœptum est ædificium; Pace verò inita anno MDCLIX., Pontifex in Ecclesia Pacis, Sacrum habuit [b], gratesque Deo reddidit.

XVI.

13. ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. IV. *Effigies cum camaleucio, & palliolo*; *inferius*: G. M.

DILEXIT. DOMINVS. DECOREM. DOMVS. SVAE. *Templi frons*; *in exergo*: S. NICOLAO. [I. 4 5.]

Multa beneficia Alexander VII. contulit in Castrum Gandulphi, quò Majo, Octobrique mensibus Pontifices rusticatum eunt; Forum namque laxavit, & Ecclesiam Parochialem, S. NICOLAO MYRENSI Epi-

a *Donat. lib.* IV. *cap.* 8.
b *Chartar. in Diar. MSS.*

Digitized by Google

Episcopo Thaumaturgo dicatam, diruit [a], eaque sublatâ novam fecit Ecclesiam in honorem Sancti Thomæ de Villanova [b], quæ quoniam acclivi situ ædificata est, qua parte altius muri surgunt, e regione Laci ædiculam S. Nicolao instruxit. Id in Numismate exprimitur; cui similia quatuor vidi, sed minoris moduli, in quibus pro: A. IV., inscriptum est: A. IIII. & V.

XVII.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. ANNO. MDCLXII. *Effigies, cum triplici Regno, & pluviali; in ima parte:* G. F. T. 34.

QVAE. VOVI. REDDAM. PRO. SALVTE. DOMINO. *Templi adspectus.* [1]

Hoc Numisma profert R. Pater *Bonannius*, sed non explicat. Quum Deo vovisset Alexander, Ecclesiam Beatæ Virginis *de Pace* reficere; statim opus aggressus est, Numismate percusso, in quo Templi frons visitur, quamvis paulo diversa ab ea, quæ ædificata est [c].

XVIII.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. V. *Effigies cum camaleucio, palliolo, & stola, in qua B. Virgo cum Puero Jesu.* 15.

THOMÆ. ARCH. VALENT. INTER. SANCT. RELATO. *Templi frons; in exergo:* MDCLIX. [4]

Hoc Numismate expressa est frons Templi [d], quod, ut mox diximus, Alexander in Castro Gandulphi S. Thomæ dicavit. Supra ejusdem porta introrsum sculpta est subjecta epigraphe.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX.
DIVO. THOMÆ. ARCHIEPISCOPO. VALENTINO
INTER. SANCTOS. RELATO
AEDEM. A. SOLO. CONSTRVCTAM
CVIVS. PRIMVM. FVNDAMENTI. LAPIDEM
FLAVIVS. CARD. CHISIVS. FR. F. POSVERAT
PIE. RITEQVE. DEDICAVIT
ANNO. SALVTIS. MDCLXI.

XIX.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. V. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 10.

DI-

a *Oldoin. in Vita. Col. 712.*
b *Bonan. num.* XIV.
c *Idem num.* XV.
d *Bonann. Numism. tom. 2. pag. 612.*

DIVO. NICOLAO. MYRÆ. EPISC. *Templi frons* ; *in exergo:* CASTRI. GAND. MDCLIX. [4]

Hanc frontem, veterem repræsentare Ecclesiæ Parœcialis Castri Gandulphi frontem, supra diximus.

XX.

39. 40. ALEXANDER. VII. P. M. PIVS. IVST. OPT. SENEN. PATR. GENTE. GHISIVS. MDCLIX. *Effigies Pontificis cum camaleucio, palliolo, & stola.*

MVNIFICO. PRINCIPI. DOMINICVS. IACOBATIVS. *Miles in arena, cujus pedes Leo lambet*; *in ima parte*: ET. FERA. MEMOR. BENEFICII. [1]

Numisma hoc maximi moduli fudit *Dominicus Jacobatius*, Patricius Romanus, in sui grati animi erga Pontificem testimonium; Leo ibi visitur Androdo servo alludens, quod pedi infixam spinam sibi dudum eruerit [a]. Idem Numisma a Petro Cortonensi delineatum in ærea lamina viriculo insculpi curavit, addiditque symbola veritatis invidiam conculcantis, ceu ejusdem Numi schemata, quæ Bonannius [b] describit.

XXI.

16. ALEXANDER. VII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

S. Episcopus cum mitra, & pastorali, mulierculæ, & puerulo eleemosynas elargitur. [4]

Percussum eo tempore fuit hoc Numisma, quo in Sanctorum album Alexander Pontifex retulit *Thomam* e *Villanova*, Valentinum Archiepiscopum, anni scilicet MDCLVIII. Kalendis Novembribus. Solemnitas in Vaticana Basilica celebrata æri incisa est, descriptaque a Chartario [c], & Cameræ Apostolicæ Typis impressa.

XXII.

20. ALEXANDER. VII. PONT. OPT. MAX. *Effigies, ut supra*; *in ima verò parte*: G. M.

NAVALE. CENTVMCELL. MDCLX. *Portus, & Munimentorum Centumcellarum adspectus.* [4]

XXIII.

a *Cellius Noctium Atticar. lib. v. cap. 14.*
b *Num. Pontif. tom. 2. pag. 699.*
c *In Diar. MSS.*

XXIII.

ALEXANDER. VII. P. M. PIVS. IVST. OPT. SENEN. PATR. GENTE. GHISIVS. MDCLIX. *Effigies cum camaleucio, & palliolo*; *subtus*: F. F.

NAVALE. CENTVMCELL. *Eadem postica, ac numero praecedenti*. [1]

XXIV.

ALEX. VII. PONT. MAX. A. VI. *Effigies, ut supra*; *Inferiùs*: G. M. 21.

NAVALE. CENTVMCELL. *Idem adspectus*; *inferius*: MDCLIX. [4] Alexander Centumcellis Navale ædificavit, & Nosocomium auxit, in quo triremibus damnati curarentur, molem ad portus aditum Maris adpulsu fatiscentem instauravit, aliaque præstitit, sed minime notatu digna.

XXV.

ALEX. VII. PONT. OPT. MAX. A. VI. *Effigies, & alia, ut numero superiori*. 30.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. FAMIL. PONTIF. COMMOD. ET. PALAT. QVIRIN. ORNAM. AN. SAL. MDCLIX. — ROMÆ. *Adspectus e latere Palatii Pontificii Quirinalis*; *Subtus*: G. M. [5]

Hæc Inscriptio legitur etiam in interiori parte Ædium Familiæ Pontificiæ ad Quirinalem montem; in exteriori verò alia visitur Inscriptio. Ædificii Eques *Berninius* Architectus fuit, qui illud in tres ordines distribuit; in primo Helvetiorum Cohors, in aliis superioribus Domui Pontificiæ Præfectus, Sacrista, Sacri Palatii Magister, aliique e Pontificum familia, diversantur.

XXVI.

ALEX. VII. PONT. OPT. MAX. A. VI. *Eadem effigies*. 31.

OMNIS. SAPIENTIA. A. DOMINO. *Interior adspectus ædium, quas* Sapientiæ *dicunt, sive Archigymnasii Romani*; *in exergo*: MDCLX. [4]

Archigymnasii Romani ædes, quas appellant *Sapientiæ domum*, Leo X. Literarum pater [a], Architecto *Bonarrotio*, construxit, & Sixtus V. perfecit; Alexander verò VII., *Borrominio* Architecto, Ecclesiam ornatissimam instruxit, redditibusque auxit Bibliothecam, in qua *Urbini* Ducum Libros collocavit [b], & *Anicianos*. Hanc

a *Donat. lib.* IV. *cap.* 9.
b *Chartar. in Diar. MSS.*

etiam picturis [a] celebris *Majoli* exornavit. Pontificis Protomen sculpsit *Guidius*. Ecclesia dedicata fuit SS. *Lucæ* Evangelistæ, *Leoni* Pontifici, & *Ivoni* advocato, quos Petrus Cortonensis summa industria expressit in tabula Aræ apposita.

XXVII.

22. ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. VII. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali, in quo S. Petrus in circulo oblongo; inferius:* G. M.
FVNDAMENTA. EIVS. IN. MONTIBVS. SANCTIS. MDCLXI. *Columnarum series areæ ante S. Petri Basilicam, cujus ichnographia inferiùs descripta cernitur.* [4]

XXVIII.

23. ALEX. VII. PONT. MAX. A. VII. *Eadem effigies, ac supra.*
FVNDAMENTA. EIVS. IN. MONTIBVS. SANCTIS. *Eadem postica; in exergo:* MDCLXI. [4]

XXIX.

24. ALEXAN. VII. P. MAX. A. XII. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali.*
FVNDAMENTA. EIVS. IN. MONTIBVS. SANCTIS. *Basilicæ Vaticanæ frons, Obeliscus, duo salientes, & porticus; in exergo:* VATICANI. TEMPLI. AREA. PORTICIBVS. ORNATA. [4]

XXX.

25. ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. XII. *Effigies cum triplici corona, & pluviali, in quo Pontificis Stemma; inferius verò:* G. M.
FVNDAMENTA. EIVS. IN. MONTIBVS. SANCTIS. *Eadem postica.* [4]

XXXI.

ALEX. VII. P. M. VATICANI. TEMPLI. AREA. PORTICIBVS. ORNATA. *Caput Pontificis cum camaleucio, brevi pallio, ac stola floribus ornata.*
FVNDAMENTA. EIVS. IN. MONTIBVS. SANCTIS. *Eadem postica.* [1]

XXXII.

ALEXAN. VII. P. M. VATICANI. TEMPLI. AREA. PORTICIBVS. ORNATA. *Caput, ut supra; in ima parte: 1657.*
FVNDAMENTA. EIVS. IN. MONTIBVS. SANCTIS. *Basilicæ Vaticanæ Porticus absque Salientibus.* [1]

Omnia hæc Numismata percussa sunt quum Alexander aream ante Basilicam Vaticanam laxiorem fecit, & ingentibus utrinque porticibus clau-

a *Baglion. Vite de' Pittori pag. 5.*

clausit, quod tamen opus morte præventus non absolvit, & Clementi IX. perficiendum reliquit. In Romæ descriptione Italico sermone edita anno MDCCXL., hæc habentur [a]. *Alexander VII. tamen hujusce loci* (hoc est, Basilicæ Vaticanæ) *magnificentiam auxit* [b], *area circumdatâ columnis, & porticibus, quarum Berninius Architectus Auctor fuit. Statuas verò* XLIV. *e tyburtino lapide supra porticus Clemens XI. locavit.*

XXXIII.

ALEX. VII. PONT. MAX. A. VII. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali*; *inferius*: 1662. 35.

OSTENDIT. DOMINVS. MISERICORDIAM. IN. DOMO. MATRIS. SVAE. *Templi frons*; *in ima parte*: ARICIAE. [I]

Cernitur in hoc fuso maximi moduli Numismate frons Ecclesiæ *Sanctæ Mariæ* Gratiarum, dictæ de *Galloro*, in agro Aricino. Aricia olim Oppidum, nunc Vicus XVI. ab Urbe lapide distans, ad Gentem *Ghisiam* pertinet. Inscriptio, quæ in Ecclesia sita est, Numisma explicat.

DEIPARÆ. VIRGINIS. ÆDEM
OB. INNVMERA. ET. INGENTIA. ACCEPTA. BENEFICIA
DEBITA. QVIDEM. SED. PROPERA. NIMIS. PIETATE
CONSTRVCTAM. IMPERFECTAM. IDEO
AC. FATISCENTEM
ALEXANDER. VII. PONT. MAX.
AD. AVGENDAM. CVLTV. DIVTVRNIORE. LOCI. RELIGIONEM
DEVOTI. DEVINCTIQVE. ANIMI
ERGA. EANDEM. BEATAM. VIRGINEM
ARGVMENTO. CONSTABILIVIT. ORNAVIT. ABSOLVIT
ANNO. SALVTIS. MDCLXII.

XXXIV.

ALEX. VII. PONT. MAX. A. VII. *Effigies cum Regno, & pluviali*; *in quo Christus Crucem bajulans*; *inferius*: 1662. 36.

BENE. FVNDATA. DOMVS. DOMINI. B. VIRGINI. ARICINORVM. PATRONÆ. *Templi rotundiformis adspectus*. [I]

In hoc maximi moduli Numismate videre est aliam Ecclesiam perpulchram, & rotundæ formæ B. Virgini in Cœlum assumtæ dicatam, in

a *Roma Moder. pag.* 261.
b *Brusonius in Vita post Platin. tom.* 2. *pag.* 773.

in eodem *Aricinorum* vico. Alexandermet fundamenti lapidem posuit, & Flavius Cardinalis Ghisius, Fratris Filius, arculam, in qua XII. huic similia Numismata. Anno MDCLXV. primùm Pontifex in ara maxima sacrum fecit, licèt nonnisi anno MDCLXVI. ædificium fuerit[a], Equite *Berninio* Architecto, perfectum.

XXXV.

26. ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. VIII. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali, in quo montes, & stella; in ima parte*: G. M. PRIMA. SEDES. FIDEI. REGVLA. ECCLESIÆ. FVNDAMENTVM. *Cathedræ S. Petri in Vaticana Basilica adspectus*. [4]

In media absi de Basilicæ Vaticanæ servatur Cathedra lignea S. Petri, maxima ærea Cathedra inclusa. Hanc quatuor Ecclesiæ Doctorum colossea Statuæ ex ære deaurato sustentant[b]. Fusili opere omnia hæc elaboravit Johannes Piscina ad Bernini modulos, cætera Aræ ornamenta, & Sancti Spiritus symbolum circumquaque irradiatum Cathedræ imminens, ejusdem Bernini novo, & singulari prorsus artificio perfecta sunt, ipse enim primus invenit, cæterosque docuit, qua ratione Solares radii in anaglyphis exprimerentur.

XXXVI.

32. ALEXANDER. VII. PONT. MAX. A. VIII. *Effigies, & reliqua, ut supra*.

VIRGINIS. AEDE. ET. PAVLI. HOSPITIO. EXORNATIS. *Ecclesiæ S. Mariæ in Via lata frons; in exergo*: ROMÆ. [4]

Ecclesia hæc, vetus, & singulari cultu venerata anno MCDXCI. refecta est[c], ait enim *Infessura*[d]: *Die* XXIII. *Augusti* MCDXCI. *cæptum fuit opus S. Mariæ in Via lata, videlicet destruere dictam Ecclesiam, & aliam novam ædificare cum demolitione Arcus Triumphalis, supra quem in aliqua parte erat ædificata, in cujus Ecclesiæ substructionem fertur Papa obtulisse ducatos* CCCC., *Vicecancellarius* CCC., *Camerarius* CC., *residuum Magistri Architectores, cum hoc, quod marmora, & lapides tiburtini, qui reperiuntur, sint ipsorum &c.* Ara princeps, absis, & laqueare, Urbano VIII. Summo Pontifice, sumtibus Jo: Baptistæ, & Bonaventuræ *de Aste*, renovatæ fuerunt. Alexander VII. ornamenta addidit, præsertim in hypogeo, & frontem cum porticu Petri Cortonensis operâ ædificavit[e], tyburtino

---

b *Baldinucc. in Vita pag.* 39.
b *Bonann. Hist. Templ. Vatic. cap.* 2.
c *Nardin. Rom. Antiq. lib.* IV. *cap.* 10.
d *In Diar. MSS.*
e *Roma Moder. tom.* 2. *pag.* 192.

Digitized by Google

no lapide Absidem pinxit Andreas Camaseus, laqueare Hyacintus Brandus.

XXXVII.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. AN. VIII. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 37.

SAPIENTIA. IN. PLATEIS. DAT. VOCEM. SVAM. *Plateæ* Populi *adspectus, nec non duplicis Ecclesiæ, & Obelisci; in exergo:* MDCLXII. [4]

Proximam Portæ Flaminiæ Ecclesiam Beatæ Mariæ Virgini dicatam Alexander statuis, & coronis plastici operis ornavit; in Sacello ab Augustino Chisio gentili suo, Michaele Bonarrotio Artifice, in ea ædificato, Cœnotaphia exstruxit, & statuas Davidis, & Habacuc a Bernino sculptas in sedibus, quæ vacuæ erant, collocavit. Idem Alexander auctor fuit, ut Hieronymus Cardinalis Castaldus Ecclesiam *Montis Sancti* nomine nuncupatam absolveret (nam fenestrarum tenus muri jam constructi erant) aliam verò *Miraculorum* dictam a fundamentis excitaret. Ambas ejusdem faciei porticibus, & testudinibus ornavit Cardinalis, quoniam verò nonnisi mortuo Alexandro absoluta sunt, idcirco sola sua stemmata porticorum Tympanis apposuit. *Montis Sancti* Ecclesiam Carmelitarum obtinet familia, *Montis Sancti* item dicta, ac Siculis, & Picenis cœnobitis constans; alia Minoritis tertii Ordinis excalceatis Gallis concessa est [a]. Utrumque Templum in honorem Beatæ Mariæ Virginis dicatum paris ornatus est, & magnitudinis, nisi quod hoc rotundam, illud introrsum ovatam speciem refert. Hæc ædificia Numismate exprimuntur.

XXXVIII.

ALEX. VII. PONT. MAX. A. VII. *1662. Caput cum triplici corona, & pluviali, in quo B. Virgo ab Angelo annunciata.*

Plateæ de Populo *adspectus illi, quam supra descripsimus, dissimilis.* [1]

XXXIX.

ALEX. VII. PONT. MAX. A. VIII. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; inferius 166...* 18.

BENEDICENT. CORONAE. BENIGNITATIS. SVAE. *SS. Apostoli Petrus, & Paulus stantes, Pontificis stemma, hoc est montes, & stellam sustinent; supernè Spiritus Sanctus cum radiis.* [1]

Bo-

a *Roma Moderna Edit. Anton. de Rub. pag. 356.*

Digitized by Google

Bonannius autumat [a], in hujus Numismatis postica non expressam fuisse Pontificis Alexandri effigiem; nos tamen, qui Numisma conspeximus, id negamus; nam tam diligenter anticam observavimus, & descripsimus, ut, quòd ultima anni nota in ea malè expressa esset, haud adnotaverimus, licet nos non lateret, Numisma anno MDCLXII. cusum fuisse.

XL.

17. ALEXAN. VII. PONT. MAX. 1665. G. M. *Effigies, ut supra.*
D. FR. SALESII. APOTHEOSIS. *Alexander in Basilica Vaticana sedens in throno, vestibus indutus Pontificiis, Ecclesiasticis ministris comitatus,* Franciscum Salesium *inter Sanctos referens.* [1]

XLI.

19. ALEXAN. VII. PONT. MAX. AN. XI. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali, in quo Pontificis stemma; inferius:* G. M.
BEATO. FRANCISCO. EPISCOPO. INTER. SANCTOS. RELATO. *Frons Absidis S. Petri, Pontifex in throno, & Cardinalium Senatus; supra Spiritus Sanctus, & Angeli.* [4]

XLII.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. X. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*
BEATO. FRANCISCO. EPISCOPO. INTER. SANCTOS. RELATO. *Eadem postica.* [4]

VI. Idus Januarias anni MDCLXII. Alexander VII. *Franciscum Salesium*, Episcopum *Genevensem*, magnâ solemnitate inter Beatos retulit. Hujus cœremoniæ Historiam conscripsit Dominicus *Cappellus*, e cœremoniis Pontificiis [b]. Anni verò MDCLXV. XIII. Kalendas Majas in eadem Basilica ejusdem Apotheosis maxima, neque antea visa pompâ fuit celebrata, ut refert idem Cappellus.

XLIII.

27. ALEX. VII. PONT. MAX. A. IX. *Effigies, cum triplici Regno, & pluviali, in quo stemma; in ima parte:* G. M.
REGIA. AB. AVLA. AD. DOMVM. DEI. *Scala Regia Ædium Vaticanarum Pontificis.* [4]

E Porticu Vaticanæ Basilicæ, quà Constantini Statua sita est, per scalam, quæ suâ magnificentiâ Regia dicitur, ad Ædes Vaticanas est aditus; illam Alexander Bernino faciendam commisit. Ejus prima pars

a *In loco.*
b *In relatione impressa, & in Diar. MSS.*

Digitized by Google

pars utrinque columnis ornatur: fornices verò marmorato tectorio obductæ sunt [a]. Idem Numisma vidimus cum anno x.

XLIV.

ALEX. VII. PONT. MAX. A. X. *Effigies, cum triplici Regno, & pluviali, in quo stemma Pontificis; inferius:* G. M. 29.

PROCIDAMVS. ET. ADOREMVS. IN. SPIRITV. ET. VERITATE. *Pontifex machinâ vectus, custodiisque stipatus, S. Hostiam manibus gerens.* [4]

Pontificum mos gestandi Sacrosanctam Eucharistiam die, quo Corporis Domini memoria colitur, in supplicationibus, admodum vetustus est: de eo temporibus Nicolai V. Pontificis meminit Stephanus *Infessura* in suis Diariis anno MCDXLVII., sic enim is ait [b]: *Die 8. Junii, lo dì de lo Corpo di Christo Papa Nicolò V. fece la Processione in S. Pietro, & portò Lui con le sue mani lo Corpo di Cristo da S. Pietro insino a Porta Castello, & andorono tutti li Cardinali, Vescovi, & Arcivescovi, & tutte le Chiese di Roma, & andone a vedere tutto lo Popolo, perchè da quì innante mai fu veduta simile cerimonia, che alli dì nostri.* Hoc est: VI. *Idus Junias, quo die Christi Corporis memoria recolitur, Nicolaus V. Pontifex, habuit supplicationem, ipseque e S. Petri Basilica egressus, suis manibus Corpus Christi gessit ad Portam usque, quam dicunt Castri S. Angeli; supplicationi interfuerunt Cardinales omnes, Episcopi, Archiepiscopi, nec non Ecclesiæ Urbis cunctæ; Populus universus spectavit hanc cæremoniam, nunquam aliàs visam.* R. P. *Bonannius* [c] plura habet de hac cæremonia. A Johanne *Burchardo* [d] docemur, IV. Nonas Junias, anni MCDXCIV. Alexandrum VI. primùm sellâ vectum gestatoriâ Sanctissimum Sacramentum gestasse. Hunc sequentes imitati sunt Pontifices. Alexandro VII. Pontifice, Eques *Berninus* Architectus, pro sella gestatoria novam machinam adinvenit, qua Pontifex circumfertur, vel genuflexus, vel sedens; si tamen sedeat, sella eidem machinæ aptatur, & genuflexorio infigitur Sacrum Ostensorium; Ea Pontifex mitratus gestatur, & hoc ritu postremus incessit Clemens X., qui confectus senio, diu genibus insistere nequibat. Aliud Numisma vidi cum camaleucio in antica parte.

XLV.

a *Roma Moder. tom. 2. pag. 612.*
b *Diar. MSS.*
c *Num. Pont. tom. 2. pag. 666.*
d *In Diar. MSS.*

Digitized by Google

XLV.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. XI. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo stemma; inferius:* G. M. MDCLXV.

Absque postica. [4]

Similem anticam conspexi apud Franciscum *Valesium* clar. mem. virum; in qua tamen camaleucium, pro triplici Regno.

XLVI.

28. ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. XII. *Effigies Pontificis cum Regno, & pluviali arabici operis, in quo & stemmata; inferius:* G. M.

ÆDIBVS. OECONOMIA. ET. DISCIPLINA. RESTITVTIS. *Xenodochium S. Spiritus in Saxia, supra quod Spiritus Sanctus in nubibus.* [4]

Præstat hîc adducere Inscriptionem, quæ supra hujusce Xenodochii Portam Viæ *Lungariæ* adjacentem, legitur [a]; eâ enim Numisma explicatur.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX.

HVIVS. SACRÆ. APOSTOLICÆ. DOMVS. CANONICORVM. REGVLARIVM. COENOBIVM. SEPTIS. RELIGIONIS. INCLVSIT. SECVLARI. FAMVLITIO. INDE. AMOTO. ET. IN. ALIIS. ÆDIBVS. RECENS. EXTRVCTIS. COLLOCATO. PVELLAS. VT. LANIFICIO. ET. DISCIPLINÆ. INCVMBERENT. A. MONIALIVM. COETV. SEIVNXIT. AVCTO. ORNATOQ. PANTHEONE. ANNOSAS. VIRGINES. AC. MORBO. INSANABILI. LABORANTES. MONIALIBVS. IN. DECENTIOREM. LOCVM. TRANSLATIS. COMMENDAVIT. LACTENTIBVS. ET. LACTE. DEPVLSIS. INFANTIBVS. PVERISQ. ORPHANOTROPHIVM. DOMICILIVM. ET. TYROCINIVM. CONSTITVIT. NOSOCOMIO. ADDICTOS. HOMINES. SPARSIM. OLIM. HABITANTES. ORNATA. PORTICV. ET. SVPERINDVCTIS. CVBICVLIS. MAGNO. INFIRMORVM. BONO. IN. VNVM. COLLEGIT. NE. VNO. QVIDEM. OBOLO. AC. REDDITIBVS. SACRÆ. DOMVS. INSVMPTO. ANNO. SALVTIS. MDCLXIV. PONTIF. X.

XLVII.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. XII. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

S. ANDREÆ. APOSTOLO. *Ecclesiæ S. Andreæ a Valle frons; in exergo:* ROMÆ. [4]

Per-

a *Alver. Roma in ogni stato.*

Digitized by Google

Peramplam hanc [a], magnificamque Ecclesiam, Clericis Regularibus attributam, Cardinalis *Gesualdus* ex parte ædificavit, *Alexander* Cardinalis *Montaltus* prosequutus est, ejusque Fratris Filius *Franciscus* etiam Cardinalis perfecit, Petro Paulo *Oliverio*, & Carolo *Madernio* Architectis. Alexander verò VII., quum, fronte nondum perfecta, Franciscus obiisset, illam, hujus redditibus, ab Equite *Rainaldo* Architecto construi curavit. Sub S. *Andreæ* Statua in lævo frontis latere sita, hæc legitur Inscriptio: ALEX. VII. PONT. MAX. SANCTO. ANDREÆ. APOSTOLO. ANNO. SAL. MDCLXV. Hoc Numisma, quod ex duplici, more Veterum, compactum est metallo, simile vidi cum regno in antica parte.

XLVIII.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. ANNO. MDCLXII. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo Insignia; inferius*: G. FECIT.

IMMACVLATÆ. VIRGINI. VOT. *Ecclesiæ S. Mariæ in Campitellis frons, alia ab ea, quæ nunc visitur; inferius*: ROMÆ. [4]

XLIX.

ALEXAN. VII. PONT. MAX. A. XIII. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo stemma.* 33.

IMMACVLATÆ. VIRGINI. VOTVM. *Eadem frons*; *in exergo*: ROMÆ. [4]

Quum Pestis anno MDCLVI. Romæ grassaretur, S. P. Q. R. vovit velle se magnificentiorem ornatibus reddere Iconem B. Virginis, quæ ex Ecclesia S. Mariæ in Porticu in Ecclesiam S. Mariæ in Campitellis anno MDCLXII. ab Urbis Vicarii Vicesgerenti Præsule *Caraffa* translata est; Primum lapidem sub altari principe, cum hisce Numismatibus, Alexander VII. jecit, multis ibi precantibus elargitis Indulgentiis [b], tituloque Cardinali translato a S. Mariæ in Porticu, ad S. Mariæ in Campitellis [c]. Senatus præter aram, frontem quoque magnificentissimam refecit, *Rainaldo* Architecto [d]. Primum Numisma apud Cl. Abbatem *Cornazzanium* conspexi.

L.

ALEXANDER. VII. P. M. PIVS. IVST. OPT. SENEN. PATR. GENTE. CHISIVS. MDCLXIII. *Effigies Pontificis, cum triplici Regno, manu benedicentis*; *inferius*: TRAVANVS. 38.

Mm NO-

a *Roma Moderna pag.* 372. b *Ex Bullar. ann.* 1660.
c *Videsis Offic. concessum de hac Icone in opere de Canoniz. Sanct. Sanctissimi Domini nostri* BENEDICTI XIV. *lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 7. *num.* 8.
d *Roma Moder. pag.* 18.

NOBILIVS . PER . TE . SITVS . FLVAM . INEXHAVSTVS. *ſub Saliente Fori S. Mariæ Tranſtyberim* . [1]

Saliens hic e vetuſtioribus eſt, nam ante Alexandrum VI. exſiſtebat, ut ex appoſita Inſcriptione patet; Reſtauratus verò fuit ab Alexandro VI, & ab Johanne *Lopezio*, dicto Cardinali *Valentino*; ac ab Julio II., & a Cardinali Marco *Vigerio* Savonenſi ornatus. Aquâ, quam excipiebat, curſu temporis deperditâ, Gregorius XIV., & Cardinalis Paulus *Sfondratus* Aquæ Felicis XV. uncias in eum direxerunt. Aquæductus pœnè, Tybere excreſcente, dirutos Clemens VIII., & Petrus Cardinalis *Aldobrandinus* refecerunt. Poſtremo Alexander VII., Ponte Gregoriano, per quem Aqua Felix fluebat, diſrupto [a], XXXVI. uncias aquæ *Paulæ* anno MDCLIX. conceſſit, ut Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Eccleſiam adornaret [b]; in hujuſce rei memoriam, hoc maximi moduli, pulchrumque Numiſma cuſum eſt.

LI.

8. ALEXAN. VII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

ASSAGIVM. GENERALE. MDCLVI. *Vexillum cum clavibus decuſſatis*. [5]

Hoc Numiſma in Monetali percutitur officina, ut enim argenti, & auri aſſagium fiat, quibus Denarii poſtea cudantur, in argenteis, aureiſque lamellis Pontifex exprimitur, Vexillumque cum clavibus decuſſatis; has poſtea, quas *Campioni* vocant, S. R. E. Camerario, Clericiſque Cameræ Apoſtolicæ, Artifices diſtribuunt. Numiſmata, in quibus legitur: CAMERA. APOSTOLICA., apponiturque Vexillum, cum clavibus, ejuſdem eſſe generis exiſtimo.

LII.

46. ALEXANDER. VII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

Elephas Obeliſcum ſuſtinens. [4]

In pulcherrimo hoc Numiſmate exprimitur Obeliſcus Fori S. Mariæ ſupra Minervam. Is, utpote e minoribus, quos *Publius Victor* memorat [c], XXIV. palmos eſt altus; baſis inferior III. palmos cum ſextante, cuſpes, qui eſt e Sienitico rubro lapide, II. palmos cum quadrante. Eques *Berninius*, ut Obeliſcum longiuſculum redderet,

a *Albertin. Rom. Antiq.*
b *Roma Moder. pag. 299.*
c *Poſt Nardin. de Region. Urb.*

Digitized by Google

ret, super Elephantis dorsum illum collocavit [a], qui tantâ arte est elaboratus, ut invidiam ipsi *Berninio* pepererit, cujus, muri angulo, qua ad S. *Eustachi* iter est, ridicula apposita est icon.

LIII.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

TEMPLI. ET. PORTICVS. MAIESTATE. A. SORDIBVS. REPVRGATA. *Ecclesia S. Mariæ ad Martyres.* [4]

Magnificum hoc Templum [b] Nicolaus V., & Urbanus VIII. Romani Pontifices restaurarunt. Alexander verò VII. fori solum depressius fecit, æquavitque pavimento Porticus, cui imminebat. Ejusdem Porticus orientale latus restituit, quod, incendio, seu alio casu collapsis columnis, rudi muro incumbebat. Tres ideo e proximis Thermarum Neronis, & Alexandri Severi ruderibus erui jussit, columnas, quæ ex eodem lapide sunt, ac cæteræ, nempe Sienitico rubro; sed quoniam paulò crassiores erant, extenuatæ sunt, minime verò edolatæ, indeque est, quod rudes appareant. Tribus hisce columnis nova fecit capitula e marmore, iisque intexuit Chisiorum stemma. Ne populus, qui frequens in eo Templo orare solet, sub dio esset, cogitaverat Alexander fenestram, quæ in media Testudine est, obstruere, ita tamen, ut lumini non officeretur. Rem Bernino commisit, qui Tholum fenestræ imponendum delineavit ex clatris in orbem dispositis, quibus ænea testudo incumberet, & vitreæ laminæ circumhærerent. Ingentem quoque Cameram plastico opere obducere, suique stemmatis symbolis ornare jam cœperat Pontifex, id plerisque indignantibus, quod Templi majestati detraheretur. Hæc tamen omnia infecta remansere, morte Alexandri.

Clemens XI. Ciborium, & Presbyterium, quæ Innocentius VIII. ædificaverat, & porphyreticis antiquarum Templi ædicularum columnis ornaverat, suppositis antiquis Templi marmoreis aris, quæ stylobatum loco essent, evertit, novamque aram principem exstruxit, absidemque marmore intexit. Aliquot ex iis columnis in Sacello Sancti Andreæ Corsini Lateranensis Basilicæ cœnotaphiis ornamento sunt, sed plus æquo graciliores factæ. Aras in Capitolium transtulit Clemens XII.

Mm 2 Car-

a *Roma Moderna pag.* 380.
b *Videsis Plin. Nardin. lib.* VI. *cap.* 4. *Baron. Ciaccon. Casal. de Urb. Splen. cap.* 6. *Fontan. Templ. Vatic. lib.* V. *cap.* 20. Des Godetz. &c.

Digitized by Google



Cardinalis Julius *Rospiliosius* Pistoriensis, post Alexandri VII. mortem ad Pontificatum assumtus XII. Kalendas Quintiles anni MDCLXVII. nomen sumsit Clementis IX. Obiit v. Idus Decembres anni MDCLXIX., & sepultus est in Basilica Vaticana; inde in Basilica Liberiana translatus, cum hoc epitaphio:

CLEMENTIS . IX. AETERNAE . MEMORIAE . PONTIFICIS
MAGNI . CINERES
NE . ABSQVE . VLLO . SEPVLCRALI . HONORE . SICVT . IPSE . IVSSERAT
HVMI . LATERENT
CLEMENS.X.PONT.MAX.BENEFACTORI.SVO.ET.OB.SPECTATVM.FIDEI.ZELVM
OB . EGREGIAM . ERGA . OMNES . BENEFICENTIAM . ET . CHARITATEM
DE . RE . CHRISTIANA. OPTIME. MERITO . GRATI. ANIMI . MONVMENTVM
POSVIT
ANNO . DOMINI . MDCLXXI.

I.

3. CLEM. IX. P. M. CREAT. XX. IVN. 1667. *Pontificis effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

CON-

Digitized by Google

CONSTANTIA . SILVERII . AD . IMITAN. PROPOSITA. *Rhombus, ſupra quem duæ claves decuſſatæ, in medio Tiara Pontificia tribus coronis referta; inferius:* ROMÆ. [5]

Duo cum hac poſtica vidi Numiſmata, in quorum tamen altero non eſt τὸ *Romæ*. Emblema adludit ad Pontificis ſtemma, in quo ſunt quatuor ſcutuli quadranguli, non autem rectanguli, *Rhombos* dicunt Geometræ, & qui de ſtemmatibus ſcribunt; Epigraphe verò electionis diem indicat, S. *Silverio* Pontifici Romano ſacrum, cujus conſtantiam [a] in rebus adverſis ſibi imitandam propoſuit ad Catholicæ Religionis incrementum, & Hæreſum extirpationem.

II.

CLEMENS. IX. PONT. MAX. A. I. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.* 1.2.

IPSE. DOMINVS. POSSESSIO. EIVS. *in medio ſub Agno; ſuperius Spiritus Sanctus; e lateribus duo rami laurei cum aliquot vittis volitantibus; in exergo:* 1667. [5]

III.

CLEMENS. IX. PONT. MAX. A. I. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

Eadem poſtica abſque epocha. [5]

Cuſa ſunt hæc Numiſmata, quum Clemens Pontificatus poſſeſſionem auſpicaretur in Lateranenſi Baſilica, v. Nonas Quintiles anni MDCLXVII. [b] magno populi plauſu, feſtiviſque vocibus. Si cui libeat Inſcriptiones Arcubus Triumphalibus tunc appoſitas legere, adeat R. P. *Bonannium*, qui eas typis edidit [c].

IV.

CLEM. IX. PONT. MAX. ANNO. II. *Effigies, ut ſupra.* 5.

BB. PETRO. DE. ALCANTARA. ET. M. MAGDALENA. DE. PAZZIS. INTER. SANCTOS. RELATIS. *intra lauream coronam; ſuperius Rhombus.* [5]

V.

CLEMENS. IX. PONT. MAX. AN. III. *Effigies cum Regno, & pluviali; inferius:* ALBERTO. HAMERANI. 8.

IN. SPLENDORIBVS. SANCTORVM. *Chriſtus ſedens, aureolis coronat S. Petrum de Alcantara, & S. Mariam Magdalenam de Paz-*

---

a *Vide Baron. in Annalib. & in notis ad Martyrol. 20. Jun.*

b *Videſis Oldoin. tom. 4.*

c *Numiſm. Pontif. tom. 2. pag. 706.*

Pazzis; *e lateribus* : S. PETRVS. DE. ALCANTARA., *&*: S. M. MAGDALENA. DE. PAZZIS. [4]

VI.

7. CLEM. IX. PONT. MAX. A. III. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

ADDITVM. ECCLESIAE. MVNIMEN. ET. DECVS. *Sanctus Petrus de Alcantara, & Sancta Maria Magdalena de Pazzis genibus flexis in nubibus*; *in medio Spiritus Sanctus*. [5]

Horum primo simile conspexi Numisma apud amicissimum, dum viveret, Abbatem Franciscum *Valesium*, in quo tamen, ut in reliquis, annus III. erat adnotatus.

B. *Petrus* Ordinis Minorum Observantium, & B. *Maria Magdalena* Monialis Carmelitarum, a Clemente IX. S. P. IV. Kalendas Majas [a] inter Sanctos sunt relati [b], Solemnitas in Basilica Vaticana magno apparatu peracta est, & frequenti populo. De horum Sanctorum virtutibus, & Canonizatione, meminit BENEDICTUS XIV. in egregio opere: *de Beatificatione Servorum Dei, & Beatorum Canonizatione* [c].

VII.

5. CLEMENS. IX. PONT. MAX. A. I. *Effigies, ut supra.*

ALIIS. NON. SIBI. CLEMENS. *Pellicanus, qui sibi pectus lacerat, ut filios alat.* [5]

Pellicani similitudine, quem pectus sibi lacerare asserunt, ut pullos enutriat, Clementia exprimitur Pontificis erga subditos, quos impensissime diligebat. Adest simile Numisma cum anno III.

VIII.

4. CLEM. IX. PONT. MAX. A. I. *Effigies, ut numeris superioribus.*

PROTECTOR. NOSTER. *Sanctus Petrus sedens, claves læva tenet, dexterâ benedicit*; *in exergo*: ROMAE. [5]

Præstat hic, ut intelligentiam Numismatis adsequamur, *Scillam* audire, qui in suo de *Denariis Pontificiis* libello Italico, sic de *Clemente* loquitur [d]: *S. Petri effigiem incidendam curavit in Denariis, quos vocant Testonem, Julium, Grossum, & Semigrossum, & verba Psalmi* XIX. MITTAT. TIBI. AVXILIVM. DE. SANCTO.

In

---

a *Ex Diar. MSS. Chartarii.*
b *Videsis Relationem impress. typis Angeli Bernabò.*
c *Lib.* III. *cap.* 23. *num.* 35. *pag.* 301.
d *Pag.* 172.

Digitized by Google

In Numismate quoque circa eandem effigiem, hanc epigraphem: PROTECTOR. NOSTER., *ad exprimendum scilicet, quod in adversis rebus, in ejus patrocinium spem haberet.*

IX.

CLEMENS. IX. PONT. MAX. A. I. *Effigies eadem, ac supra.* 12.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Christus Sancti Petri pedes lavans: in exergo:* EXEMPL. DEDI. VOBIS. [6]

X.

CLEMENS. IX. PONT. MAX. AN. II. *Effigies, ut supra; inferius verò:* IBGF. 17.

Eadem postica, ac in præcedenti. [4]

Hujuscemodi Numismata toties explicata, novâ non indigent explanatione; in eorum posteriore Siglæ IBGF. denotant: *Johannes Baptista Guglielmada fecit.*

XI.

CLEMÉNS. IX. PONT. MAX. A. II. *Effigies, ut supra; inferius:* A. H. 10.

CLEMENS. FOEDERIS. OPVS. *Duæ mulieres sedentes, mutuis sese amplexibus excipiunt; quarum una olivæ ramum lævâ tenet, altera verò cœlum; ad earum pedes tertia mulier jacens, manum sibi demordet.* [5]

Quum hic repræsententur Clementia, & Pax, quæ juncto fœdere conculcant Discordiam, Numisma percussum dicemus ob Pacem inter Gallos, & Hispanos pactam, Pontificis potissimùm operâ, in *Aquisgranensi* congressu. In Clementis IX. Vita [a] ex *Brusonii* Historia Italiæ [b] excerpta, hæc leguntur: Tam vehementer Principum animos ad Pacem incendit, ut, Hispaniâ præeunte, Gallia etiam ad Pacis consilia venerit. Itaque Hispaniæ Regina, quum incassum varia loca, variosque Ministros Paci tractandæ obtulisset, tandem post varios casus, Urbs *Aquisgranum* electa, ubi seriò negocium urgeretur. Illuc Pontifex Legatum misit *Franciottum*, Nuncium Germaniæ.

XII.

CLEM. IX. PONT. MAX. AN. II. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.* 11.

PA-

a *Post Platinam tom. 2. pag. 775. & seq.*
b *Brusoni Histor. d'Italia lib.* XXXV.

PACE . POPVLIS . SVIS . A . DOMINO . CONCESSA . *Pontifex cum Clero supplicationes habens* . [5]

Dum Pontifex supplex ad Basilicam Vaticanam pergeret, a Deo Pacem impetraturus, Nuntius VIII. Idus [a] Junias anni MDCLXVIII. Romam pervenit de Pace VI. Nonas Majas Aquisgrani signata a *Colbertio*, *Bergeischo*, & *Franciotto* Apostolico Nuncio. Quare statim Pontifex publicas supplicationes indixit, habuitque; nam cum Clero universo, Populoque ad D. Petri Basilicam Deo gratias acturus processit.

XIII.

13. CLEMENS . IX. PONT. MAX. AN. III. *Effigies, ut supra; inferius:* ALB. HAMERANI.

AELIO . PONTE . EXORNATO . *Pontis S. Angeli adspectus, & Molis Hadrianæ, cum propugnaculis* . [4]

Rollius etiam hoc Numisma refert in adnotationibus [b] ad Romam Veterem *Ovverbeckii*; sed quòd forte propriis oculis Numisma haud vidit, pro camaleucio, & brevi pallio, effigiem Pontificis repræsentavit cum Regno, & pluviali.

XIV.

14. CLEMENS . IX. PONT. MAX. AN. III. *Effigies, ut supra; inferius:* F. CHERON.

AELIO . PONTE . EXORNATO . *Pontis ejusdem adspectus, sub quo signum Tyberis exprimitur jacentis, cum urna: Supernè Fama cum duplici Tuba* . [1]

Posterius hoc Numisma est maximi moduli; in utroque verò exprimitur Pons quondam *Ælius*, nunc *S. Angeli*. Antiquum Numisma, Hadriano Imperatore percussum, in quo Pons hìc visitur, referunt Augustinus in Dialogis, Spanhemius, aliique. Hunc Clemens VIII. instauravit, & ad ejus aditum duas Statuas, a *Laurentio*, dicto *Lorenzetto*, & a *Paulo* Romano sculptas, posuit [c]. Urbanus VIII. extremos utrimque arcus obstructos referari jussit: Clemens tandem IX. sponḍas, quas Clemens VIII. fecerat, e tyburtino lapide refecit [d], clatris interjectis; Supra pilas x. constituit Angelos marmoreos miri operis, a *Berninio*, *Radio*, *Fancellio*, *Lucentio*, *Naldi-*

a *In actis Mag. Caerem. MSS.*
b *Pag. 297.*
c *Nardini Roma Antica lib. 8. cap. 2.*
d *Torrig. pag. 382.*

Digitized by Google

dinio, aliisque Sculptoribus elaboratos. Angelum, qui titulum Crucis habet, sculpsit *Berninus*. Singulorum autem icones profert P. Bonannius. Nullam huic Ponti apposuit Clemens IX. epigraphem in sui memoriam; sed hoc minime tulit Clemens X., qui ejus stemmata Ponti apponi curavit.

XV.

CLEMENS. IX. PONT. MAX. AN. SAL. MDCLXIX. AMPLIATA. BASILICA. LIBERIANA. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

DILIGIT. DOMINVS. DECOREM. GENITRICIS. SVÆ. *Adspectus Basilicæ Liberianæ, qua Quirinalem respicit montem.* [1]

XVI.

CLEMENS. IX. PONT. MAX. AN. SAL. MDCLXIX. *Effigies, ut supra.* 15.

DILIGIT. DOMINVS. DECOREM. GENITRICIS. SVÆ. *Idem adspectus.* [4]

Primum Numisma, quod non retulit *Bonannius*, penes Franciscum *Cornazzanium* vidi. Constituerat Clemens IX. Liberianæ Basilicæ absidem ampliare, jamque fundamenta jecerat, Bernino Architecto [a]; sed morte intercœptus imperfectum opus reliquit. Metuebant sane, qui antiquissima, ac præsertim sacra monumenta temerare nefas habent, ne Templi arcus, quem Triumphalem dicunt, a S. Sixto III. musivis ornatus, everteretur; idcirco gratissimum fuit, quod Clemens X. antiquæ Basilicæ muros lapidibus obduxerit, quos ad novum ædificium Clemens IX. paraverat.

XVII.

CLEMENS. IX. PONT. MAX. AN. I. *Eadem effigies, ac in superioribus.* 9.

DEDIT. INDICA. ROSA. ODOREM. SVAVITATIS. ANNO. MDCLXVIII. *intra coronam roseam.* [5]

B. Rosam *Limæ* Metropoli Regni Peruviani natam Clemens IX. anno MDCLXVIII. [b] Sanctarum Virginum fastis adscripsit, solemni ritu in Basilica Vaticana [c]. De hac cæremonia multis doctissimè loquitur in appendice Libri I. [d] de Canonizatione Sanctorum Smus D. N. BENEDICTUS XIV. qui nunc Ecclesiæ habenas sapientissimè regit.

Nn XVIII.

a *Romæ Moderna pag. 105.*
b *Ex actis Consistorialibus MSS.*
c *In Vita excerpta ex Brusoni Hist. Ital. lib. XXXVI. post Platinam tom. 2. pag. 777.*
d *Num. 2.*

XVIII.

20. CLEMENS. IX. PONT. MAX. A. III. *Effigies, ut supra.*

ASSAGIVM. GENERALE. MDCLXIX. *Vexillum Ecclesiæ cum clavibus decussatis.* [5]

Duo de hoc Numismate reperiuntur Chalybes. Cæterum vide, quæ de hujuscemodi Numismatibus diximus superiùs [a].

XIX.

16. CLEMENS. IX. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

SIGNVM. CLEMENTIÆ. MONSTRABIT. *Mulier sedens, velata facie, sceptrum dextrâ, olivæ ramum lævâ tenet.* [4]

Licèt hoc, quod nunquam mihi videre contigit, Numisma extra Romam cusum arbitrer, quòd tamen *Molinetius* [b], se Parisiis adserit vidisse in Museo P. *De la Chaize* Soc. Jesu, hic non prætereundum duxi. Designatur in eo Pontificis Clementia, qua duobus in hebdomada diebus omnes accedentes audiebat, xenodochia frequenter invisebat, & in Palatio Pontificio XII. peregrinis hospitium præbebat [c]: mos hic vetustus est in Romana Ecclesia.

Car-

a Pag. 274. sub Alex. VII. num. 11.
b In loco.
c Oldoin. col. 787.



CArdinalis Æmilius *de Alteriis* Romanus LXXV. annos natus Pontificatum adeptus est III. Kalendas Majas anni MDCLXX., nomenque sumsit Clementis X. Obiit XI. Kal. Sextiles anni MDCLXXVI., & in magnifico sepulchro, Matthiæ de *Rubeis* opere, conditus est in Basilica Vaticana cum hac epigraphe.

CLEMENS. X. ALTERIVS. ROM. PONT. MAX.

I.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. I. *Effigies Pontificis, cum camaleucio, brevi pallio, & stola; inferius:* C. H. 1.2.

SPIRITV. ORIS. EIVS. OMNIS. VIRTVS. EORVM. *Spiritus Sanctus in Columbæ speciem, alis expansis, radiis circumdatus; inferius globi pars, supra quem sex Stellæ.* [5]

Sex Stellæ, quas in Stemmate Alteriorum Gens habet, lumen recipiunt a Spiritus Sancti fulgoribus, ob Pontificatum a Clemente X. adeptum. Gens hæc Romæ nobilissima est: Ut ea prætereamus, quæ Genealogiarum Scriptores ex ingenio effingunt, Laurentius

Digitized by Google

Alterius, *Pater Patriæ* dici meruit: *Marcus Antonius* Vir apprime doctus fuit: *Corraduccius* anno MCCLV. Helenam *Ursinam* duxit uxorem [a].

II.

26. CLEMENS. X. PONT. MAX. A. I. *Caput cum regno*, *& pluviali Stellis*, *& floreis sertis ornato*; *inferius*: MDCLXX. E. L. Eques Lucenti.

ROMA. RESVRGENS. *Mulier flexis genibus*, *cui Apostoli Petrus*, *& Paulus stantes manus porrigunt*. [5]

Numismatis epigraphe petita ex *Galbæ*, & *Vespasiani* Numis [b], eò Clementi X. aptata est, quòd vix Pontifex creatus in subditis sublevandis totus fuerit, publicoque ærario exhausto reparando [c]. Magnam siquidem auri vim ejus Decessores insumserant, ut Venetis opem ferrent adversus Turcas in Cretensi bello, quamvis irrito conatu.

III.

25. CLEMENS. X. PONT. MAX. A. I. *Effigies cum triplici corona*, *& pluviali floribus contexto*; *inferius*: F. A. H. Fecit Albertus Hameranus.

TV. ES. PETRVS. ET. SVPER. HANC. PETRAM. ÆDIFICABO. ECCLESIAM. MEAM. *Christus adloquens Petrum*, *cui genuflexo*, *& claves manu gestanti*, *templum*, *quod prope est*, *indicat*. [4]

Numisma explicatione non indiget.

IV.

18. CLEMENS. X. PONT. MAX. AN. I. MDCLXXI. *Effigies cum camaleucio*, *& brevi pallio*.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Christus Petro lavans pedes*; *in exergo*: EXEMPLVM. DEDI. VOBIS. [6]

V.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. III. *Effigies*, *ut supra*; *subtus*: LVCENTI.

Eadem postica. [5]

VI.

17. CLEMENS. X. PONT. MAX. *Effigies*, *ut supra*; *inferius*: A. H. Albertus Hameranus.

EXEM-

a *Videsis MSS. Domus Alteriæ.*

b *Augustin. Dial. Mediobar. Numism.*

c *In Vita post Platin. tom. 2. pag. 780. Brusen. Hist. d' Italia lib. 38.*

EXEMPLVM. DEDI. VOBIS. *Christus Petro coram aliis Apostolis lavans pedes*; *supernè suspensa lucerna*. [5]

Hæc Numismata cusa sunt Feria V. in Cœna Domini, quum lotio fit pedum XII. Peregrinorum; postremum ab *Alberto Hamerano* cusum pulcherrimum est.

VII.

CLEMENS. X. PONT. MAX. AN. I. *Effigies*, *ut supra*; *inferius*: A. H. Alb. Hameran. 16.

COLLES. FLVENT. MEL. DE. PETRA. *Sanctus Petrus Martyr ab Angelo coronatus*, *manuque palmam gerens*. [5]

Emblema, & epigraphe hujus Numismatis in monetis etiam cusa sunt, nempe anno MDCLXX. in aureis numis, & argenteis denariis, quos *Julios* dicunt, deinde anno MDCLXXI. in aliis, dictis *Testoni*, quique tribus denariis constant, ac in dimidiis denariis, quos vocant *Grossi*. Colles, quos epigraphe nominat, septem ii sunt, quibus Roma insidet. S. Petri Martyris Icon ideo hic impressa est, quod ejusdem festo die, nempe III. Kal. Majas anni MDCLXX. Clemens electus fit Pontifex.

VIII.

CLEMENS. X. P. M. A. I. *Effigies*, *ut supra*; *in exergo*: A. H. Albert. Hamer. 3.

CVM. ME. LAVDARENT. SIMVL. ASTRA. MATVTINA. *B. Virginis Conceptæ*, *Stellisque coronatæ Icon*. [4]

Hæc epigraphe intra coronam monetæ, dictæ *mezzo Grosso*, aptata est; Emblema verò alteri, dictæ *Giulio*, absque epocha. Verba Jobi [a]: *Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent Filii Dei*, alludunt Clementis consuetudini, qui ante auroram ad orandum surgebat: Stellas, quisque novit, stemma ejus repræsentare. Alterum Numisma vidimus ejusdem Artificis cum anno II.

IX.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. II. MDCLXXI. *Effigies cum camaleucio*, *& palliolo*; *In ima parte*: G L. 15.

PLENA. EST. OMNIS. TERRA. GLORIA. EORVM. *Quinque Sancti genibus flexis super nubibus*, *Spiritus Sanctus cum radiis supernè*: *nec non Tiara Pontificia*, *malluvium*, *laguncula*, *aliæque sacræ supellectiles*, *quæ in canonizationibus usui sunt*, *& tria τῶν Cherubim capita*. [5]

X.

a Cap. XXXVIII.

X.

14. CLEMENS. X. PONT. MAX. A. II. *Effigies, ut supra; inferius*: I. H. Joh. Hamer.

PLENA. EST. OMNIS. TERRA. GLORIA. EORVM. *Quinque Sancti genibus flexis, cum Spiritu Sancto, ut supra; in exergo verò*: MDCLXXI. [5]

XI.

13. CLEMENS. X. PONT. MAX. A. II. MDCLXXI. *Effigies, ut supra; subtus*: I. H. Joh. Hamer.

DECOR. EIVS. GLORIA. SANCTORVM. *Quinque Sancti genibus flexis, cum eorum insignibus; supernè Spiritus Sanctus irradiatus*. [5]

Tria hæc Numismata pulcherrimè sunt cusa, præsertim duo ultima, quæ *Johannis Hamerani* prima sunt opera.

XII.

12. CLEMENS. X. PONT. MAX. AN. II. *Effigies, ut supra; in exergo*: ALB. HAM.

SOLEM. NOVA. SYDERA. NORVNT. *Quinque Sancti genibus flexis, superiùs Spiritus Sanctus*. [4]

Quinque Servos Dei, quos magnâ pompâ in Vaticana Basilica Clemens X. anno MDCLXXI. inter Sanctos adscripsit, sunt, *Philippus Benitius*, *Cajetanus Thienæus*, *Franciscus Borgia*, *Ludovicus Bertrandus*, & *Rosa* Virgo *Limana* [a]. Præter hos, quos Clemens canonizavit, beatificavit etiam *Pium* V., ac ut Sanctos *Ferdinandum* III. Regem Castellæ, & *Albertum* Magnum coli permisit; ut in perdocto Opere sæpius laudato S. D. N. BENEDICTI XIV. [b] videre est.

XIII.

4. CLEMENS. X. PONT. MAX. A. III. *Effigies, ut supra; inferius*: EQVES. LVCENTI.

DEVS. FVNDAVIT. EAM. *Absidis Basilicæ Liberianæ adspectus; In exergo*: AN. MDCLXXII. [5]

Quùm Basilicæ Liberianæ absidem, uti mox [c] diximus, ampliare statuisset Clemens IX., vetus demoliri cœpta est, quam Jacobus Cardinalis Columna musivis ornaverat, Nicolao IV. Pontifice, factum improbavit

a *In Vita post Platin. tom. 2. pag. 781. Bruson. Hist. Ital. lib.* XXXVIII. *& in Relation. Italic. edit. an.* MDCLXXI.

b *De Beatif. Ser. Dei, & Beat. Canoniz. præcipuè in Append. lib. 1. n. 5. lib. 3. pag. 302. &c.*

c *Supra pag. 281. num.* XVI.

Digitized by Google

vit Clemens X.[a], duasque iconas jam deletas restitui jussit, veterisque absidis muros Tyburtino lapide elegantissimè ornavit *Raynaldus* Architectus[b]. *Bonannius* epigraphem refert: IPSE.FVNDAVIT.EAM.ALTISSIMVS.

XIV.

CLEMENS.X.PONT.MAX.A.III. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo S. Petrus Martyr*; *inferius*: I. HAMERANVS.F. 23.

VIVIFICAT.ET.BEAT. *in tænia. Mulier stans lac præbet seni catenis vincto sedenti supra saxum, in quo sculptum est*: H. 1672. [5]

Mulier, quæ captivo Patri ubera per clatra carceris præbet, eumque suo lacte nutrit, Romanæ in Parentes pietatis symbolum est, meritò Clementis erga subditos amori aptatum. Terræ enim motibus poene subversum Ariminum impense juvit, cæterisque per vicina loca populis eadem ærumna pressis insignem opem tulit[c].

XV.

CLEMENS.X.PONT.MAX.A.IIII. *Effigies, cum camaleucio, & palliolo*; *inferius*: EQ. LVCENTI. 28.

INTERCEDITE.PRO.NOBIS. *SS. Apostoli Petrus, & Paulus stantes*; *in medio Spiritus Sanctus*; *in exergo*: ROMA. [5]

Duplici formâ cusum hoc Numisma vidi, nam in eorum altero LVCENTI nomen desideratur in antica parte, in postica ROMA. Anno Clementis quarto Italiâ[d], Poloniâque bello pressis, Siciliâ verò popularibus tumultibus, ipse SS. Apostolorum invocavit Patrocinium, ut Christiano orbi Pacem a Domino impetrarent. Ad hoc referendum arbitror Numisma cusum.

XVI.

CLEMENS.X.PONT.MAX.A.IIII. *Effigies, ut supra*; *inferius*: IO. HAM. 11. 19

VT.ABVNDANTIVS.HABEANT. *Mulier sub arbore sedens, spicis coronata, dexterâ copiæ cornu, spicas lævâ tenens: Procul ager frumentis refertus, currus, & duo pueri spicis cistam replentes*; *in exergo*: 1673. [5]

Percussum est Numisma ad Pontificis exprimendam providentiam, qua, quum Italia poenè tota fame premeretur, frumentis comparatis, Ecclesiasticæ ditioni abundanter providit[e].

XVII.

a *Fascin. de Memor. Basil. Liber.*
b *Roma Moder. pag.* 105.
c *In Vita post. Plat. tom.* 2. *pag.* 782.
d *Bruson. Hist. Ital. aliique.*
e *In Vita post Plat. ubi supra.*

Digitized by Google

XVII.

24. CLEMENS. X. PON. M. A. IIII. *Effigies Pontificis elata manu bene precantis, cum triplici Regno, & pluviali, in quo Præsepe Domini insculptum est; inferius:* IO. HAMER.

PER. ME. VITA. EXTRA. ME. MORS. *Mulier stans, dexterâ Crucem, librumque tenens, lævâ eandem indicans Crucem, quam multi genibus flexis adorant; supernè Spiritus Sanctus irradiatus: sub muliere cippus, in quo:* 1673. [5]

Numismatis emblema, spem, & fiduciam in Deo habendam docet, licet *Bonannius* [a] aliter illud describat.

XVIII.

20. CLEMENS. X. PONT. MAX. AN. V. *Effigies, cum camaleuclo, & brevi pallio; inferius:* EQVES. LVCENTI.

TVRCARVM. SIGNA. A. POLONIS. RELATA. *Pontifex sacris indutus vestibus e Throno Vexillum, in quo Luna bicornis, a viro genuflectente accipiens; in exergo:* MDCLXXIV. [4]

XIX.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. V. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali, in quo Porta Sancta.*

Eadem postica. [4]

Numismata hæc adludunt ad victoriam de Turcis a Polonis relatam anno MDCLXXIII. Audi, quæ in Regestis Cæremoniis Pontificiis Præfectorum [b] leguntur: *Die* XV. *Decembris, Feria* VI. *ex litteris Poloniæ habuimus Nuncium de insigni Victoria habita ab Exercitu Polono*, Jo: Sobiescko *supremo Regni Marescallo, & Exercitus Duce contra Turcas apud Coccinum arcem munitissimam debellatos die* XI. *elapsi mensis in festo S. Martini. Die* XVII. *Decembris, Dominicâ tertiâ Adventus missam cantavit in Sacello majori Palatii Quirinalis Eminentissimus Cardinalis* Nerlius, *cui interfuit Sanctissimus Dominus Papa, quæ missa canenda erat de more, & post hanc voluit Sanctissimus Dominus dare signum lætitiæ, Hymno* Te Deum *cantato*. Victoria Romæ nunciata est a nobili Polono, qui Turcarum Vexillum in Numismate expressum Pontifici obtulit.

XX.

7. CLEMENS. X. PONT. MAX. AN. V. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali, in quo Pontifex vexillum recipiens; inferius:* IO: HAMERANVS. F.

DO-

a *Hic num.* 24.

b *Diar. MSS.*

Digitized by Google

DOMVS. DEI. ET. PORTA. COELI. *in scheda. Pontifex sacris indutus vestibus Portam Sanctam referans; multi Cardinales, & Præsules ponè Pontificem, & Peregrinorum, aliorumque genibus flexis orantium multitudo; in exergo*: 1675. [4]

XXI.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. IVB. *Effigies Pontificis, cum Regno, & pluviali; inferius*: EQ. LVCENTI. 6.

APERI. EIS. THESAVRVM. TVVM. *Pontifex, a Cardinalibus comitatus, Portam Sanctam referans; in exergo*: MDCLXXV. [4]

XXII.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. VI. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo Pontifex Vexillum Turcicum accipiens.*

Eadem postica. [4]

XXIII.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. IVB. *Eadem effigies.* 5.

APERVIT. DOMINVS. THESAVRVM. SVVM. *Pontifex, post quem Cardinales, Portam Sanctam referans; in exergo*: MDCLXXV. [5]

XXIV.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. VI. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo S. Petrus Martyr; inferius*: I. H. 10.

BENEDIXIT. FILIIS. IN. TE. *Pontifex, a Clero comitatus, Portam Sanctam claudens.* 1675. [4]

XXV.

CLEMENS. X. PONT. MAX. AN. VI. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; inferius*: I. F. G. F. Jo. Franc. Guglelmada Fecit.

CITA. APERITIO. BREVES. AETERNAT. DIES. *Pontifex Portam Sanctam referans.* [4]

XXVI.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. IVB. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali; inferius*: EQ. LVCENTI. 11.

LAVDENT. IN. PORTIS. OPERA. EIVS. *Pontifex claudens Portam Sanctam; in exergo*: MDCLXXV. [4]

Omnia hæc Numismata adludunt ad Portam Sanctam anno Jubilei MDCLXXV. per Clementem X. reseratam, & clausam. Magnâ solemnitate ipse Pontifex Basilicæ Vaticanæ Portam Sanctam aperuit, Porticu priùs marmoribus strato; Interfuerunt Suecorum Re-

gina *Christina*, & Mutinensis Ducissa huic solemnitati, cujus, totiusque anni Sancti Historiam scripsit *Phœbæus* [a].

XXVII.

9. CLEMENS. X. PONT. MAX. A. VI. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo Pontifex Turcarum recipiens Vexillum; inferius*: IO. HAMERANVS. F.

FLVENT. AD. EVM. OMNES. GENTES. *Basilicæ Vaticanæ adspectus cum area, in qua aliquot arbores, & Lupa, Romulum, Remumque lactans; Supernè Angelus tuba canens, tæniamque manu tenens*. [4]

Hoc etiam perelegans Numisma ad annum Jubilei pertinet, quo Romam ex toto Orbe Christifideles confluunt, ut Basilicas, aliaque loca sancta visitent. In Hameranorum collectione aliud exstat Numisma, in cujus antica parte: AN. VI. in postica ann. 1674.

XXVIII.

CLEMENS. X. PONT. MAX. A. VI. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo Christus Cruci affixus*.

Postica licet imperfecta, frontem Palatii Alteriorum *repræsentat*. [4]

Hoc Numisma cudit *Johannes Hameranius*. Typus imperfectus est, nec temperatus, sed miri operis, ut ex eo, quod exstat, adparet.

XXIX.

21. CLEMENS. X. PONT. MAX. A. VII. *Effigies, capite nudato, cum pluviali, in quo S. Petrus; inferius*: EQ. LVCENTI.

CVNCTIS. PATET. INGRESSVS. *Portus Centumcellarum*.

Postremo Pontificatus anno Clemens vectigalium partem abrogavit, quæ ex mercibus ad Centumcellensem portum transvectis exigebantur, eoque facto frequentiorem illuc navium adpulsum fore speravit.

Ad

a *De Jubil. cap.* 15.



AD XI. Kal. Octobres anni MDCLXXVI. Benedictus *Odeschalcus* Cardinalis Pontifex electus est: nomen sumsit Innocentii XI., obiitque, famâ sanctitatis præclarus, IV. Idus Sextiles anni MDCLXXXIX. Ejus corpus in Basilica Vaticana veneratur, ubi magnifico fuit tumulatus sepulchro, cum epigraphe:

INNOCENTIO. XI.
PONT. MAX.
LIVIVS. ODESCHALCVS. NEP.
AN. IVB. MDCC.

I.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Pontificis effigies, cum Tiara triplici corona ornata, & arabici operis pluviali.* 1. 2.

INNOCENS. MANIBVS. ET. MVNDO. CORDE. *Pontifex in sella gestatoria, cum Cardinalibus, Domesticis, & Custodibus, Basilicam Vaticanam ingreditur.* [5]

Digitized by Google

II.

INNOCENTIVS. XI. ODESCHALCVS. PON. M. *Effigies*, *cum camaleucio*, *&* *brevi pallio*; *inferius*: OPVS. HAMERANI.
Eadem postica; *in exergo*: 1676. [5]

Epocha in Numismate, quod *Bonannius* adducit, desideratur. Lxv. annos natus Innocentius XI. Pontificatum iniit, vir præter ætatem satis firmâ corporis habitudine; Constantia, Innocentia, Pietate, zelo in Religionem, & Ecclesiasticam disciplinam conspicuus; vitam ducebat, plerumque ab aliis segregatus; licet moribus severis, tantum tamen præ se [a] ferebat majestatem, ut ab omnibus venerationem exigeret. In utroque Numismate exprimitur Pontifex post electionem in Basilicam D. Petri descendens. *Molinetius* [b] (quòd emblema ei invidiam excitet) inter apocrypha secundum, quod refert, Numisma amandat. At suâ pace potuit id permittere Artifici Innocentius ad declarandum, summopere sibi in votis esse, ut suo nomini vita responderet. Primum Numum, in quo Pontifex Regno coronatus, nonnisi apud *Bonannium* vidi.

III.

13. INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. *Effigies*, *cum triplici Regno*, *&* *pluviali*, *in quo Leo*, *&* *Aquila*; *inferius*: OPVS. HAMER.
FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA. *Spiritus Sanctus radiis circumdatus*; *inferius*: 1676. [6]

Argenteum hoc Numisma mihi videndum præbuit Marchio *Luccatellius*. *Bonannius* illud describens, Epocham omisit.

Cudendæ monetæ Præfecti Epigraphe hac summum Innocentii studium, assiduasque preces fortasse significarunt, quibus pacem Gallis, & Hispanis acerrimo bello jam pœne confectis a Deo impetraret. Votum sane suscepit, nam paulo post *Noviomagi* Tractatus iniri cœpti, ubi tandem anno MDCLXXVIII., & sequenti Pax sancita est. In Denario, I. Pontificatus anno (licet careat Epochâ) percusso, legitur: DELECTABOR. IN. MVLTITVDINE. PACIS.

IV.

INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. A. I. MDCLXXVI. *Effigies cum camaleucio*, *&* *brevi pallio*.
Præcedenti pænè similis postica. [5]

V.

a *Anonym. in Vita Inn. XI. post Plat. tom. 2. pag. 785.*
b *Molin. Hist. Pont. per Numis. in loco.*

V.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. AN. I. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo Christus tradens claves Petro; inferius:* HAMERAN. 25.

SALVA. NOS. DOMINE. *Christus super aquas Maris stans, manum porrigit S. Petro penè merso.* [6]

Argenteum hoc Numisma Marchio *Luccatellius* habet. Ejus posticâ discrimina ostenduntur, quibus Ecclesia Innocentio Pontifice affli-ctabatur; nam præter bellum, quo Christiani Principes se vicissim urgebant, Turcarum Imperator Hungariam diripiebat, Austriæque inhiabat; hac de caussa hic Christus invocatur.

VI.

INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. A. I. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio; inferius:* IO. BAPT. GVGLEL. F.

SECVRITAS. POPVLI. ROMANI. *Mulier sedens, dexteræ capite innixo, lævâ hastam tenet; Ante eam ara cum igne, & face ardente; Infra aram duo rami palmæ, & olivæ colligati: In exergo:* G. F. [4]

Hoc Numisma, quod *Bonannius* non refert, sed apud *Luccatellium* vidi, cusum est a Johanne Baptista *Guglelmada*, sumto tamen emblemate vetere, quod in Leone X., Paulo III., Julio III., Pio IV., aliisque Pontificibus vidimus.

Innocentius Pontifex factus, optimis constitutionibus subditorum quieti, & Reipublicæ administrationi consuluit. Populos vectigalibus aliquot levavit [a]; Hebræis vetuit, ne, instar Montis Pietatis, pignoribus datis, pecunias commodarent, fœnusque reciperent.

VII.

INNOCEN. XI. PONT. M. A. II. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; inferius:* HAMERANVS. 30.

AVDITE. VOCES. SVPPLICVM. 1678. *Ædificium columnis suffultum; Sanctique Petrus, & Paulus Apostoli stantes, cum clavibus, & ense.* [6]

Innocentius non solùm consiliis, operâ, auxiliisque Christianam Rempublicam pacatam reddere fategit, sed & divinum semper invocabat præsidium, Apostolorumque Principum patrocinium. Epigraphe sumta est ex Hymno, quem vespertinis horis Ecclesia in Apostolorum honorem canit.

VIII.

a *Anonym. in Vita post Platin. tom. 2. pag. 788.*

VIII.

11. INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

OMNIVM. PATER. OMNIVM. VOTIS. DATVS. AN. DÑI. 1676. *in tænia.* [5]

Quo die post L. dierum comitia Pontifex electus est Innocentius, S. Matthiæ Apostolo sacro, Poloni Turcas prælio fuderunt. Innocentius dici voluit, ut Innocentio X. bene de se merito, quod Cardinalem eum elegisset, se gratum ostenderet.

IX.

12. INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut numero præcedenti.*

Sex Genii in aere, tres, pateras Pontificis insignia gestant, alter triplicem Regnum, alter claves, sextus Tuba canet; in inferiori parte Leo inter arbores. [4]

Fusum hoc ab aliquo privato Artifice Numisma ad Pontificis stemma adludit, in quo sex pateræ, Leo, & Aquila.

X.

4. INNOCEN. XI. PONT. MAX. A. III. *Effigies, ut supra.*

VNDE. PENDET. *Mulier coronata, manum lanci libræ admovet, quam Genius inter nubes suspensam tenet. In inferiori parte ædificium, & parvum stemma cum pileo.* [5]

Quòd in posticæ infima parte parvum stemma conspexerim, Numisma hoc monetam potius esse duxeram; quum vero animadverterim, stemma illud ignotum, & nullius ex iis esse, qui cudendis monetis ab Innocentio præfecti sunt, in Bonannii sententiam ivi, nempe privatum aliquem Numismate hoc Innocentii Justitiam ratione moderatam significasse.

XI.

9. INNOCEN. XI. PONT. MAX. AN. III. *Effigies Pontificis cum triplici Regno, & pluviali, in quo Leo, & Aquila Gentis Odeschalchæ stemma; inferiùs:* OPVS. HAMERANI.

NON. DEFICIET. FIDES. TVA. 1679. *S. Petrus sedens dextrâ claves tenet, lævam libris admovet.* [5]

R. P. *Bonannius* [a] cusum arbitratur Numisma ob præstitum ab Armenorum Patriarcha, ejusque Gentis aliquot Episcopis Pontifici Romano

[a] *Numis. Pontif. tom. 2. pag. 743.*

Digitized by Google

mano per Legatos obſequium; ſed quùm hoc nonniſi an. MDCLXXXI. factum ſit, Numiſma vero annum 1679. Pontificis IIII. præſeferat, referendum eſt ad pacem Noviomagi hoc anno firmatam [a]: Quæ eò jucundior accidit, quod pœnè inſperata foret. Pontifex, cui maximè grata fuit, paullo poſt XVI. Cardinales in lætitiæ ſignum creavit [b].

XII.

INNOC. XI. PONT. M. A. IIII. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; inferius verò*: HAMERANVS. F. 45.

IN. SAECVLVM. STABIT. *Mulier velata ſtans, crucem lævâ, calicem dextrâ tenens; procul Romanæ urbis, & Pontis Milvii adſpectus; in exergo*: 1680. [5]

Neque huic, neque præcedenti Numiſmati *Bonannius* Epocham adpoſuit. Poſterius perpetuam Romanæ Eccleſiæ numquam defuturæ firmitatem deſignat.

XIII.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. A. V. *Effigies cum camaleucio, brevi pallio, & ſtola; inferiùs*: HAMERANVS. 20.

IN. COELO. SEMPER. ASSISTITVR. *S. Michael Archangelus, Dæmones flammis circumdatos conterens*. [5]

Numiſma explicatione non indiget: Archangelus enim Michael in eo exprimitur, qui Chriſtianorum preces Deo offert, ut Vindobonæ a Turcis obſeſſæ, & oppugnatæ propitius foret. Qui hujus obſidionis noſſe vult hiſtoriam, adeat Cl. Præſulem *Lucchesinium* in principio ſuæ Hiſtoriæ [c].

XIV.

INNOC. XI. PONT. MAX. A. V. *Effigies, capite nudato, cum pluviali, in quo Chriſtus Crucifixus, & S. Maria Magdalena; inferiùs*: HAMERANVS.

Eadem poſtica, quæ numero ſuperiori. [5]

Hoc Numiſma, quod Bonannius omiſit, vidi apud Franciſcum *Valeſium*, virum clariſſimum.

XV.

INNOCEN. XI. PONT. M. A. V. *Effigies cum camaleucio, & pallio brevi; inferiùs*: I. B. G. F. 6.

EGO

a *Lucchesin. Hiſt. ſui temp. tom. 1. pag. 11.*
b *Anonym. in Vita poſt Plat. tom. 2. pag. 788.*
c *Tom. 1. lib. 1.*

EGO. SVM. PASTOR. BONVS. *Christus ovibus circumdatus, oviculam super humeros tenet, & pedum cingulo alligatum.* [5]

Adeo Innocentii XI. virtutum fama percrebuerat, ut aliquot Schismatici Orientales ad Catholicam Ecclesiam reverti exoptarent: ideo *Blasius*, Archiepiscopus *Sarmacensis* ad mare Caspium, & *Magdrinus*, *Samantrensis* Episcopus per suos Legatos Pontifici supplicarunt, ut ad eas Ecclesias viros mitteret, qui Catholica dogmata populos docerent. Ortodoxam etiam fidem amplexi sunt *Euthymius*, Archiepiscopus *Tyri*; & *Ignatius*, *Antiochenus*, ac *Josephus Chaldæorum*, Patriarchæ [a]. Hos omnes, ejurata hæresi, Innocentius lætus excepit.

XVI.

27. INNOC. XI. PONT. M. A. VI. *Effigies, ut supra; inferiùs verò:* HAMERANVS.

VNA. SVPER. VNVM. *Mulier velata nubibus insidens, levâ Crucem gestat, quam Patriarchalem dicunt, dextra claves tenet, & templo, quod puer sustinet, innixa est. Alius item puer, qui Tiaram Pontificiam in manu habet.* [5]

Hoc miri operis Numisma, quod Unitatem Fidei ostendit, cusum fortasse fuit ob hæresim Michaelis *Molinosii*, quam, Romæ vix deprehensam, Sanctissimus Pontifex exstinxit.

XVII.

64. INNOC. XI. PONT. M. AN. VIII. *Effigies, cum Regno, ac pluviali; inferiùs verò:* I. H.

IN. SAECVLVM. STABIT. *Mulier stolata stans, & reliqua, ut numero XII.* [4]

Licet formæ aliquantulum discrepent, utrumque tamen Numisma ad eandem hæresim profligatam adludit.

XVIII.

3. INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies cum Regno, & arabici operis pluviali.*

DE. COELO. PROSPEXIT. *Mulier succincta sedens, ensem dexterâ, lancem levâ tenet.* [5]

Nil antiquius fuit Innocentio, quàm Justitia, *ex quâ una*, ut ait Cicero [b], *boni viri appellantur*. Vix inito Pontificatu eam summopere

pere

---

a *Anonym. in Vita ubi supra pag.* 789.

b *De Off. tom.* 2.

pere Judicibus, & Reipublicæ moderatoribus commendavit, & in eam tota mente semper intendit [a].

XIX.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.* 8.

INNOCENTIVS. XI. ODESCHALCVS. PONT. MAX. *Verbis interpositæ pateræ, Pontificii stemmatis pars; in medio:* OPTIMO. PRINCIPI. ANNO. VIII. *Supernè Crux, infernè Leo, altera stemmatis pars.* [4]

Ob summam in Deum Religionem, & in subditos pietatem, Optimi Principis titulo Innocentius vivus adhuc potiori jure decoratus est, quàm Titus, & Trajanus, quos eo nomine Roma olim dignos habuit.

XX.

INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. A. VIII. *Effigies, nudato capite, cum pluviali, in quo Aquila, & Leo Pontificis Insignia; inferius verò:* H. 48.

TV. DOMINVS. ET. MAG. *Duodecim Apostolorum pedum lotio; in exergo:* EXEMPL. DEDI. VOBIS. [6]

XXI.

INNOCEN. XI. PON. M. *Effigies, cum Tiara Pontificia, & pluviali, in quo Leo, & Aquila; inferius:* OPVS. HAMERANI. 49.

EXEMPLVM. DEDI. VOBIS. *Christus Apostolorum pedes lavans.* [5]

XXII.

INNOCEN. XI. PON. M. *Effigies Pontificis manu benedicentis, cum Regno, & arabici operis pluviali.* 50.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Christus lavans pedes S. Petri; in exergo:* EXEMPL. DEDI. VOBIS. [6]

Hæc Numismata explicatione non indigent. Quod numero XXI. posuimus, medio est modulo cusum, alia duo minimi sunt moduli. Nos alia reliquis Innocentii annis cusa, & pauperibus distributa, omisimus, utpote quæ his similia sunt, Epochâ tantùm exceptâ. Unum præter alia apud Cl. *Valesium* olim vidi, in qua Pontifex cum camaleucio, & brevi pallio, & AN. XIII. Sic apud eundem, Numisma vidi Clementis IX. ab Johanne Baptista *Guglelmada* percussum,

Pp in

a *Bonann. Num. Pontif. tom. 2. pag. 740.*

in cujus antica parte Pontifex cum camaleucio, & brevi pallio, in postica: INNOCENTIVS. XI. PONTIFEX. MAXIMVS. Inferius: G. F.

XXIII.

16. INNOC. XI. PONT. M. A. VIII. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; inferius*: HAMERANVS. *Circa Numismatis superficiem, qua crassitudo apparet*: AD. MAIOREM. DEI. GLORIAM. ET. ECCLESIÆ. SVÆ. INCREMENTVM.

HABETO. NOS. FOEDERATOS. ET. SERVIEMVS. TIBI. *Ara, super qua Tiara Pontificia, Corona Imperialis, & Regia, ac Cornu Ducum Venetiæ; in media ara*: ANNO. DOMINI. MDCLXXXIIII. [4]

XXIV.

INNOC. XI. PONT. M. A. VIII. *Effigies, ut supra; subtus*: HAMERANVS. F.

Eadem postica. [4]

Epocham in priori Numismate *Bonannius* omisit. In utroque designatur Fœdus in Turcas initum inter *Innocentium* XI. P. M., *Leopoldum* Imperatorem, *Johannem* III. Poloniæ Regem, & Marcum Antonium *Justinianum* Venetorum Ducem.

XXV.

18. INNOC. XI. PONT. LEOP. I. IMP. IOA. III. REX. PO. M. A. IVS. VE. DVX. *Effigies Pontificis, cum camaleucio, brevi pallio, & stola: Imperatoris Leopoldi I. cum chlamide, capillamento, & laurea corona: Johannis III. Poloniæ Regis, capite detecto, cum thorace, & M. A. Justiniani Ducis Venetorum cum cornu Ducali; Omnes dextrorsum*.

VNIVIT. PALMAMQVE. DEDIT. *Aquila biceps (cujus alterum caput Tiarâ Pontificia, alterum Regiâ Coronâ est redimitum) unguibus ensem, & sceptrum tenet; in ejus ventre Insignia Gentis Austriacæ; in nubibus parva Crux*. [1]

Ad idem fœdus spectat hoc maximi moduli pulcherrimum Numisma; quod cusum fuit priusquam Poloni, & Veneti eidem subscriberent; Hujus Fœderis conditiones apud Anonymum Biographum [a] legere est, & apud Bonannium [b].

XXVI.

a *Post Platin. tom. 2. pag. 793. in Vita Innocentii XI.*
b *Bonan. tom. 2. pag. 747. Num. Pont.*

Digitized by Google

XXVI.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo B. Virginis Annunciatio*; *inferius*: I. H. 19.

CONFORTAMINI. ET. NON. DISSOLVANTVR. MANVS. VESTRAE. *Leo alatus, anteriori pede librum apertum tenens, & facem, alium pedem porrigit duabus Aquilis, quarum una biceps, coronata, cum ense unguibus arrepto, alia unum habens caput coronatum, in cujus unguibus ensis*. [4]

XXVII.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo mulier, cum anchora, Puer, ac Spiritus Sanctus*; *inferius*: HAMERANVS. F.

Eadem postica. [4]

Hìc etiam memoratum fœdus, Imperii scilicet, Polonorum, & Venetorum exprimitur per tria animalia, quæ pedes sibi invicem porrigunt. Postremum Numisma apud Clar. *Cornazzanium* vidi.

XXVIII.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut in superioribus*. 34.

DEXTERA. TVA. DOMINE. PERCVSSIT. INIMICVM. *intra coronam palmeam*; *inferius*: 1683. [3]

Quum optatissimum nuncium Innocentius accepisset, Vindobonam obsidione liberatam ingenti Turcarum strage, Vexillum Hostibus ereptum, & a Comite Talenio Poloniæ Regni a Secretis Romam allatum, illud in Sacello Pontificio solemni ritu sibi offerri voluit, ac postea in Basilica Vaticana suspendi: *Hacce occasione* (ait Anonymus in vita italicè scripta [a]) *Numismata percussit, in quorum postica*: DEXTERA. TVA. DOMINE. PERCVSSIT. INIMICVM. *qua epigraphe usus antea fuerat S. Pius V. quum nuncium de Victoria celeberrima apud Echinadas* de Turcis a Fœderatis relatam *accepit*.

XXIX.

INNOC. XI. PONT. M. AN. IX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio*; *inferius*: I. H. 42.

DOMINVM. FORMIDABVNT. ADVERSARII. EIVS. *Mulier velata sedens, dexterâ flammam tenens, lævâ Crucem*; *ponè eam puer cum libro aperto*. [4]

Alludit fortasse hoc Numisma ad *Neritum* Urbem, & universam

a *Idem Anonym. ibid. pag. 792.*

Insulam Leucadiæ, qua Veneti, victis Turcis, potiti sunt pridie Nonas Augusti anni MDCLXXXIV. [a]; & ad faustos successus, qui ex quadruplici fœdere inter Christianos Principes constituto in eosdem Turcas, sperabantur.

XXX.

7. INNOC. XI. PONT. M. AN. X. *Effigies cum camaleucio, brevi pallio, & stola. In imo*: I. H.

NON. QVAERIT. QVAE. SVA. SVNT. *Mulier sedens, duobus pueris blanditur, & lac præbet.* [4]

Charitatis symbolum jure Innocentio aptatum est. Ipse enim Novariensis Episcopus creatus anno MDCL. Ecclesiasticum censum in pauperum alimenta, & suæ Ecclesiæ Cathedralis ornatus erogavit; Episcopatu abdicato, partem, quam ex redditibus retinuit, egenis distribui jussit. Pontifex electus, quum Roma, aliæque Ecclesiasticæ Ditionis urbes in summa frumenti caritate essent, ac Flaminiæ magna pars Terræmotibus afflicta, omnem dedit operam, ut tam graves ærumnas allevaret, & subditorum incolumitati prospiceret [b].

XXXI.

10. INNOCENTIVS. XI. PON. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

ECCE. HAEREDITAS. DOMINI. *Mulier sedens, quatuor pueris circumdata.* [5]

Præter alia, quæ in pauperes, & egenos pietatis argumenta dedit Innocentius, illud præcipuum fuit, quod in Xenodochia etiam liberalissimus, gratuitum Hospitium ad S. Gallæ satis amplum pauperibus advenis exstruxerit, ipium opus Livio Odeschalco fratris sui filio commendans [c], qui ære proprio nedum perfecit, sed & ampliavit ædificium, censumque ei attribuit.

XXXII.

40. INNO. XI. PONT. M. A. XI. *Effigies, ut supra; inferius*: I. H.

IN. PERPETVVM. CORONATA. TRIVMPHAT. *Crux spicis coronata, radiisque circumdata, supra montem posita, circa quem mare, quatuor ventis agitatum.* [5]

Argenteum hoc Numisma, quod videre est apud Marchionem *Luccatellium*, cusum fuit ob victorias, quas hoc anno de Turcis in Hungaria

a *Lucchesin. Hist. sui Temp. lib. 1. cap. 3. Anonym. post. Platin. pag. 795.*
b *Bonann. Numis. tom. 2. pag. 742.*
c *Idem ibid. pag. 744.*

Digitized by Google

ria retulerunt Christiani; multis enim Urbibus, & Vicis illius Regni Fides Christiana restituta est.

XXXIII.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. AN. XII. *Effigies cum Tiara Pontificia, & pluviali, in quo S. Paulus; inferius:* I. H. 21.

SPERENT. IN. TE. QVI. NOVERVNT. NOMEN. TVVM. *Mulier stans respicit irradiatum aerem, & ancboram lævâ tenet.* [4]

Hoc etiam Numisma bellum Hungaricum, & Pontificis in Deum fiduciam refert.

XXXIV.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Caput cum regno, & pluviali, in quo Leo, Aquila, & Tiara Pontificia; inferius:* OP. I. H. 15.

FECIT. PACEM. SVPER. TERRAM. 1679. *Mulier genuflexa offerens vas odoratis suffimentis plenum; in aere Angelus cum olivæ ramo.* [3]

Pax Noviomagi XVI. Kalendas Sextiles anni MDCLXXIX. inter Cæsarem, & Galliæ Regem [a], Nuncii Pontificii *Bevilacquæ* officiis, confecta in hoc Numismate exprimitur, quæ post diuturnum bellum jucundior accidit [b].

XXXV.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut numero superiori.* 24.

ET. DEBELLARE. SVPERBOS. *Mulier flexis genibus respiciens in Crucem, quam dexterâ tenet, lævâ comburit, face admotâ, aliquot libros, genuque mulierem jacentem premit.* [4]

Michaelis *Molinosii* Hispani Presbyteri hæresis, quam Innocentius XI. damnavit, notissima est. Mirum sane fuit tandiu eam latuisse, quodque vir hypocrita pietatis larvâ, nedum mulierculas deceperit, & imperitissimorum mentes imbuerit suæ pravitatis erroribus, sed & apud primi subsellii viros in ea opinione fuerit, ut vix tandem Destræi Cardinalis operâ, & sagacitate detectâ fraude, homo vaferrimus in vincula conjectus fuerit, & publice suas hæreses, sceleltissimosque mores execrari coactus in Templo S. Mariæ supra Minervam, dein v. Kal. Septembris anni MDCLXXXVII., quæcumque in suis libris impia dogmata effutiverat, LXVIII. absurdissimis sententiis expo-

a *Teatro di Pace edition. German. tom. 2.*
b *Videas Lucchesin. Hist. tom. 1. lib. 1.*

Digitized by Google

expoſita, Innocentius Apoſtolica conſtitutione damnaverit [a]. Hæc, meâ ſententiâ, Numiſma exprimit.

XXXVI.

5. INNOCEN. XI. PONT. MAXIMVS. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio; inferiùs:* A. PILOTVS.

CLAVES. REGNI. COELORVM. *Chriſtus S. Petro claves tradens.* ROMA. [3]

XXXVII.

14. INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

DIVINAE. NVNCIA. MENTIS. *Zodiacus, in quo Aquila, Leo, & patera, ſtellis ornatæ.* [4]

Pulchrum Numiſma Pontificis refert ſtemma per Zodiacum, & duo ſigna, unum Auſtrale, alterum Boreale. Nam inter cœleſtia ſigna, Aquila, Leo, Patera ab Aſtronomis collocantur [b].

XXXVIII.

22. INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

SALVATOR. MVNDI. *Salvatoris protome.* [5]

Pluries poſticam ſimilem obſervavimus.

XXXIX.

23. INNOC. XI. PONT. MAX. A. XIII. *Effigies, ut ſupra; ſubtùs:* IO. HAMERANVS. F.

FORTITVDO. MEA. DOMINE. *Mulier galeata ſedens, quæ levâ Leoni blanditur, & clypeo incumbit, in quo fulgur exprimitur, dextram dimidiæ columnæ admovet, reliquam columnæ partem pede premit.* [4]

Pulcherrimum hoc argenteum Numiſma apud Marchionem *Luccatellium* vidi. Ejus poſtica oſtendit Pontificis Conſtantiam in adverſis, quæ hoc anno contigere MDCLXXXVIII. nam inter Chriſtianos Principes bellum exortum eſt, & Jacobus II. Rex Angliâ expulſus: Veneti infauſto eventu cum Turcis pugnarunt [c]. Vix quiſquam alius tot adverſa æquo tuliſſet animo.

XL.

51. INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio; inferiùs:* GVGLELMADA. INC.

VE-

a *Anonym. in Vita poſt Platin. tom. 2 pag. 801.*
b *Videri poſſunt quicumque inter Recentiores de Aſtronomia loquuti ſunt.*
c *Anonym. in Vita poſt Platin. tom. 2. pag. 825. & ſeq.*

Digitized by Google

VENITE. ET. VIDETE. OPERA. DOMINI. *Pontifex in Throno sedens, cui Societatis Jesu Sacerdos tres Legatos Tunckinenses præsentat; in exergo:* 1688. [4]

XLI.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies cum triplici Regno, & pluviali floribus respersо; inferiùs parvus Leo.* 52.

VENITE. ET. VIDETE. OPERA. DOMINI. *Pontifex in Throno, ad cujus latus Cardinalis; Societatis Jesu Sacerdos ei tres Legatos Tunckinenses præsentat.* [4]

Hìc denotatur Legatio Tunckinensis ad Pontificem facta. Circa anni MDCLXXXVIII. finem Innocentius XI. publicè excepit Legatos Regis *Siamensis*, & aliquot neo-Christianos Tunckinenses, quos Romam duxerat P. *Tachardus* S. J. Gallus. More patrio induti, & Pontifici, Cardinalibus adstantibus, præsentati, post aliquot cæremonias, Regis *Siami*, ejusque primi Ministri litteras dedere, muneraque obtulerunt Siamo advecta. Pontifex[a] benignè exceptos, propriis sumtibus, & Congregationis *de Propaganda Fide*, diu aluit, & tandem muneribus onustos ad propria remisit.

XLII.

INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.* 26.

DOMINE. TV. SCIS. QVIA. AMO. TE. *S. Petrus, duobus Apostolis comitatus, genibus flexis in Christum stantem respicit.* [1]

Qui Innocentii mores fuerit perscrutatus, eidem jure optimo hæc Petri ad Christum verba aptata fuisse, fateatur necesse est. Hoc Numisma maximo est modulo cusum.

XLIII.

INNOCEN. XI. PONT. MAXIM. *Effigies cum Tiara, & pluviali.* 37.

SVB. TVVM. PRÆSIDIVM. *in tæniola. B. Virgo Lauretana sedens, supra Domum nubibus elatam; inferiùs Vexillum Turcicum, & prælii imago; in exergo:* TVRCIS. AD. PARKAN. CÆSIS. A. IOANNE. III. POL. REGE. A. 1684. [4]

Epigraphem, quæ in exergo est, Bonannius omisit. Post *Parkanense* prælium[b], ad quam Hungariæ urbem Johannes III. Poloniæ Rex Turcas VII. Idus Octobres ann. MDCLXXXIII. fudit, is Vexillum ma-

a *Bonann. Numis. Pontif. tom. 2.*
b *Videatur Relat. apud Bosium Venet. impress. Luccbesin. Hist. to. 1. cap. 3. pag. 107.*

majus inimicis ereptum ad Pontificem misit, qui Virgini illud consecraret, in sacra Lauretana ejus Domo. Pontifex per *Alterium* Cardinalem, & Abbatem *Baglionium* Vexillum ad eam Urbem misit, quod ibi magnâ solemnitate exceptum est, ac peramplâ Inscriptione donatum [b].

XLIV.

39. INNOCENTIVS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

HIC. VERBVM. CARO. FACTVM. EST. *B. Virgo sedens supra Domum nubibus, & τῶν Seraphim capitibus innixa.* [4]

XLV.

31. INNOCENTIVS. XI. ODESCALCHVS. PONTIF. MAX. *Effigies, ut supra.*

DOMVS. B. M. V. LAVRETANAE. *Adspectus Templi, & fori Lauretani, in quo supplicatio habetur.* [4]

Bonannius auctor est, cusa fuisse hæc Numismata a quodam *Cæsarinio*, & ab Johanne Baptista *Guglelmada* renovata. In posteriori repræsentari, existimo, supplicationes habitas quum Turcarum Vexillum in Lauretanum Templum fuit illatum; in priori verò, in quo Beatæ Virginis Icon expressa est, idem fortasse exprimitur.

XLVI.

INNOCENTIVS. XI. ODESCHVS. PONTIF. *Caput cum camaleucio, ac brevi pallio; In ima parte:* F. C. F.

SANCTA. MARIA. LAVRETANA. *B. Virginis Lauretanæ Icon.* [3]

XLVII.

53. INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

FELIX. CIVITATIS. LAVR. *Domus Lauretanæ adspectus, supra quam B. Virgo.* [4]

XLVIII.

54. INNOC. XI. PONT. MAX. *Eadem effigies.*

MATER. IESV. CHRISTI. *B. Virginis protome.* [5]

XLIX.

28. INNOC. XI. PONT. MAX. *Eadem effigies.*

MATER. SALVATORIS. ORA. PRO. NOBIS. *Eadem protome.* [5]

L.

---

a *Martorell. Hist. Laur.*

L.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.* 29.

QVI. ME. INVENIT. INVENIET. VITAM. *B. Virginis protome, stellam habens in fronte, & laureá coroná circumdata.* [5]

In Numismate XLVII., Cursoris errore, pro: CIVITAS, positum est: CIVITATIS. Hæc omnia privatus quispiam fudit ob suam in Pontificem religionem, sed eo defuncto, eorum usus vetitus est, neque enim palam venerari vita functum cuiquam licet, nisi ejusdem Sanctitas Apostolicæ Sedi probata sit.

LI.

INNOC. XI. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, ut in superioribus.* 31.

S. PETRVS. APOSTOLVS. *S. Petrus sedens claves dexterá, librum lævá tenet.* [5]

LII.

INNOC. XI. PONT. MAX. *Effigies prioribus similis.*

CASTRONOVO. EXPVGNATO. *Navis, in qua Vexillum militare, gubernator, & aliquot remiges; superius Genius coronatus, vento adverso occurrens; in exergo*: 1687. [4]

De hac expugnatione sic loquitur Cl. *Lucchesinius* [a]: *Id demum* (hoc est Castrumnovum) *post toleratam octo, & viginti dierum oppugnationem, vicit oppidanorum pertinaciam, ac de deditione agitari cœptum. Facilè in eas leges conventum, ut Prætor, & septingenti, qui adhuc supererant bello idonei, armati; imbellis turba (mille quingenti erant) incolumis abiret. Unusquisque rei familiaris, quantum humeris posset, secum abduceret. Tanta ubique rerum prosperitas, qua hoc bello Venetis nulla major, Venetias renuntiata, civitatem mirificè exilaravit.*

LIII.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.* 33.

INNOCENTIVS. XI. ODESCALCHVS. PONT. MAX. *Inter unumquodque verbum patera, stemmatis Pontificii pars.* MVNIFICENTIAE. TVAE. IN. OBSIDIONE. TVRCARVM. TRIBVENDA. VICTORIA. ANNO. VIII. *intra coronam palmeam.* [3]

Qq Eidem

a *Hist. tom. 1. lib. v. pag. 516.*

Digitized by Google

Eidem expugnationi *Castrinovi* Dalmatiæ urbis hic adludi, existimo: de ea sic legitur in Diariis Pontificiis [a]: XII. *Octobris* MDCLXXXVII. *Johanni Lando Reipublicæ Venetæ Ablegato litteræ sunt redditæ, quæ totam Urbem lætitiâ complevere; etenim nunciatum fuit, Castrum novum, Arcem in Dalmatia ad ostium sinus Rhizonici munitissimam, a Turcis anno* MDXXXIX. *occupatum, & sedem effectum piratarum in prædicto mari, sub Venetorum Imperium redactum fuisse post validam Turcarum defensionem*. Hæc Numismata fudit Johannes Andreas *Laurenzanius*.

LIV.

35. INNOC. XI. PONT. MAX. *Effigies prioribus similis*.
B. AMADEVS. DVX. SABAVDIAE. III. *Effigies B. Amadei irradiati, veste induti subsutâ pellibus, quas dicunt* Armellino, *& monile Ordinis aurei Velleris collo gerentis*. [4]
R. P. *Bonannius* [b] rectè credit, hoc Numisma a devoto aliquo B. Amadei percussum, inter Numismata privatæ auctoritatis amandandum.

LV.

47. INNOC. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut supra*.
S. PETRVS. CÆLESTINVS. P. M. *Sancti hujus Pontificis effigies, cum camaleucio, brevi pallio, & stola; inferius*: 1681. [4]
Hoc etiam Numisma inter privatâ auctoritate percussa recensendum.

LVI.

41. INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut supra*.
GLORIOSA. DICTA. SVNT. DE. TE. CIVITAS. DEI. BVDA. 1684. *Urbis Budæ adspectus, cum Danubii jacentis signo*. [4]
Anno MDCLXXXIV. a Numismate designato, Buda a Cæsareis militibus obsessa quidem, at minime expugnata est; quod anno tandem MDCLXXXVI. accidit, etenim obsessâ iterùm urbe X. Kal. Sextiles, ac III. Nonas Novemb. expugnatâ, Romam faustus pervenit Nuncius V. Idus eosdem, qui summo gaudio exceptus est, auctaque lætitia, quod Pontifex XXVII. Cardinales mox creaverit. Pridie eosdem Idus tormentis bellicis explosis, nolarum sonitu, festivisque ignibus Populo palam res nunciata est; eodemque die Pontifex in gratiarum actionem Missam Pontificalem [c] fecit.

LVII.

a *Diar. MSS. Cærem. Pontif. Præf.*
b *Num. Pont. tom. 2. pag. 772.*
c *Ex Diariis MSS.*

Digitized by Google

LVII.

INNOC. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, brevi pallio, & stola.* 36.

VICIT. LEO. DE. TRIBV. IVDA. *Leo canem discerpens super Vexillo Turcico stratum, aliis canibus adlatrantibus.* [4]

Certum est, Numisma hoc ad victoriam aliquam de Turcis relatam referri, sed quum Epochâ careat, quænam ea victoria fuerit, ignoramus.

LVIII.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum Tiara Pontificia, & pluviali.* 55.

D. SI. VIS. POTES. *Leprosus genibus flexis, & scipioni innixus ante Jesum stantem, & radiis circumdatum.* [5]

Hæc postica alterius fortasse Pontificis, Innocentio XI., & Alexandro VIII. aptata fuit, iisdem semper formis adhibitis; cæterum omnibus ea epigraphe convenit.

LIX.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, capite detecto, manibusque junctis, cum arabici operis pluviali.*

VIDETE. DOLOR. MEV. *Christus mortuus in B. Mariæ Virginis sinu.* [5]

Sacrorum Numismatum cusor Antonius *Philibertus*, hoc cudit, ut Innocentii cultoribus distribueret; sed quòd id privatâ factum fuerit auctoritate, tam hoc, quàm alia superiùs memorata Numismata distribui vetita.

LX.

INNOC. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.* 56.

SANGVINEM. PRINCIPVM. TERRÆ. BIBETIS. *Patera cum ansis in columbarum speciem.* [5]

Numisma hoc, utpote privata auctoritate fusum, & ex ignota nobis causa, inexplicatum relinquimus.

LXI.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.* 43.

GRATIA. DEI. OMNE. BONVM. *Tres Genii flores, & palmas spargentes; In tænia*: 1691. [5]

Quum Innocentius, IV. Idus Sextiles anni MDCLXXXIX. obierit, Numisma verò annum referat MDCXCI., dicendum est post ejus obitum

 ab

ab aliquo privato fuiſſe cuſum. Ejus ſenſum haud facile quis adſequi poſſet. *Bonannius*, neſcio quo argumento, per tres Genios, tres Gratias exprimi arbitratur. Sub Innocentio XII. moneta cuſa eſt, quam vocant *Piaſtra*, in qua: DEI. OMNE. BONUM. & tres Genii eodem modo, ac hìc, expreſſi ſunt.

LXII.

44. INNOCEN. XI. PONT. MAX. *Effigies*, *ut ſupra*.

SUB. TUUM. PRAESIDIUM. *Pontifex palliolo*, *& ſtolá indutus genibus flexis ſupra aliquot gradus reſpicit in B. Virginem*, *quæ eſt in nubibus*; *ante Pontificem*, *aliquantulum inferiùs viri figura genuflexa*, *procul duo cataphracti fugiunt*. [4]

Exiſtimat *Bonannius*, exprimi hìc victorias de Turcis relatas; narrat tamen hoc loco triumphum Romæ actum de hæreſi ſubacta in Magnæ Brittaniæ Regno.

LXIII.

INNOCENTIUS. XI. PONT. MAX. *Effigies*, *cum camaleucio*, *& brevi pallio*.

FECIT. ENIM. MIRABILIA. IN. VITA. SUA. *in parma*, *quam Fama*, *& duo pueri tenent*. [1]

Apud clariſſimum, & amiciſſimum, dum vivebat, Franciſcum *Valeſium*, hoc maximi moduli Numiſma vidi, quod ſane cuſum eſt poſt Innocentii mortem, ut ex epigraphe conſtat. Ea fuit de Innocentio omnium opinio, ut ad ejus cadaver, & deinde ad tumulum frequentiſſimi acceſſerint ex quocumque ordine, & ſtatu homines, ac ſignatâ, ut ajunt, commiſſione ejus cauſæ Canonizationis, *Venerabilis* titulo decoratus ſit.

Mor-



MOrtuo Innocentio XI. poſtquam Apoſtolica Sedes menſem I., dies XXV. vacaſſet, Pontifex electus eſt Petrus Cardinalis *Ottbobonus* pridie Nonas Octobres anni MDCLXXXIX. Hic nomen ſumſit Alexandri VIII., obiitque Kalendis Februariis anni MDCXCI. Ejus oſſa in Baſilica Vaticana condita ſunt, magnifico ſepulchro, quod Petrus Cardinalis *Ottbobonus* Fratris filius eidem exſtruxit, hac epigraphe.

PATRVO. MAGNO
ALEXANDRO. VIII. OTTHOBONO
VENETO. P. O. M.
PETRVS. CARD. EPVS. SABIN. S. R. E. VIC. CANC.
ANNO. IVB. MDCCXXV.

I.

ALEXAN. VIII. OTTOBON. P. O. M. CRE. VI. OCT. 1689. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio; inferius*: IO: HAMERANVS. F. 7.

MV-

MVNIT. ET. VNIT. *Globus, cujus pars superior cœlum, inferior terram designat; Zona, Zodiacum repræsentans, quæ globum secat, Cœlum a terra dividit.* [4]

Adluditur in hoc Numismate ad gentilitium Pontificis stemma, in quo supernè Aquila biceps in area alba, Zona item alba, quæ subjectam obliquè secat aliam stemmatis aream, cujus pars superior cærulea, inferior viridis. Qui ex Pontificis stemmate symbolum in Numismate composuit, nil nisi ejusdem summam Cœlo, Terrâque authoritatem expressam voluit.

II.

4. ALEXAN. VIII. PONT. M. A. I. *Effigies, ut supra; inferius:* I. H. DOMINI. EST. ASSVMPTIO. NOSTRA. *S. Petri Cathedra; in exergo:* 1690. [6]

Principio Pontificatus cusum est Numisma, quo Pontifex profitetur, assumtionem suam a Domino factam esse. Difficillimis temporibus Alexander Pontificatum gessit, tum ob domesticas discordias, quum ob universale pœnè bellum inter Christianos Principes; ipse verò Provinciam optimè administravit.

III.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, cum Tiara Pontificia, & pluviali, in quo S. Bruno expressus; inferius:* I. H.

Postica, ut numero I. [5]

Exprimitur in pluviali S. Bruno, quòd hujus, & S. Magni, festo die, pridie Nonas Octobres Alexander electus sit Pontifex; ea de caussa in monetis, quas vocant *Testoni*, & in majoribus aureis, quos dicunt: *Scudi d' oro da due, da quattro* (quod nempe duobus, aut quatuor minoribus aureis constent) S. Brunonis, & S. Magni *Opitergii* Episcopi Icones visuntur, cum epigraphe: DIE. NAT. SS. MAGNI. EP. OPITER. ET. S. BRVNONIS. ANACHOR.

IV.

6. ALEXAN. VIII. PONT. M. A. I. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo S. Bruno.*

SVAVITATE. *Thuribulum, e quo thus fumicat.* [6]

Anticam numero superiori explicavimus; postica verò adludit ad morum suavitatem, qua Pontifex omnium sibi animos conciliabat, & ad ejusdem in sacris disciplinis peritiam.

V.

9. ALEXAN. VIII. PONT. M. A. I. *Eadem effigies; inferius:* I. H.

EXEM-

Google

EXEMPL. DEDI. VOBIS. *Christus Apostolorum pedes lavans*. [6]

VI.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio*. 8.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Jesus Christus S. Petri pedes lavans; in exergo*: EXEMPL. DEDI. VOBIS. [6]

Utriusque Numismatis posticæ super decessorum Pontificum formas sunt cusæ.

VII.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. AN. I. *Effigies, ut supra; inferius*: IOS. ORTOLANI. VEN. F. 19.

VICTRICEM. MANVM. TVAM. LAVDEMVS. *B. Virgo in nubibus sedens, Puerum Jesum habens in ulnis; inferius mare, in cujus littore duo Trophæa, & duo Turcæ manibus retrorsum vinctis*. [4]

In pereleganti hoc Numismate Victoriæ exprimuntur a Fœderatis Principibus Christianis de Turcis[a] relatæ, præsertim a Venetis, qui VI. Idus Sextiles anni MDCXC. *Epidauro*, sub B. M. Virginis auspiciis expugnato, *Peloponnesum* pœnè universam e Turcarum Tyrannide[b] liberarunt.

VIII.

ALEXANDER. VIII. PONT. MAX. 1690. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio*. 3.

NON. PRAEVALEBVNT. *Mulier velata, in cujus capite Spiritus Sanctus, in scuto verò Pontificis stemma, Cruce, quam dexterá tenet, Hydram percutit, pedibusque proterit*. [1]

Fusi hujus maximi moduli Numismatis epigraphes sensus planus est; damnavit sane Alexander, quæ Conventus Parisiensis Cleri adversùs Romanam Sedem statuerat anno MDCLXXXII. Verba: NON. PRAEVALEBVNT. e mulieris egrediuntur ore: hic mos fuit infimæ ætatis artificum, quorum primi inter Pictores, fuisse dicuntur *Cimabue*, & *Buffalmaccus*[c].

IX.

ALEX. VIII. P.M. OTTHOBONVS. VENETVS. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio; inferius*: I. II. 15.

LAV-

a *Vide inter alios supplementum Brietii per Prefcot.*
b *Petrus Garzonius in Histor. Veneta tom. I.*
c *Videsis le notiz. del diseg. del Baldin.*

LAVRENTIO . IVSTINIANO . IN . SS. ALBVM. RELATO . *S. Episcopus sedens cum pedo , & mitra ; in exergo* : PETRO . ET. IOANNE . LANDIS. ORAT. VEN. ADNITENTIBVS . [5]

Laurentius Justinianus VI. Idus Januarias, anni MDC. a Clemente VIII. S. P. in Ecclesia S. Salvatoris *in Lauro* inter Beatos , ab Alexandro vero VIII. Pridie Nonas Octobres anni MDCXC. inter Sanctos fuit adscriptus [a], una cum BB. Johanne a Capistrano , Johanne a S. Facundo , Johanne de Deo , & Paschale Baylonio . Solemnitas habita fuit in Vaticana Basilica [b] .

X.

10. ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra ; inferiùs* : TRAVANVS .

NOSTRA . FELICITAS. *Mulier sedens supra folium , caduceum dextrâ , lævâ cornucopiæ tenet ; in exergo* : 1690. [5]

Exprimitur hîc vigilantia Pontificis , in ubertate urbi Romæ procuranda . Is enim murium silvestrium ingentem copiam exsterminavit, qui agros infestabant ; rem agrariam exactionibus , & malâ administratione pœnè obrutam , optimis editis constitutionibus restituit [c] . Jure igitùr merito in ejusdem aureis , & argenteis [d] Numis duo boves insculpti sunt , cum epigraphe : RE. FRVMENTARIA . RESTITVTA . CIƆIƆCXC.

XI.

1. 2. ALEXAN. VIII. OTTOBON. P. O. M. CRE. VI. OCT. 1689. *Effigies Pontificis cum camaleucio , & brevi pallio .*

OPT. ORBIS . PASTORI . AN. II. 1690. *Supernè Pontificia Tiara , cum clavibus decussatis ; omnia intra lauream coronam .* [4]

Cusum est hoc Numisma , Alexandri VIII. Pontificatus anno II. ineunte Christi MDCXC.

XII.

16. ALEXANDER . VIII. PONT. OPT. MAX. *Effigies cum Regno , & pluviali ; inferius* : ROMA .

AMORE . ET . CORDE . *Reges Magi munera offerentes Puero Jesu sedenti in sinu Matris ; supernè Stella .* [5]

Hoc Numisma haud affabre cusum , cui rei adludat , ignoro .

XIII.

---

a *Videre est Benedicti XIV. aureum opus de Canoniz. Sanct. recentior. edit. Patavin.*

b *Videas relat. a Maphæo Urban. de Rubeis publicat. typis Dom. Herculis .*

c *In Vita post Platin. tom. 2. pag. 831.*

d *Scilla Mon. Pontif. pag. 335.*

Digitized by Google

XIII.

ALEXANDER. VIII. PONT. MAX. CREAT. A. 1689. D. 6. OCT. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio*; *Inferiùs*: P. H. M. 17.
NOMINE. DEPOSITO. PETRVS. INCIPIT. ESSE. SEDENDO. OTTOBONVS. TOTO. CORDE. SIT. ERGO. BONVS. EVENIVNT. VENETIS. VEGETIS. IAM. PROSPERA. QVAEVIS. ID. SATIS. IPSE. RECENS. PAPA. LATINE. PROBAS. 1689. *Supernè Pontificis stemma*. [3]
Hoc Numisma Germaniæ fusum est ab artifice, qui Siglis P. H. M. nomen suum expressit. Cæterum quo sensu in ista Acrostide ineptiverit auctor, non est operæ pretium investigare.

XIV.

ALEXANDER. VIII. OTTOBONVS. PONT. MAX. *Effigies, ut supra*; *inferiùs*: N. O. C. 18.
CREAT. D. VI. ET. CORON. D. XIV. OCT. MDCLXXXIX. *intra coronam lauream*. [4]
Hoc etiam Numisma ab ignoto Artifice Germano a Siglis N. O. C. designato percussum est.

XV.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio*. 20.
D. SI. VIS. POTES. *Leprosus genibus flexis ante Salvatorem stantem*. [5]
Simile vidimus Numisma, Innocentio XI. Pontifice cusum; hoc Bonannius privati arbitratur Artificis opus.

XVI.

ALEX. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero superiori*. 13.
S. PETRVS. APOSTOLVS. *S. Petri protome, claves manu tenentis*. [5]

XVII.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Eadem effigies, ac supra*. 15.
SPIRITVS. CONSILII. *Spiritus Sanctus radiis circumdatus*. [5]
Duo hæc Numismata explicatione non indigent.

XVIII.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra*. 14.
EIA. HIC. MARE. HIC. PORTVS. *Mulier sedens quatuor pueris circumdata*. [4]

Digitized by Google

Exprimitur hîc charitas, qua præditus Pontifex, egenis, qui ad eum ut Patrem veniebant, in necessitatibus opitulabatur [a].

XIX.

11. ALEXAND. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

ADDITO. IN. VATICANO. SAPIENTIAE. PABVLO. *Abacus, super qua libri; Supernè Aquila biceps, inter ungues tænia m tenens, in qua:* EX. REGIIS. CHRISTINÆ. THESAVRIS; *inferius:* 1690. [4]

XX.

12. ALEXAND. VIII. PONT. MAX. *Eadem effigies.*

SAPIENTIA. FVNDAVIT. STABILIVIT. PRVDENTIA. 1689. *Bibliothecæ Vaticanæ adspectus.* [4]

Duo hæc pulchra Numismata percussit Johannes Andreas *Laurenzanus* in memoriam Bibliothecæ Librorum, qua editorum, qua manuscriptorum, Suecorum Reginæ *Christinæ*, quam Pontifex comparavit, & partem præcipuam Vaticanæ adjecit [b]. Mortuâ Christinâ XIII. Kalendas Majas anni MDCLXXXIX., ejus cadaver in Ecclesia PP. Congregationis Oratorii, quam *Novam* dicunt, expositum, deinde in Basilica Vaticana conditum fuit. Putat Bonannius, sed dubio argumento, in posteriori Numismate expressam esse amplissimam Bibliothecam, quam familiæ suæ Pontifex legavit, quamve Fianensis Dux modo possidet.

XXI.

ALEXANDER. VIII. OTTHOBONVS. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola.*

PETRVS. CARD. OTTHOBONVS. S. R. E. VICECANC. PATRVO. MAG. BENEMERENTI. POSVIT. MDCC. *Pontificis tumulus; urnæ inscriptum est:* ALEX. VIII. PONT. MAX. *Inferius:* COMES. CAROLVS. S. MARTIN. INVEN. *& stemma Cardinalis Otthoboni; e lateribus stemmatis:* S. V., *hoc est:* S. VRBANVS. [2]

Ponè S. Leonis Aram in Vaticana Basilica adest Alexandri VIII. sepulchrum, quod Angelus *de Rubeis* a Comite *de S.Martino* delineatum incidit. Hoc Numisma, cujus diametros est III. circiter digitorum, cudit celebris Artifex Lotharingus, quem dicunt Ferdinandum *S. Urbanum.*

XXII.

a *Johan. Palat. in Emblem. Pontif. Vit. describ.*

b *Videsis Inscriptionem, quæ legitur supra Portam ædium Bibliothecæ Vaticanæ ab Alexandro VIII. adjunctarum.*


Digitized by Google

XXII.

SEDE. VACANTE. MDCXCI. *SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli capita.*

VENI. LVMEN. CORDIVM. *Spiritus Sanctus in columbæ ſpeciem.* [6]

Feſto SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum die, Sede etiam Vacante, Numiſmata cuduntur Reverendæ Cameræ Officialibus diſtribuenda. Anno MDCXCI. ob Alexandri VIII. mortem vacante Sede, menſe Junio præſens Numiſma cuſum fuit.



Digitized by Google



KAlendis Februariis anni MDCXCI. mortuo Alexandro VIII., IV. tandem Idus Quintiles ad Pontificatum evectus est Antonius *Pignatellus* Neapolitanus, Cardinalis, qui nomen assumsit Innocentii XII. Obiit V. Kalendas Octobres anni MDCC., & in Vaticana Basilica conditus est modico sepulchro, quod minimo sumtu sibi vivens paraverat, suo tantùm nomnie inscripto.

I.

1. 2. INNOCEN. XII. PONT. M. A. I. *Pontificis effigies cum pileolo, & brevi pallio*; *inferius*: I. H.

A. DEO. DATVS. DIE. XII. CORONAT. XV. IVLII. *Supernè caput Seraphim*. [6]

R. P. *Bonannius* in Germania hoc Numisma cusum censet, quum in antica siglæ: I. H. ab Johanne *Hamerano* percussum denotent. Ipse etiam, ut cæteris Pontificibus injurium, nomen *a Deo dati* Innocentio XII. attributum, malè reprehendit, nam hoc non probat, alios Pontifices non fuisse Divini Spiritus impulsu electos. Cæterum epi-

epigraphes, & Numiſmatis ſenſus utpote ſatis patens explicatione non indiget.

II.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I. *Effigies, ut ſupra; inferius:* HAMER. 5.

IVSTITIA. ET. ABVNDANTIA. PACIS. *Mulier ſedens olivæ ramum dexterâ, lævâ libram tenet; in terra enſis.* [4]

III.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies cum Regno, & pluviali floribus conſperſo.* 6.

Eadem poſtica, non tamen eodem modulo cuſa. [5]

Quo tempore B. Petri Cathedram Innocentius adſcendit, gravi ſe invicem Chriſtiani Principes bello proſcindebant; quare ſtatim ad ſedandas diſſentiones officia contulit; quæ tamen ad annum uſque MDCXCVII. irrita fuerunt. Ex monetis Innocentii XII. ſatis patet, quam maxime pacem optaret, ſæpiſſime enim in iis legitur: DEVS. PACIS. CONTERET. SATANAM—SEDEBIT. IN. PVLCHRITVDINE. PACIS—DELECTABITVR. IN. MVLTITVDINE. PACIS—OPVS. IVSTITIÆ. PAX—COGITO. COGITATIONES. PACIS—BELLVM. CONTERAM. DE. TERRA.

IV.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I. *Effigies cum pileolo, quem* Camaurum *dicunt, & brevi pallio, quod* Mozzettam. 3.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Chriſtus S. Petri pedes lavans; in exergo:* EXEMPL. DEDI. VOBIS. [5]

Quòd Numiſmata Feriâ *v.* in Cœna Domini diſtribui ſolita, exceptâ Epochâ, pœnè ſimilia ſint, haud opus eſſe ſingula referre duximus; adnotabimus tantùm, in quodam Numiſmate anno ultimo Innocentii cuſum, legi: INNOCEN. XII. PON. M. A. IVB. MDCC.

V.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I. *Effigies, ut ſupra; inferiùs verò:* I. H. 12.

A. DEO. ET. PRO. DEO. *Mulier ſtans, puerum habens in ulnis, alioſque duos e lateribus, numos e vaſis, quæ humeris geſtant, effundentes; eadem mulier pede aliud item vas ſubvertit, unde monetæ exeunt.* [5]

In

Digitized by Google

In hoc eleganti Numismate cusor Innocentii in pauperes liberalitatem expressam voluit, quibus larga manu eleemosynas erogabat, eos filios appellans; Contrà hi, Innocentii funus, amissum Patrem lugentes, comitati sunt [a].

VI.

17. INNOC. XII. PONT. MAX. A. II. *Effigies cum Regno, & pluviali; inferiùs:* HAMERANO.

BEATVS. QVI. INTELLIGIT. SVPER. EGENVM. ET. PAVPEREM. *Pontifex in throno aliquot inopes genuflectentes adloquens, Prælatis, & Helvetiis militibus adstantibus.* [6]

Innocentius XII. eo Justitiæ administrandæ studuit, ut diem singulis hebdomadis constituerit, qua cujuscumque ordinis homines audiret. Præterea inopes semper, ubicumque esset, benignè excipiebat [b]. De hac re præter hoc Numisma, fidem facit denarius, in quo Charitas sedens cum tribus pueris, & epigraphe: NOVIT. IVSTVS. CAVSAM. PAVPERVM.

VII.

16. INNOCENTIVS. XII. PONT. OPTIM. MAXIM. AN. II. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

EGENOS. VAGOSQVE. INDVC. IN. DOMVM. TVAM. ISAI. 58. 7. *in tænia, sub qua Lateranensis Basilicæ, obelisci, & ædium Pontificiarum adspectus.* [1]

Ad Lateranensem Basilicam Sixtus V., eversis antiquis Pontificum ædibus, pluribusque sacris ædiculis, novum, amplumque exstruxit Palatium, quod intrinsecus picturis, tectorio inductis, extrinsecus Tyburtino lapide magnificentissime ornavit, Dominico Fontana Architecto; quum tamen neque Sixtus, neque ullus ex ejus Successoribus illud habitaverit, jam pœnè squaluerat, hiscebatque. Innocentius, ne tandiu incolis vacuum ædificium prorsus inutile fieret, illud instauravit, ibique gratuitum hospitium pauperibus puellis, præsertim vagis, amplissimum paravit, eas, inquiens, esse suas neptes, ac suam familiam tanto dignam domicilio. In eo paucos ante annos textrina optimis holosericis, & subsericis pannis instituta est, quam eædem puellæ exercent.

VIII.

a *In Vita post Platinam to 2. pag. 8:8 Vide Scillam Mon. Pontif. pag. 110. & seq.*
b *In Vita; & in Orat. Funeb. Aug. Taja Senensis.*

VIII.

INNOCENTIVS. XII. VNIVERSÆ. ECCLES. PONT. MAX. SAVVS. CARD. MILLINVS. VRBEVET. ECCLES. EPISC. *Templi ichnographia*, *& Cardinalis Millini parvum stemma*. 19. 20.

IN. INNOCENTIA. ET. SAPIENTIA. FVNDATA. ANNO. DÑI. MDCXCIII. DE. MENSE. IVNII. IN. TERRA. VVLSINII. *Supernè Innocentii XII. stemma, cum duobus palmæ ramis; infernè Cardinalis Millini insignia*. [1]

Savus *Millinus* Cardinalis, Episcopus *Urbis veteris*, hoc Romæ cudi curavit Numisma in memoriam Templi *Vulsinii* erecti fidelium eleemosynis, ac Pontificis liberalitate, & SS. Eucharistiæ dicati, eo quod anno MDCXCIII. Salvatoris Thaumaturga Icon spineâ coronâ redimita, humanam unguem magnitudine non excedens, saxo per prodigium incisa inibi reperta fuerit. In eodem oppido anno MCCLXIV. celebre contigerat miraculum[a], propter quod Festum Corporis Domini institutum ferunt.

IX.

INNOCENTIVS. XII. PONT. MAX. A. III. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio*; *inferius*: AN. PILAIA. MESSANENS. 7.

ERIT. EGENO. SPES. IOB. V. *Ædificii adspectus*; *In imo*: MDCXCIV. [4]

Hospitium Apostolicum ad Tyberis ripam prope Portuensem Portam erectum, in hoc Numismate repræsentatur. Anno MDCLXXXIV. Carolus Thomas *Odeschalcus* hospitium pro pueris inopibus instruendis fundavit in Foro, quod a Morganorum nobili familia dictum est *Piazza Morgana*, indeque eos ad textrinam lanarum transtulit, quam ad ripam Tyberis prope ædiculam S. Michaelis exstruxerat. Ædificium hoc Innocentius auxit, appellavitque nomine Hospitii Apostolici ad Sanctum Michaelem. Ibidem collocavit puerorum cœtum, qui *Literati* dicebantur ob Institutorem, cui Literati cognomen erat; hic, quamvis & ipse pauper, inopes vagosque pueros alebat, instituebatque parvo hospitio in via Flaminia, ubi nunc situm est Palatium Marchionis *Raggii*. Cæterum Innocentius aucto a se Collegio, & Hospitio amplissimos redditus adtribuit, pueros instruendos commisit Patribus Scholarum Piarum, ac rei domesticæ tres Cardinales præfecit, quibus postea & Gynæcæi ad Lateranum cura commissa est.

X.

a *Ciaccon. to. 2. col. 148.*

Digitized by Google

X.

13. INNOCEN. XII. PONT. OPT. MAX. A. III. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio*; *inferiùs*: BEATRIX. HAMERANA.
SINVM. SVVM. APERVIT. EGENIS. *Pellicanus super quadrato lapide (cujus lateribus stemmata Pontificis insculpta sunt, in fronte ann.* 1694.) *rostro pectus lacerat, cruorem filiis bibendum effundens, quorum aliqui circumvolitant, alii sanguinem humi sparsum ebibunt*. [1]

Pulchrum hoc maximi moduli Numisma, quod cudit *Beatrix Hamerana*, R. P. *Bonannius* publicâ auctoritate cusum negavit, sed quum pellicanum, cum epigraphe: NON. SIBI. SED. ALIIS. in moneta, quam vocant *mezza Piastra*, anno II., Christi MDCXCII., & III., Christi MDCXCIII. cusum [a], appareat, indubitanter hoc etiam Numisma publicâ percussum auctoritate fatebimur. In eo Charitas Pontificis erga pauperes ostenditur.

XI.

9. INNOC. XII. PONT. MAX. A. IV. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo S. Petri protome*; *inferius*: HAMERANVS.
IVSTITIAE. ET. PIETATI. CIƆIƆCVC. *Frons Curiæ Innocentianæ, in Monte Citorio*. [4]

Princeps Ludovisius Regio prope sumtu suæ familiæ Palatium ædificare aggressus est, vix tamen frontis fundamenta jecerat, ejusque lateri e regione Columnæ fastigium imposuerat, quum morte interceptus, tantum opus imperfectum reliquit, quod nullus ex hæredibus absolvit. Hoc Innocentius emit XXX. aureorum millibus, ibique Curiam paravit amplissimam litigantium, & causidicorum commodo. Eam quippe incolunt Ærario Pontificio Præfectus, Cameræ Apostolicæ Auditor, ejusque Locumtenentes: Signaturæ Justitiæ item Auditor. In magna aula jus dicunt ii, quibus Cameræ Apostolicæ Clerici judicium dant. Demum Tabularia undique prostant in ima ædificii parte. Opus a Bernino inceptum Carolus Fontana quadriennio absolvit, Frontem ad Bernini delineationem fecit [b], aliâ tamen ratione ædes partitus est, & angustiori ambitu atrium conclusit, licet invitus, ut qui longe ampliorem ædium ichnographiam designaverat, quam Alexander *Speculus* viriculo exsculpsit, & publici juris fecit anno MDCXCIV. Cæterum Pontifex Curiæ

a *Scilla Monet. Pontif. pag.* 287.
b *Roma Moderna pag.* 154.

riæ totum ædificium, aliasque vicinas domos Hospitio Apostolico S. Michaelis a se erecto, uti supra diximus, donavit, cui annuas pensiones incolæ solvunt.

XII.

INNOCENTIO. XII. PONT. MAX. A. IV. GASP. CARD. DE. CARPINEA. VRB. VIC. *Frons Ecclesiæ S. Mariæ ad Fornaces.*

AEDIS. D. MARIAE. DEVM. NOBIS. EXORANTIS. PIORVM. ELEEMOSYNIS. FVNDAMENTA. IACTA. VETERI. COMPREHENSO. SACELLO. CVRA. IOSEPHI. FARALDI. IN. FIGVLINIS. VATICANIS. IAMPRIDEM. CONSTRVCTO. AN. MDCXCIV. QVO. CLASSIS. ROMANA. FOEDERATIS. AD. CHII. EXPVGNATIONEM. SVBSIDIO. ADFVIT. [2]

In hoc maximi moduli fuso Numismate repræsentatur nova Ecclesia B. Mariæ *ad Fornaces*. In ejus verò postica memoratur vetus Sacellum a Josepho Faraldo exstructum, quod postea marmoribus obductum, ornatumque in media nova Ecclesia situm est. Ædificium etiamnum prosequuntur [a] Fratres Hispani Redemtionis Captivorum, qui proximum Cœnobium a Benedicto XIII. illis concessum incolunt. Cardinalis *Gaspar Carpineus* primum lapidem anno MDCXCIV. posuit, quo tempore VII. Idus Septemb. Classis Fœderatorum ad Chii insulam appulit, & exscensione facta varios vicos, portum, & tandem XVII. Kal. Octobres urbem Chii deditione cœpit; tertio post die x. Turcarum millia, urbe egressi, Asiam petierunt [b]; brevi tamen vacuam Christianis militibus Insulam iidem Turcæ recuperarunt magno Catholicorum incolarum damno.

XIII.

INNOCENTIVS. XII. PONT. M. A. IIII. *Effigies cum Regno, & pluviali*; *inferius*: I. B. BORNER. F.

EGENORVM. SVBSIDIO. ET. PVBLICO. MERCIVM. COMODO. *Telonium, quod dicunt* Dogana di Ripagrande, *ad Fluminis ripam, non longè a Porta Portuensi*. [1]

In hoc prægrandi Numismate visitur Telonium ad ripam Tyberis, ubi vectigalia ex mercibus Mari advectis exiguntur. Hoc Innocentius XII., Equite Carolo *Fontana* Architecto, erexit [c], ædiumque

a *Roma Moder. pag. 281.*
b *Videsis Histor. Venet. & Anon. post Platin. in Vita tom 2. pag. 845.*
c *Roma Moderna pag. 295.*

annuam pensionem Apostolico S. Michaelis ad Ripam Hospitio attribuit. XII., & XIII. Numisma apud Clariss. dum viveret, *Valesium* vidi.

XIV.

11. INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio.*

IMPETVS. LAETIFICAT. *Fluminis Icon jacens coronata, cum cornucopiæ, & urna; post illud, memorati Telonii adspectus.* [4]

Duo reprehensione digna *Bonannius* in hujus Numismatis forma animadvertit; primum, prægrandem esse Tyberis figuram, eamque profluenti aquæ adversam; deinde Epigraphes obscuritatem.

XV.

10. INNOC. XII. PONT. MAX. AN. V. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola; inferius:* IO. HAMERANVS. F.

QVAESTVS. MAGNVS. PIETAS. CVM. SVFFICIENTIA. MDCIIIIC. *Telonii, quod dicunt* Dogana di Terra, *adspectus.* [5]

Telonium, in quo vectigalia exiguntur ex mercibus Romam terrà vectis, ædificavit Innocentius XII. in Foro nuncupato *Piazza di Pietra*. Fundamentis usus est Basilicæ, ut ferunt, Antonini Pii, ita tamen, ut Columnæ, quæ Basilicæ lateri hærebant, modo Telonii frontem exornent. Ex marmoreæ sunt, & striatæ ordinis Corinthii. Capitula, epistylium, & zophorus, vetera sunt, at deformata, quibus nova corona superexstructa est. Anno MDCCXXXI. in eodem foro maximæ molis saxum effossum est ad fundamenta Telonii, qua ad viam latam pergitur. Fragmen illud erat marmoreæ coronæ ejusdem Basilicæ, qua parte Tympano jungebatur, in ea verò Leonina capita, denticuli, cimatia, simæ, cæteraque omnia miro artificio insculpta erant, quæ in veterum ornatissimis ædificiis esse solent. Marmor istud lapicidis venditum in frusta dissectum est; ornamenta tamen in partes divisa, intextaque sunt muro prope Palatium Conservatorum Urbis in Capitolio, qua iter est ad rupem Tarpejam, seu montem Caprinum. Iis subjecta est epigraphe satis insulsa, quæve, unde execta sint ea ornamenta, minime indicat. Huic similis, & quidem raræ magnitudinis coronæ pars in hortis Quirinalibus Columnensium diu fuit inter rudera Templi Solis, paucos tamen ante annos lapidarius latiores ex ea laminas fecit ad pavimenta sternenda. Numisma hoc est admodum affabrè cusum.

XVI.

XVI.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio.* 8.
VIRTVS. PROMOTA. *Juvenis alatus stans, Solem habens in pectore, hastam lævâ, dextera Coronam tenet; e lateribus:* AN. V. *In exergo:* FERDINAND. DE. S. VRBAIN. [4]

Bonaventura *Bosellius* Comes Numum hunc a Ferdinando *de S. Urbano* Bononiæ cudi curavit anno v. Pontificatus Innocentii, in memoriam XI. insignium Virorum in Collegium Cardinalium pridie Idus Decembres anni MDCXCV. cooptatorum. Virtutis symbolum in Numismate expressum diversum est ab eo, quo veteres usi sunt.

XVII.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero superiori.* 14.
VOTA. PVBLICA. *Duæ mulieres stantes, quæ dexteris invicem junctis palmæ ramum, & Pontificis stemma tenent, lævis verò facem arma comburentem, & libram.* [5]

In Germania hoc fusum est haud contemnendum Numisma ab ignoto nobis Artifice; in eo forte ostenditur Pontificis cura in Christianis Principibus pace donandis [a].

XVIII.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero XVI.* 15.
HAEREDITAS. SANCTA. *Mulier stans eleemosynas erogat in pauperes partim genuflexos, partim jacentes.* [3]

A Ferdinando *de S. Urbano* supra memorato hoc cusum est Numisma, quod Pontificis exprimit in pauperes pluriès a nobis laudatam munificentiam.

XIX.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies, ut numeris superioribus.* 18.
SED. MAIOR. CHARITAS. *Juvenis alatus, tres ollas ardentes sustinet, quarum media majorem alit flammam.* [5]

Ignotus Artifex Numisma hoc fudit Mediolani; illud ad Fidem, Spem, & Charitatem adludit, quæ in Pontifice Innocentio enituerunt, præcipuè Charitas, quæ in Numismate per majorem flammam, & per epigraphem denotatur.

XX.

INNOCENTIVS. XII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, ut supra; In ima parte:* L. V. F. 21.

[a] *Adeundus Lucchesin. in Hist. sui temporis.*

OLLA. SPEI. MEAE. PS. 59. *Mulier velata ſtans, & Dæmones conterens, dexterâ olivæ ramum, Crucemque tenet, lævâ ollam offert Spiritui Sancto, cujus ſymbolum irradiatum supernè viſitur.* [1]
Hoc Numiſma, quod fuſum eſt maximo modulo, exprimit Eccleſiam Catholicam, quæ ſuos hoſtes ſuperare confidit, Innocentio Pontifice, cujus ſymbolum, nempe ollam, quam habet in ſtemmate, Deo offert.

XXI.

22. INNOCEN. XII. PONT. M. A. VI. *Effigies cum regno, ac pluviali floribus ornato.*
ANNVNTIATE. INTER. GENTES. *Pontifex in throno ſedens, Crucifixum aliquot Religioſis viris genua flexis oſtendit.* [5]
Innocentii munificentia maximè enituit, quum aureorum Numorum CL. millia Collegio Urbano *de Propaganda Fide* impertitus eſt, ut Apoſtolicos viros mitteret ad Catholicam Fidem per Orientales Regiones annunciandam. Hoc Auguſtini *Fabronii*, Congregationis de Propaganda Fide a Secretis, poſtea Cardinalis ampliſſimi, curâ factum eſt [a], nam in Sinarum Regnum XL. Miſſionarii, in Ethiopiam X. anno MDCXCVII. miſſi ſunt, quibus iter adgredientibus Pontifex bene precatus eſt.

XXII.

23. INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*
ASSAGIVM. GENERALE. 1698. *Tentorium Eccleſiæ, cum clavibus.* [4]
Hoc Numiſma aliàs explanavimus.

XXIII.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. III. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; inferius verò*: I. H.
VIGILAT. QVI. CVSTODIT. EAM. 1694. *S. Petrus ſtans cum clavibus; procul Urbs Roma.* [5]
Hoc Numiſma, quod olim apud *Valeſium* conſpexi, cuſum exiſtimo vigiliâ S. Petri, ob ſolitam diſtributionem.

XXIV.

24. INNOC. XII. PONT. M. A. VII. *Effigies cum pileolo, & brevi pallio.*
FVNDAMENTA. FIDEI. *SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Protomæ; in exergo*: CIƆIƆCIIC. [5]
Eandem ob cauſſam, ac præcedens, hoc Numiſma cuſum cenſeo.
* Huc uſque R. P. *Bonannius*, cujus noſtra *pagina plena eſt*, Numiſmata Pontificia recenſuit, in duo ingentia Volumina diſpertita.

XXV.

a *Ex actibus ejuſdem Congreg. MSS.*

XXV.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

SVB. TVVM. PRAESIDIVM. 1699. *Beatissimae Virginis effigies, in atrio Pontificio Quirinali.* [4]

In Atrio Palatii Quirinalis sub horarum indice est B. Mariae Virginis imago, cujus genibus insidet Christi infantis icon, in speciem benedicentis. Eas imagines musivo opere expressit Joseph Contius Romanus ad prototypum Caroli Marattae, qui in iisdem Pontificiis aedibus visitur.

XXVI.

INNOC. XII. PON. M. A. VIII. *Effigies Pontificis cum tiara triplici corona redimita, & pluviali, in quo memoratum B. Virginis simulacrum.*

IVBILAEI. SAECVLARIS. INDICTIO. CIↃIↃCIC. *Porta Sancta, & Angelus duplicem tenens Tubam.* [4]

XXVII.

INNOC. XII. PON. M. A. VIII. *Effigies, ut supra.*

HIC. DOMVS. DEI. ET. PORTA. COELI. R. O. M. DEO. PORTA. HAEC. PVBLICA. IN. AEDEM. SACRAM. ERECTA. SERENISS. DVCVM. BRVNSVIC. LVNEB. ETC. 1700. [4]

In Catalogo *Vossiano* hoc Numisma refertur.

XXVIII.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies cum Regno, & pluviali floribus consperso.*

APERI. EIS. THESAVRVM. TVVM. *Pontifex Portam Sanctam reserans.* [5]

XXIX.

INNOC. XII. PONT. M. AN. IVBI. MDCC. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo Spiritus Sanctus per columbam expressus.*

INTROITE. PORTAS. EIVS. *Porta Sancta, cum peregrinis; Item supplicatio; in exergo:* HAMERANVS. F. [5]

XXX.

INNOC. XII. PONT. MAX. A. IVB. *Effigies cum Regno, & arabici operis pluviali; inferius:* HAM.

APERVIT. DOMINVS. THESAVRVM. SVVM. 1700. *Pontifex Portam Sanctam reserans.* [5]

XXXI.

Digitized by Google

XXXI.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. *Effigies*, *ut ſupra*; *ſubtus*: I. H.
DOMVS. DEI. PORTA. COELI. *Pontifex Portam Sanctam reſerans*; *in exergo*: 1700. [4]

Hæc Numiſmata apud Clariſſimum quondam Franciſcum *Valeſium* conſpexi. Quod numero XXVII. viſitur Clementis X. poſticam habet.

Portam Sanctam Vaticanæ Baſilicæ Pontifex Innocentius, quum ægrotaſſet, aperire non potuit per ſe ipſum, ſed neque claudere, nam IV. Kalendas Octobres anni MDCC. noctis horâ IV. obiit, quum annos vixiſſet LXXXV. menſes VI. dies XV. Anno hoc ſanctiori ingens advenarum numerus Romæ adfuit, inter quos multi Principes.

XXXII.

VENIT. VENIA. VENITE. 1700.
FELIC. NOVI. SECVLI — CONCORDES. MANEANT. [5]

XXXIII.

SATVRNIA. REDDIT. 1700.
PACAT. EVR. NOVI. SECVL. FEL. IVBI. ECCLESIA. [5]

Poſtrema hæc duo Numiſmata, quæ conſpicere non licuit, in Catalogo *Voſſiano* referuntur.

XXXIV.

SEDE. VACANTE. MDCXCIX. *SS. Apoſtolorum Petri*, *& Pauli Capita*.
VENI. LVMEN. CORDIVM. *Spiritus Sanctus*; *inferius*: ROMÆ. [4]

In antica an. MDCXCIX. pro MDCC. notatur.

XXXV.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I. *Caput cum pileolo*, *ac brevi pallio*.
PACEM. DONES. PROTINVS. *Spiritus Paracletus in columbæ ſpeciem*. [6]

Numiſma apud Hameranos hiſce diebus obſervavi, ideo non eſt ſuo loco appoſitum.

Mor-



MOrtuo *Innocentio* XII. ſucceſſit IX. Kalendas Decembres anni MDCC. Clemens XI., Cardinalis ſcilicet Johannes Franciſcus *Albanus* Urbinas. Hic obiit XIV. Kalendas Apriles anni MDCCXXI., & privato ſepulchro conditus eſt in Vaticana Baſilica, cum hac epigraphe:

D. O. M.
CLEMENS. XI. P. M.
HVIVS. SS. BASILICAE
OLIM. VICARIVS.
ET. POSTEA. CANONICVS
SIBI. VIVENS. PONI. IVSSIT
OBIIT. DIE. XIX. MARTII
ANNO. SAL. MDCCXXI.
AETATIS. VERO. SVAE. LXXI.
MENS. VII. D. XXV.
SEDIT. IN. PONTIFICATV
ANNOS. XX. MENSES. III.
DIES. XXIV.
ORATE. PRO. EO.

I.

I.

CLEMENS. XI. PONTIF. MAX. *Effigies Pontificis, cum Tiara Pontificia, & arabici operis pluviali.*

CREATVS. D. XXIII. NOVEMBR. MDCC. *Pontificis Insignia tres montes, fascia, & stella; in Numismatis externo ambitu:* ROMAE. SANCTAE. DECOR. ART. C.I.VV. [6]

Hoc Numisma, quod *Westnerus* Germanus cudit, explicatione non indiget.

II.

CLEMENS. XI. PONT. OPT. MAX. *Effigies, cum Tiara Pontificia, & pluviali, in quo montes, & stella arabico opere mixta.*

FACTVS. EST. PRINCIPATVS. SVPER. HVMERVM. EIVS. *Christus Crucem bajulans.* [3]

Hermenegildus *Hameranus*, Puer XVII. annorum, hoc cudit perpulchrum Numisma, quo eximiam Pontificis virtutem expressit; etenim Clemens oblatum sibi Pontificatum raro prorsus exemplo ad tres dies recusavit, tandem Purpuratorum Patrum precibus lacrymabundus, ac moerens obsequutus est [a].

III.

CLEMENS. XI. P. M. CREA. XXIII. NOV. MDCC. *Effigies cum Tiara, & pluviali; in quo Pontificis stemma; inferius:* HAMERANVS. FECIT.

BENEDIXIT. FILIIS. IN. TE. 1700. *Pontifex Portam Sanctam claudens.* [4]

Hæc postica eadem est, ac Clementis X., anno MDCLXXV. in MDCC. mutato.

IV.

CLEMENS. XI. PONT. M. AN. I. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola, in qua insignia Pontificis.*

INFVNDE. LVMEN. VT. SINT. ASPERA. IN. VIAS. PLANAS. *Ager, in quo tres montes; supernè Spiritus Sanctus in columbæ speciem.* [5]

Difficillimis temporibus Pontificatum auspicatus est Clemens XI. Mortuo enim sine sobole Carolo II. Austriaco Hispaniarum Rege Kalendis Novembribus anni MDCC. scripto hærede Philippo Andegavensi Duce Ludovici XIV. Gallorum Regis Nepote, acerbissimum exortum est bellum, quo diù Europa ferme tota vexata est. Con-

a *Clariss. Abbas Petrus Polydorus in Vita Clementis XI.*

Contendebat siquidem Leopoldus Imperator, defuncti gentilis sui Regnum multis nominibus sibi deberi, contra obsistente Ludovico, ut sui Nepotis jura tueretur. Quisque novit, in quo discrimine, & periculo Italiæ Principes, & præsertim Pontifex eo tempore versarentur [a].

V.

CLEMENS. XI. CREATVS. XXIII. NOVEMBRIS. MDCC. ALBANVM. COLVERE. PATRES. NVNC. MAXIMA. RERVM. ROMA. COLIT. *Effigies cum pileolo, & brevi pallio.*
Pontificis Stemma intra floreum sertum, lemniscis ornatum, in quibus: PIETAS. PRVDENTIA. ERVDITIO. *Supernè:* FLORES. MEI. FRVCTVS. HONORIS. ET. HONESTATIS. ECL. C. XXIV.; *infernè:* FLORES. CIRCVMDATI. [3]

VI.

CLEMENS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*
CREAT. D. XXIII. NOV. ET. CORON. D. VIII. DEC. MDCC. *Stemma Pontificis.* [4]

Duo hæc Numismata Artifex Germanus, fortasse Westnerus, percussit.

VII.

CLEMENS. XI. PONTIF. MAX. *Effigies, cum Tiara Pontificia, & pluviali.*
EQVO. NE. CREDITE. TEVCRI — AVFVGIAT. PRO. HAC. VICE. AN. MDCCI. *Equus fugiens, schedá censûs dejectá; inferius:* ARTEFIC. C. VV. [6]

Hoc cudit Numisma *Westnerus* Germanus. Præstat hìc *Frescottum* audire [b]: IV. *Kalendas Julii Romæ etsi Pontifex Clemens neutri contendentium pro successione Hispanica noxæ futurum, si solitum pro Neapolitano Regno Tributum non deferretur, tamen Philipp: Ducis Andegavensis nomine, veluti Regis accepti oblata est in Palatio Vaticano Equa, occultè eò deducta per agasonem publicum, qui eam carrucæ quisquiliis urbanis plenam junctam regebat. Huic cùm ex improviso ad fores Palatii laciniam rubram injecissent, traxissentque jumentum per insuetas quadrupedibus scalas, illud cum protestatione juris prætensi Ministris Pontificiis obtrusere, qui cùm strigosum animal rejecissent, id reliquâ die, & nocte secuta per Urbem in-*

a *Lucchesin. Histor. sui temp.*
b *In Histor. ad ann.* MDCCI, *pag.* 366.

Digitized by Google

inhoſpitum vagatum eſt, uſque dum poſtridie ſponte ſuâ ad agaſonem, a quo emtum fuerat, rediens, ad priora ſervitia reductum eſt.

VIII.

CLEMENS. XI. PONT. MAX. ANNO. I. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo S. Pauli Icon.*

FIAT. PAX. SVPER. ISRAEL. 1701. *Mulier, quæ Eccleſiam deſignat, genibus flexis; inferius*: I. H. [5]

Paci inter Chriſtianos Principes firmandæ ſedulo incubuit Clemens XI. ſtatim, ac Petri Cathedram adſcendit, qua de re R. P. D. *Spadam* ad Imperatorem, *Fliſchium* ad Galliæ Regem, & *Zondadarium* ad *Philippum* V. legavit [a], qui hoc ſatagerent.

IX.

CLEM. XI. PONT. OPT. MAX. A. I. *Effigies Pontificis, manu benedicentis, cum tiara, & pluviali.*

CVNCTIS. CLEMENS. *Sol ſuper tres montes; inferius*: HERMENEGIL. HAMERANVS. [4. I.]

Adluditur hìc ad nomen, & ſtemma Clementis, ut quiſque videt.

X.

CLEM. XI. PONT. M. A. II. *Effigies cum pileolo, palliolo, & ſtola, in qua Crux.*

VADE. ET. PRAEDICA. MDCCII. *Pontifex ſedens ante altare, Præſul genuflexus ante eum, circumque alii adſtantes.* [5]

Quatuor Numiſmatum chalybes vidi eadem præſeferentia, quorum duo cudit *Beatrix Hamerana*, Johannis filia, & duo *Hermenegildus* Beatricis frater. In iis repræſentatur *Tournonius* in Sinarum Regnum a Pontifice legatus. Quum inter Evangelii Miniſtros controverſia de ritibus Sinenſium circa cultum *Confucii*, & Majorum orta eſſet, contendentibus aliis, eos utpote *Religioſos* Chriſtiano Dogmati repugnare, aliis, ut purè *Civiles* in neo-Chriſtianis eſſe tolerandos, Clemens XI., ne diſſidia in apertum erumperent ſchiſma, *Tournonium* Antiochenum Patriarcham, in Sinarum Regnum *a latere* Legatum miſit, qui rem cognoſceret, quodque opportunum, juſtumque foret, decerneret [b].

XI.

---

a *Polydorus in Vita.*

b *Polydor. in Vita. Anonym. poſt Plat. in Vita pag. 857. Memoires ſur l' Hiſtoire de la Chine. Lucini. Hiſt. Rit. Sinenſ. aliique.*

XI.

CLEMENS . XI. PONT. MAX. A. II. *Effigies* , *cum pileolo* , *&* *brevi pallio* .

LVCET . IN . VVLTV . EIVS . *Mulier ſedens* ; *in ima parte* : S. VRBANI . OP. [3]

Per mulierem hic Religionem Catholicam exprimi, arbitror, in cujus vultu puritas luceat.

XII.

CLEMENS . XI. PONT. MAX. A. II. *Effigies* , *ut numero ſuperiori* .

APTATA . SAECVLA . VERBO . DEI — GNOMONE . ASTRONOMICO . AD . VSVM . KALENDARII . CONSTRVCTO. *Facies interior Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletianas* ; *& in ea Linea Meridiana* ; *inferius* : S. VRBANI . OP. [3]

In hoc pulcherrimo Numiſmate exprimitur, quam Clariſs. Franciſcus *Blanchinius* Veronenſis celebris Aſtronomus in pavimento Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum, Meridianam, ut ajunt, lineam fecit, Zodiaci ſignis, præcipuiſque ſideribus interſtinctam. Solis radius per foramen muri auſtralis Templi ingrediens, ſtatim, ac eam lineam attigerit, indicat, quâ hora eo die ſit Meridies [a]. Fecerat hoc antea Bononiæ *Caſſinus*, noſtri temporis facilè Aſtronomorum Princeps.

XIII.

CLEM. XI. PONT. OPT. M. *Effigies* , *cum Tiara Pontificia* , *& pluviali* , *in quo S. Clemens I. Pontifex* .

AVXILIVM . MEVM . A . DOMINO — NOVA . BASILICA . SS. XII. APOST. MDCCII. [4]

XIV.

CLEMENS . XI. PONT. OPT. M. *Effigies Pontificis manu benedicentis* , *cum Regno* , *& pluviali* , *in quo S. Martyr* ; *inferius* : OPVS. HAMERANI.

Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum Ichnographia . [4]

Vetuſtam hanc Eccleſiam, in qua Canonicorum antea Collegium erat, anno MCDLXIII. Pius II. *Minoribus Conventualibus* conceſſit, relicto ei titulo Cardinalitio. Ferunt, in ea Eccleſia olim S. Gregorium Magnum XVII., & XXXVII. Homilias habuiſſe [b]. Illam, vetuſtate pœnè collapſam, reſecit Clemens XI., Franciſco *Fontana*, Caroli

Tt 2 filio,

a *Videſis Differt. ejuſdem Blanchin. de Gnomon. Romæ &c.*

b *Roma Moderna pag.* 188.

filio, Architecto. In fundamentis horum Numismatum prius jactum est; posterius apud *Cornazzanium* vidi.

XV.

CLEMENS. XI. P. M. AN. III. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

HAVRIETIS. CVM . GAVDIO. *Portus Centumcellarum*; *inferius*: S. VR. [5]

XVI.

CLEMENS. XI. PONT. M. A. III. *Effigies, cum camaleucio, palliolo, & stola, in qua Stemma Pontificis, intra duos lauri ramos*; *infra*: IO. HAMERANVS.

HAVRIETIS. CVM. GAVDIO. *Portus Centumcellensis, cum aquae ductibus.* [3]

Hoc anno, quum *Johannes Hameranus* apoplexiâ laboraret, *Santurbanus* Numismata S. Petri festo die distribui solita cudit; is verò æmulatione ductus posterius percussit Numisma. Certè ambo sunt optimi operis.

Quum Centumcellarum Cives in summa salubris aquæ inopia essent, uberrimam, optimamque Clemens XI., veteri ductu instaurato, in eam urbem derivavit. Hanc lacus in media urbe excipit, e quo ad Portum [a] aqua deducitur.

XVII.

CLEM. XI. PONT. M. A. III. *Effigies, cum camaleucio, palliolo, & stola.*

ROBVR. AB. ASTRIS. *Mulier armata jacens*; *e latere Leo*; *supernè nubes, e quibus radii emergunt.* [5]

Hæc postica, quam efformavit *Hermenegildus Hameranus*, adludit Pontificis Constantiæ in difficili rerum statu, quum tota poenè Europa bello conflagraret.

XVIII.

CLEMENS. XI. PONT. OPT. MAX. *Effigies, cum Regno, & pluviali.*

SECVRITAS. POPVLI. ROMANI. *Securitatis symbolum.* [5]

Hoc Numisma adludit fortasse ad Pontificis providentiam, qua toto Pontificatus sui tempore Populum Romanum a militum exterorum incursibus tutum reddere curavit.

XIX.

CLEMENS. XI. P. M. AN. IIII. *Effigies cum pileolo, palliolo, & stola, in qua stemma.*

VT

a *Vide Itiner. Scott.*

VT. ERVANTVR. A. VIA. MALA. *Interior adſpectus ædium, in quibus improbi adoleſcentes detinentur ad S. Michaelis ad Ripam Tyberis.* [5]

Hoc Numiſma poſtremum eſt ex iis, quæ cudit *Johannes Hameranus*, hic enim anno inſequenti vigiliâ SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum obiit. In Hoſpitio Apoſtolico S. Michaelis ad Ripam eâ parte, quæ Portam Portuenſem reſpicit, carcerem, quem vocant *Correctionis*, exſtruxit Clemens XI. ad pravos adoleſcentes coercendos. Ab hoc ædificio miri operis varii Principes modulum ſumſerunt [a].

XX.

CLEMENS. XI. PONT. OPT. MAX. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio.*

ADDITO. ANNONAE. PRAESIDIO. 1704. *Adſpectus Horreorum ad Thermas Diocletianas.* [3]

Horrea publica, quæ ad Thermas Diocletianas Gregorius XIII., ut Urbis Annonæ conſuleret, ædificavit, dein Paulus V., & Urbanus VIII. ampliarunt, Chartuſianorum ædibus adjacent. Haud procul ab iſtis nova Horrea Clemens XI. conſtruxit prope hortos Monaſterii S. Bernardi, Equite Carolo *Fontana* Architecto [b], in quorum fundamentis hoc jactum eſt Numiſma.

XXI.

CLEM. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut numero ſuperiori.*

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Chriſtus lavans pedes D. Petri, in exergo:* EXEMPL. DEDI. VOBIS. [6]

Licet VIII. viderim ejuſcemodi Numiſmata minimi moduli, Epochâ tantum diversâ, hoc unum protuli, quod æque, ac cætera, exemplare eſt Numorum Innocentii XII.

XXII.

CLEMENS. XI. P. M. AN. V. *Effigies, cum Tiara Pontificia, & pluviali, in quo Stemma a duobus pueris elatum.*

COMMODIORI. ANNONÆ. PRAESIDIO. 1705. *Horrea ad Thermas Diocletianas.* [5]

Anticæ forma eſt fracta. Numiſma, quod in fundamentis jactum eſt, cudit *Hermenegildus Hameranus*, qui Patri hoc anno ſucceſſit in cudendis Pontificum Numiſmatibus.

XXIII.

a *Roma Moderna pag.* 194.
b *Roma Moderna pag.* 131.

XXIII.

CLEMENS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

MEMORIÆ. CHRISTINÆ. AVGVSTÆ. PIET. PONT. M. 1705. *Christinæ Suecorum Reginæ monumentum; juxta illud Mulier stans accensam facem manu tenet; inferius:* I. HORT. [5]

In Basilica D. Petri ad dexteram Sacelli Jesu Christo Crucifixo dicati monumentum exstat Reginæ Suecorum *Christinæ* [a], in quo ejus effigies est æneo anaglypho formæ rotundæ instar Numismatis, jussu Innocentii XII. a *Johanne Giardinio* fusili opere elaborata; quod verò Clemente XI. Pontifice monumentum perfectum fuerit, hoc ipsius nomine Numisma est cusum.

XXIV.

CLEMENS. XI. P. M. AN. VI. *Effigies, cum camaleucio, brevi pallio, & stola; inferius verò:* HAMERANVS.

COMMODITATI. ET. ORNAMENTO. MDCCVI. *Portus, quem vocant* Ripetta. [4]

Pro Æde S. *Hieronymi* Illyricorum Clemens XI. in Ripa Tyberis portum ædificavit elegantissimum, in quo per duplices scalas sinuosis gradibus ad flumen descenditur; Scalis area interjacet semicirculata, in cujus medio est lacus, quem suo stemmate ornavit, nempe stellâ, & montibus, e quibus aqua in labrum fluit: E lateribus duæ Columnæ exstant instar illarum, quibus milliaria veteres notabant; Quæ in ipsis insculptæ sunt lineæ, & subjecta Christianæ Epochæ nota, indicant, quota iis annis diffluentium extra alveum aquarum Tyberis fuerit altitudo [b]. Hæc æque, ac ædes proximas, pro Vectigalium exactoribus, *Alexander Specchius* Architectus perfecit. In Clementis XI. moneta, vulgò *mezza Piastra*, Portus idem cernitur cum epigraphe: LAETIFICAT. CIVITATEM.

XXV.

CLEMENS. XI. P. M. AN. VII. *Effigies cum Tiara triplici coronâ ornata, & pluviali.*

DEO. SACRA. RESVRGET. *Machina ad erigendam Columnam Antoninam in foro* Montis Citorii. [4]

Hanc Columnam e Syenite ex vicinis hortis Collegii Presbyterorum, quos Missionarios nuncupant, effossam, Clemens XI. transtulit ad Mon-

a *B. nann. Templ. Vatic. Fontana Templ. Vatican. Roma Moderna pag. 157.*
b *Roma Moderna pag. 117.*

Montis Citorii forum, Equite Carolo *Fontana* Architecto; ad eam erigendam machina, quæ in Numifmate cernitur, compacta eft; hæc operi admota, impar fuftinendo oneri vifa fuit; quare ad aliud tempus rem Clemens diftulit [a]. Noviffimè BENEDICTUS XIV. P. M. ftylobatem ejus veterem optimis anaglyphis ornatum in medio foro locavit, novâ tamen bafi fuppofitâ. Principis magnificentiffimi, & ad præclara quæque propenfioris animus fperare nos jubet, Columnam hanc, quâ major nulla Romæ eft, ex folido lapide tanto fumtu effoffam, ac tandiu humi ftratam, tandem in antiquam fedem reftitutam iri.

XXVI.

CLEMENS. XI. P. M. A. VIII. *Effigies, cum camaleucio, brevi pallio, & ftola, in qua Icon ftans, & Crux.*

IN. HONOREM. S. CRESCENTINI. MARTYRIS. *Ara S. Crefcentini in Cathedrali Urbini erecta.* [4]

Non folùm, erecto Urbini in Cathedrali Ecclefia nobili Sacello, Clemens XI. S. *Crefcentini* ejus urbis Patroni cultum propagavit; verum etiam Romæ, nam in Templo S. *Theodori* ad Forum Boarium a fe inftaurato, in ejufdem Sancti Martyris honorem Altare erigi juffit. In Numo Clementis, quem vocant *mezza Piaftra*, annis II., & IV. Pontificatus cufo, legitur: S. CRESCENTINVS. MARTYR. VRBINI. PATRONVS.

XXVII.

CLEMENS. XI. P. M. AN. VIIII. *Effigies cum Pontificia Tiara, & pluviali, in quo fupplicatio repræfentatur; inferius:* HAMERANVS.

PORTAVERVNT. TABERNACVLVM. FOEDERIS. MDCCIX. *Sanctiffimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum Icon in fupplicatione circumlata.* [4]

Clemens XI. poftquam fruftra Comaclum clandeftinâ aggreffione occupatum recuperare, fuaque jura armis tueri tentaverat, ad Divinam opem confugiens, fupplicationem indixit, & Salvatoris Iconam, quam Acheiropetam dixere Veteres, nunc verò *ad Sancta Sanctorum*, circumvehi mandavit eodem ritu, quo jampridem a Sancto Gregorio VII., aliifque fummis Pontificibus in præfenti difcrimine factum legimus.

XXVIII.

a *Videfis Vignol. Differt. de Column. Anton. Romæ 1706. in quarto.*

XXVIII.

CLEMENS. XI. P. M. A. X. *Effigies, cum camaleucio, palliolo, & stola, in qua Stemma.*

IN. HONOREM. S. FABIANI. PP. ET. M. MDCCX. *Ara Sacelli Albani ad S. Sebastiani extra muros.* [5]

Hujus Numismatis formæ effractæ sunt; in eo visitur Sacellum a Clemente XI. in honorem S. Fabiani Pontificis, & Martyris, in Basilica S. Sebastiani *extra muros* extructum, ornatumque vario marmore, & plastico opere deaurato, Equite Carolo *Fontana* Architecto [a].

XXIX.

CLEMENS. XI. P. MAX. AN. XI. *Effigies cum Regno, & pluviali, arabicè ornato, in quo Crux irradiata.*

DOMINE. DEPRECABILIS. ESTO. MDCCXI. *Mulier genibus flexis supra tormentum bellicum, & duo pueri, quorum unus Tiaram Pontificiam tenet, alter facem extinguit.* [4]

Hoc Numisma adludit ad bellum inter Gallos, & Hispanos, ac Fœderatos pro Hispanicæ Monarchiæ successione, quod hoc an. MDCCXI., licèt Imperator Josephus, & Galliæ Delphinus Ludovicus obierint, maximè vigebat; nam in Hispania pugnatum est ad *Vecam*, variæque urbes utrinque captæ, tam in Hispania, quàm in Belgio, & ad Rhenum [b]: Pontifex autem ad Deum se convertit, eum deprecaturus, ut exitum felicem Congressus S. Gertruydembergensis hoc anno coactus sortiretur.

XXX.

CLEMENS. XI. P. M. A. XII. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola arabici operis, in qua stella; in ima Numismatis parte:* E. HAMERANI.

INTER. SANCTOS. SORS. ILLORVM. MDCCXII. *Quatuor Sancti genibus flexis.* [4]

Anno MDCCXII. Majo mense, Clemens inter Sanctos retulit *Pium* V. Pontificem Maximum, *Andream* Abellinatem Clericum Regularem Theatinorum, *Felicem* a Cantalicio Fratrem Minorem Capuccinum, & *Catharinam* e Bononia Monialem Ordinis Prædicatorum [c]. Solemnitas habita fuit in Basilica Vaticana, in qua ad Popu-

a *Adeund. Rom. Moder. Lite delle Pitture di Roma.*

b *Vide Ottier. Hist. della Success. della Monarch. di Spagna. Lucchesin. Histor. Polyd. Vita Clem. XI.*

c BENEDICT. XIV, *in Opere de Canoniz. Sanct. lib. 1. cap. 36. §5. 33.*

Digitized by Google

pulum Clemens eloquentem Homiliam pronunciavit. Anticæ Numismatis formæ sunt fractæ.

XXXI.

CLEMENS. XI. P. MAX. AN. XIII. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo stemma intra duos lauri ramos.*

IN. VIAM. PACIS. MDCCXIII. *Transitus Moysis, & Hebræorum per Mare Rubrum.* [5]

Hujus etiam Numismatis formæ sunt fractæ. Numisma cusum est, quo tempore Pax inter Christianos Principes inita est.

XXXII.

CLEMENS. XI. P. M. A. XIII. *Effigies, cum camaleucio, palliolo, & stola arabicè ornata, in qua stella.*

ECCLESIA. NOVISQ. AEDIBVS. AD. BALNEA. NVCERINA. CONSTRVCTIS. [5]

XXXIII.

CLEMENS. XI. P. MAX. AN. XIV. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo Ecclesiæ symbolum cum calice; item Spiritus Sanctus, & puer hæresim fulminans; inferius:* HAMERANI.

ECCLESIA. ET. DOMIBVS. AD. BALNEA. NVCERINA. CONSTRVCTIS. MDCCXIV. *Frons Ecclesiæ.* [5]

Horum Numismatum primum, in quo A. XII. deinde XIII. positus est, in fundamenta jactum est Ecclesiæ, & ædium, quas Clemens construxit commoditati eorum, qui æstate Nucerina Balnea petunt, quive sæpius Missæ sacro interesse non poterant, utpote *Nuceriâ* remoti [a]. Primi Numismatis formæ sunt fractæ.

XXXIV.

CLEMENS. XI. P. MAX. AN. XIV.; *subtus:* ARCHICON. SACR. STIGMATVM. S. F. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio.*

D. O. M. CLEMENS. XI. P. M. PRIMARIVM. LAPIDEM. IMPOSVIT. DIE. MENSE. SEPTEMB. ANNO. SALVTIS. MDCCXIV. *In ima Numismatis parte:* H. F. [4]

Ecclesiæ, in qua S. Francisci Sacra Stigmata venerantur, Piorum sumtibus ædificatæ primum lapidem posuit Clemens XI. mense Septembri, istumque Numum in fundamenta jecit. Sacrorum Stigmatum *Archiconfraternitatem* in Ecclesia S. Petri ad montem Aureum Federicus Riccius Chirurgus fundaverat; nunc nobilibus viris ei-

Vv dem

a *Polydor. in Vita Clementis.*

dem addictis, privilegiis, & indulgentiis, quibus Ordo Minorum, gaudet, & præ cæteris pio tumulandi defunctos officio fungitur [a].

XXXV.

CLEMENS . XI. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola.*
CORPORE . S. LEONIS . MAGNI . TRANSLATO . DIE . XI. APRILIS . MDCCXV. *Inferius*: H. C. [4]

A Cryptis Vaticanis S. Leonis Corpus transtulit Clemens XI. ad ejusdem Sancti Pontificis Sacellum, ab Algardio sculptum, magnâ solemnitate III. Idus April. anni MDCCXV. [b], In Arca, qua S. Pontificis ossa sunt reposita, hoc etiam Numisma clausum est. S. Ecclesiæ Doctorem Leonem Magnum præcipuè coluit Clemens XI.; illum etiam imitatus, varias variis temporibus Homilias Populo habuit, quæ in diversa Idiomata versu, & solutâ oratione translatæ, pluriès editæ sunt.

XXXVI.

CLEMENS . XI. P. M. A. XV. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola, in qua SS. Petri, & Pauli protomæ intra circulum oblongum.*
TEMPLO . S. CLEMENTIS . INSTAVRATO . *S. Clementis Templi adspectus.* [5]

Pervetustum S. Clementis Templum [c] Clemens XI. instauravit, ornavitque laqueari deaurato, ac tabulis Pictorum eo tempore præstantiorum, quæcumque tamen in eo supererant antiqua monumenta, nempe Altare, Presbyterium, atrium, & Porticum, intacta servari jussit, quod utinam & alii præstitissent [d]! Epigraphe, quæ supra Portam Basilicæ introrsum posita est, hæc omnia nos docet.

XXXVII.

CLEMENS . XI. P. MAX. AN. XVI. *Effigies, cum Pontificia Tiara, & pluviali, in quo S. Leo, & Attila*, Algardii *opus*; *Inferiùs*: HAMERANI.
AVXILIVM . CHRISTIANORVM. *Beata Virgo* a Rosario *nuncupata, juxta quam multi flexis genibus*; *procul classis.* [5]

Quum *Achmetes* III. Turcarum Imperator bellum Venetis intulisset, Clemens XI., qua effusis ad Deum precibus, qua opibus, & officiis, omnem impendit operam, ut in tantum discrimen adductæ Christianæ Reipublicæ succurreret; *Jubileum* ideò statim indixit, quo tempore supplicationes in Urbe frequentissimæ sunt habitæ. Venetis

---

a *Vide Piazz. Opere Pie di Roma.*
b *Battell. de Transl. Corp. S. Leon. dissert.*
c *Montfauconius Iter Ital.*
d *Roma Moderna tom. 2. pag. 66.*

tis collatam ab Ecclesiasticis suæ ditionis stipem concessit. Hispaniæ, & Lusitaniæ Reges, ipso auctore, classes contra communem hostem pararunt. Ut Carolus Imperator terrestri prælio Turcas aggredi tutius posset, Philippum V. cautione devinxit, ne quid in Italia tentaret, donec bellum Turcicum confectum esset [a].

XXXVIII.

CLEMENS. XI. PONT. MAX. ANNO. XVI. *Pontifex in Throno dextrâ benedicens: Duo Præsules ante eum stant, & duo Jesuitæ genibus flexis ei supplicem libellum præsentant; in ima Numismatis parte:* TIMENTEM. DOMINVM. GLORIFICAT. MDCCXVI.

Cathedra S. Petri, & duo hinc & inde sepulchra, cæteraque omnia, quibus Basilica ornari solet, quum inter Beatos aliquis solemni ritu adscribitur; In subselliis Cardinales, Præsules, & Consultores sedentes; Populus, & Milites stantes; infimo gradui sculptum est: OTTO. EMERANO. HAMERANO. [1]

Hoc prægrandi Numismate expressam cernimus solemnitatem, qua Franciscus Regius Societatis Jesu inter Beatos relatus est [b].

XXXIX.

CLEMENS. XI. PONT. M. AN. XVII. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola, in qua Immac. Virginis Conceptio.*

VIRGO. POTENS. ORA. PRO. NOBIS. *Beatæ Virginis effigies ad archetypum tabulæ Caroli Marattæ in Quirinali.* [5]

Clemens XI. diem Conceptioni B. Mariæ Virginis sacrum feriari jussit [c]; quare hac de caussa hoc Numisma cusum arbitror.

In Catalogo *Vossiano*, Numismatis, quod ego nunquam vidi, postica refertur, in qua: AD. VLTIONEM. INIMICORVM. MDCCXVII.

XL.

CLEMENS. XI. PONT. M. A. XVIII. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo S. Johannes.*

SVPER. FVNDAMENTVM. APOSTOLOR. ET. PROPHET. CONSTANTIN. BASILICA. STATVIS. ET. PICTVRIS. ORNATA. *Mulier sedens, Ecclesiam S. Johannis in Laterano indicans.* [5]

Clemens XI., ut Lateranensi Basilicæ decus adderet, picturas detergi jussit, quibus Clemens VIII. ejusdem Basilicæ tectoria exornaverat, de-

a *Sanvital. Hist. Ital. Polydor. in Vita Clementis.*
b *Vide ejus Vitam latinè scriptam a P. Daubenton, & italicè versam a P. Sebastiano Zefferini Cortonen. Soc. Jesu.*
c *Ex Bullar. Clem. XI.*

deinde statuas aliquot Apostolorum posuit in sedibus [a], quas aliàs descripsimus, idque in causa fuit, ut plerique summates viri Ecclesiastici, etiam exteri, certatim reliqua XII. Apostolorum signa in vacuis sedibus collocaverint.

XLI.

CLEMENS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & arabici operis pluviali; in ima parte*: ERMEN. HAMERANVS.
S. Lucas pingens. [4]

XLII.

CLEMENS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, brevi pallio, & stola; inferius*: HAMERANVS.
S. Lucas pingens. [4]
Numisma hoc est deauratum intra æreum circulum.

XLIII.

CLEMENS. XI. P. MAX. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo stemma intra duos ramos lauri*.
S. Lucas pingens; inferius: ART. H. C. [4]

Adludunt hæc Numismata Academiæ liberalium artium, dictæ *del disegno*, nempe Picturæ, Sculpturæ, & Architecturæ, jamdiu Romæ a Gregorio XIII., & Sixto V. institutæ, Hieronymo Mutiano [b] Auctore, in ædibus S. Martinæ proximis. Clemens XI. eam pœnè jacentem restituit, eique præfecit Carolum Marattam. Constat hæc præstantioribus in iis artibus viris. Statis diebus Adolescentes in aula earundem ædium conveniunt, ut humani corporis partibus delineandis incumbant, quod præcipuum est earum artium. Adducitur plebejus vir, qui tamen emendatioribus sit membris, nudusque prostat eo situ, & gestu, quo jussus est a Gymnasii Præfecto, ut ad illud exemplum Tyrones exerceantur. Adolescentes, qui iis artibus operam navant, ingenii, artisque suæ specimen proferunt, nempe opus, quod ipsi elaboraverint, illudque exhibent Academicis, qui de iis judicant. Hi peritioribus primas dant, cæteros tamen, si satis idonei sint, non respuunt, sed secundæ, & tertiæ classi adscribunt. Clemens primus fuit, qui in Aula Palatii Capitolini, ubi nunc antiqua signa a Clemente XII. sunt collocata, tertio quoque anno Academicos convenire jussit, ibique, plerisque Purpuratis Patribus, & aliis Principibus viris adstantibus oratio habebatur

a *Roma Moderna pag. 45. 46. Titi Pitture di Roma*.
b *Baglioni Vita del Mutiano*.

batur, ut plurimum de ingenuarum artium utilitate, & præstantia. Arcades poematia in idem argumentum recitabant vernaculo, & latino idiomate; demum præmia iisdem Adolescentibus, quos Academici probaverant, distribuebantur a Primatibus viris, ad formulam tamen, & normam ab Academicis præscriptam. Post Clementis mortem Hannibal Cardinalis *Albanus* S. R. Ecclesiæ Camerarius, ejus Fratris Filius, Academiæ Protector, & ad optima quæque intentus, eam impensè fovet, & colit. Hæ Artes in moneta anni VI. Clementis XI. repræsentantur, cum epigraphe: DIGNIS. VICTORIAM.

XLIV.

CLEMENS. XI. PONT. M. AN. XIX. *Effigies cum pileolo, palliolo, & stola, in qua stemma.*

VENTI. ET. MARE. OBEDIUNT. EI. *Jesus Christus cum Apostolis in navi.* [5]

Cusum arbitror hoc Numisma eo tempore, quo Clemens Carolum Ambrosium *Mezzabarbam* Patriarcham Alexandrinum in Sinarum Regnum legavit, ut quosdam Evangelii præcones ad obediendum Apostolicis constitutionibus contra Sinensium damnatos ritus editis, reluctantes adigeret [a].

XLV.

CLEMENS. XI. PONT. M. AN. XX. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo SS. Petrus, & Paulus Apostoli stantes; inferius:* HAMERANUS.

BONARUM. ARTIUM. CULTUI. ET. INCREMENTO. INSTIT. SCIENT. BONON. *Academiæ, quæ Bononiensis Instituti nomine donatur, adspectus.* [5]

Ulysses *Aldovrandus* [b] celebris Physicus huic Universitati instrumenta nonnulla, quæ ad Physicæ scientiam assequendam conducunt, nec non alia multa, quæ varios naturæ effectus, potissime in herbis, animantibus, ac lapidibus ob oculos ponunt, testamento legavit [c]. Harum rerum seriem Comes Ferdinandus Marsilius, eruditione, nobilitate, armis clarissimus, ac de Patria optime meritus auxit, & multis e Germania conquisitis, multiplicavit: ex quo factum, ut no-

a *Vide Relazion. del viagg. di Monsignor Mezzabarba del P. Viani in ottavo Parif. seu potius Florent. 1741.*

b *Hist. dell' Instit. de Bologn. 1718. Amster. in octavo.*

c *Michelott. de Instit. Bonon. vol. 2. in quarto.*

Google

nobilitate, ac vetustate celeberrimam Academiam redditibus auctam, privilegiis ornatam, ampliori ædificio instructam, alia etiam Picturæ Academia in gratiam studiosæ Juventutis instituta, Clemens XI. peculiari favore, & gratia sit prosequutus.

Novissime BENEDICTUS XIV. P. M. eo, quo in Patriam, bonasque artes fertur, præcipuo, ac singulari studio, ut Institutum jam nomine, ac re satis magnum, maximum, ac præclarissimum redderet, eidem affabre elaboratas Londini machinas, & instrumenta in usum Mathematicorum dono dedit; ac simulacra quædam cerea addidit, quorum inspectione (tanta est membrorum, & vel minimarum quarumcumque particularum dispositio, symetria, coordinatio) anatomes studium mirum in modum illustratur, juvatur, perficitur. Accessit ejusdem Pontificis munifica manu Numismatum præclara collectio ex Museo Ammoniano Forocorneliensi magno pretio coemta, ita ut nihil sit, quod ne hac quidem in parte Bononia alteri invideat, sive scientias spectes, sive bonas artes.

XLVI.

CLEMENS. XI. PONT. MAX. *Effigies, cum triplici Regno, & pluviali.*

OCCIDIT. ALBANVM. SIDVS. COLLESQVE. RELIQVIT. XIX. MARTII. MDCCXXI. *Pontificis Stemma absque Sydere; inferius:* VESTNER. F. [4]

XLVII.

CLEMENS. XI. PONT. MAX. *Effigies, ut numero superiori.*

PERENIS. OMNIA. SOLIS. HABENS. HIS. NVNC. QVOQVE. SPLENDET. IN. ASTRIS — PIE. EXTINCTVS. ROMAE. DIE. SANCTI. IOSEPH. *Arx Adriana cum Ponte; Ecclesia S. Petri; & Sol Occidens; Inferius* VVESTNER. F. [4]

Duo hæc Numismata, in quibus ad obitum Clementis XI. adluditur, a Germano Artifice sunt cusa. Spiritum is Deo reddidit XIV. Kalendas April. anni MDCCXXI. S. Josephi festo die, quem singulari semper cultu prosequutus est, cujusque Officium Sacræ Scripturæ verbis efformatum composuerat [a].

Mi-

a *In Vita post Platin. to. 4. 2. pag. 867.*



MIchael Angelus *de Comitibus* Romanus VIII. Idus Majas S. Michaeli ſacro die an. MDCCXXI. creatus eſt Pontifex, dictuſque Innocentius XIII. Is Idibus Martiis anni MDCCXXIV. obiit, & in Vaticana Baſilica ſepultus eſt, hac epigraphe ejus tumulo appoſitâ.

INNOCENTIVS. XIII.

PONT. MAX.

I.

INNOCEN. XIII. PONT. MAX. *Effigies, cum Tiara triplici coronâ contexta, & pluviali, in quo S. Michaelis Icon.*

MICHAEL. ANGEL. DE. COMITIBVS. ROMANVS. ELECTVS. DIE. VIII. CORONATVS. DIE. XVIII. MAII. MDCCXXI. [6]

Numiſma hoc ſtatim poſt Pontificis electionem cuſum, diſtributumque eſt, quum is antiquo more ad Lateranenſem Baſilicam progreſſus eſt ſingulari pompa, & comitatu magnifico, præſertim, quod Ro-

Digitized by Google

Romanus esset, suisque civibus acceptissimus. Hoc facto Pontifices Romani Episcopatus possessionem nancisci dicuntur.

II.

INNOC. XIII. PONT. MAX. *Effigies, cum Pontificia tiara, & pluviali; inferius*: VV.

IN. TERRIS. INNOCENTIVS. DECIMVS. TERTIVS. *Ecclesiæ symbolum Pontificis effigiem super saxo ponens, in quo epigraphe sculpta est; procul Ecclesia scopulo superædificata; Supernè S. Michael Archangelus; In circulo*: IN. CAELIS. CONSVRGIT. MICHAEL. PRINCEPS. MAGNVS. DAN. I. [4]

Hoc, quod *Westnerus* cudit, Numisma designat nomina, quibus Innocentius ante, & post adeptum Pontificatum est appellatus.

III.

INNOCENTIVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies e latere, cum pileolo, & brevi pallio.*

RENOVABIS. FACIEM. TERRAE. MDCCXXI. *Ecclesia in nubibus, & S. Michael Archangelus hydram conterens.* [3]

IV.

INNOCENT. XIII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero superiori. Eadem postica.* [3]

V.

INNOCENT. XIII. P. M. A. I. *Effigies, ut supra.*

CONSTITVI. TE. PRINCIPEM. *S. Michael Luciferum pedibus conterens.* [6]

Tria hæc Numismata adludunt ad Innocentii nomen, quo ante Pontificatum appellabatur, quodque octava die Maji S. Michaeli sacra electus fuerit Pontifex.

VI.

INNOCEN. XIII. P. M. A. I. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo equitatus.*

RENOVABIS. FACIEM. TERRAE. MDCCXXI. *S. Michael pedibus conterens hydram.* [6]

Hoc Numisma cusum statim post electionem Innocentii, anno ejus II., mutatâ epochâ, renovatum est.

VII.

INNOCENT. XIII. P. M. AN. II. *Effigies, cum tiara, & pluviali, in quo Beatæ Virginis simulacrum.*

OM-

OMNIA . POSSVM . IN . EO . QVI . ME . CONFORT. MDCCXXII. *Icon viri stantis, & goblum manu tenentis*. [5]

Hoc Numismate Pontificis in Deum fiducia exprimitur, & animi robur, quo ardua quæque negocia gessit, & ex sententia confecit. Instar omnium exemplo esse potest, quod anno MDCCXXII. Regni Neapolitani S. Sedi vectigalis jura vindicavit, & a beneficiario possessore dudum intermissa tributa, prisco more, sibi, & Apostolicæ Cameræ solvi obtinuit [a].

VIII.

INNOCENT. XIII. P. M. A. II. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio*.

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Christus Sancti Petri pedes lavans*; *in ima Numismatis parte*: EXEMPL. DEDI. VOBIS. [6]

Numisma ad pedum pauperum lotionem adludit, quibus etiam distributum est.

IX.

INNOCENT. XIII. P. M. A. III. *Effigies, cum pileolo, & palliolo*; *inferiùs*: HAMERANVS. F.

FRANCISCAN. COMITIIS. SVMMO. PONTIFICE. PRÆSIDENTE. *Pontifex in throno, juxta quem tres Præsules stantes, a PP. Minoribus Observantibus Scrutinii Schedulas recipiens*. [5]

Innocentius, ait *Burius* [b], *B. Andreæ de Comitibus, viri pietate, ac prodigiis clarissimi, cultum a sæculo ab hinc quarto repetitum, ac ritè probatum Pontificiâ Sanctione confirmavit. Seraphicæ Familiæ rebus consulturus, generalia ejus Comitia, quinque, temporum difficultate, penè lustris intermissa in Urbe haberi jussit, & feliciter, ipso præsente* (& præsidente) *absoluta sunt*. Hoc, Numismate exprimitur.

a *Anonym. in Vita post Platin. pag. 875.*

b *Roman. Pontif. brevis notitia pag. 397. 399. Patavina edit. anni* MDCCXXX.



IDibus Martiis anni MDCCXXIV. mortuo Innocentio *XIII.*, IV. Kalendas Junias ejusdem anni Benedictus XIII. Pontificatum est auspicatus; Is antea *Petrus Franciscus Ursinus*, & Ordinem Prædicatorum ingressus F. *Vincentius Maria* dictus est. Obiit IX. Kalendas Martias anni MDCCXXX., & primùm in Vaticana Basilica, deinde magnifico sepulchro in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam est sepultus, cum subjecta epigraphe.

BENEDICTVS. XIII. VRSINVS
PONT. OPT. MAX.
EX. ORDINE. PRAEDICATORVM.

I.

BENEDICTVS. XIII. PONT. MAX. A. I. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo Gentilitium Stemma.*

DO-

DOMINVS . ILLVMINATIO . MEA — ELECTVS . D. XXIX. MAII. CORONAT. D. IV. IVNII. MDCCXXIV. *Candelabrum aureum Templi Salomonis*; *supernè Spiritus San... in columbæ speciem*. [5]

Cusum est præsens Numisma post Benedicti electionem, & die Festo Pentecostes, quum coronatus est, distributum fuit.

II.

BENEDICT. XIII. PONT. M. A. I. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio*.

QVID. VOLO. NISI. VT. ACCENDATVR. *S. Dominicus in nubibus; Infernè globus*. [6]

Hoc Numisma cusum est, & distributum, quum Benedictus possessionem Pontificatus iniit, alluditque Dominicanæ Familiæ stemmati, in quo est canis accensam facem ore gestans. Eadem antica anno III., Epochâ tantùm mutatâ, Numismati aptata est, quod Feria V. *in Cœna Domini* distribuit Pontifex iis, quibus pedes lavat.

III.

BENEDICT. XIII. P. M. A. I. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio*.

DE. RORE. COELI. *Rosa*. [6]

Stemmati Ursinorum Rosæ in hoc adluditur Numismate, cujus duas formas, utramque fractam, vidi.

IV.

BENEDICTVS. XIII. PONT. MAX. A. I. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo stemma; In magno circulo anticæ partis*: SS. XII. APOST. ECCLESIA. PER. IPSVM. CONSECRATA.

DOMINVS. ILLVMINATIO. MEA. *Candelabrum aureum Moysis; & in circulo*: PONTIFICATVS. ANNO. PRIMO. DIE. XVII. MENSIS. SEPTEMBRIS. 1724. [3]

Multas consecravit Ecclesias Benedictus quum Episcopus, tum etiam Summus Pontifex. Prima, quam in Summo Pontificatu consecraverit, fuit Basilica SS. XII. Apostolorum, Minorum Conventualium. Ipse etiam, Constitutione Pridie Kal. Octob. anni MDCCXXIV. editâ, concessit, ut in Ecclesiis ejusdem Ordinis, atque etiam Cappucinorum, & Minorum Observantium, Sodalitia institui possent aggreganda Archisodalitio S. Francisci Assisii, datâ ad id Religio-

nis Generali Ministro omnimoda facultate [a], iisdemque Indulgentias, & Privilegia concessit.

V.

BENEDICTVS. XIII. PONT. M. A. I. *Effigies*, *cum camaleucio*, *palliolo*, *& stola*, *in qua S. Philippi Nerii protome*.

HAVRIETIS. IN. GAVDIO. DE. FONTIB. SAL. IVBILEI. INDICTIO. 1724. *Mulier stans*, *manibus Crucem*, *& Calicem tenens*, *ad pedes globum*. [6]

Præstat latinè reddere, quæ in Benedicti vita leguntur italicè per Anonymum post Platinam [b] scripta: Tunc Numisma elegans cusum est, in cujus antica parte Pontifici simillima effigies, in postica verò Ecclesia, mulieris habitu incedens, quæ altera manu Crucem, alterâ Calicem tenebat, e quo aquam effundebat supra globum, ad ejus pedes Christianum Orbem repræsentantem; Epigraphe ab Isaiæ cap. XII. petita: HAVRIETIS. IN. GAVDIO. DE. FONTIBVS. SALVATORIS; inferius: INDICTIO. IVBILEI. 1724.

VI.

BENEDICTVS. XIII. P. M. AN. IVBIL. *Effigies*, *cum Regno*, *& pluviali*, *in quo supplicatio ad Portam Sanctam procedens*.

FLVENT. AD. EVM. OMNES. GENTES. *Basilicæ Vaticanæ adspectus*; *& Lupa puerum lactans*. [4]

Hujus Numismatis, pro Indictione etiam Jubilei cusi, postica pars, epochâ mutatâ, & aliquot litteris omissis, eadem est, ac postica Clementis X. Pontificis, quam R. Pater *Bonannius* numero IX. retulit.

VII.

BENEDICTVS. XIII. P. M. AN. IVBIL. *Effigies*, *cum pileolo*, *& palliolo*; *inferiùs*: HAMERANI.

CAROLO. MAGNO. ROMANÆ. ECCLESIÆ. VINDICI. *Statua equestris Caroli Magni*; *in exergo*: ANNO. IVBILEI. MDCCXXV. [4]

In Vaticanæ Basilicæ Porticu duæ Statuæ Equestres conspiciuntur; quæ ad lævam, opus est Equitis *Berninii*, ac repræsentat Constantinum Magnum; quæ ad dexteram, Augustini *Cornacchini*, Sculptoris Florentini, qui expressum voluit Carolum Magnum; posterior hæc sta-

a *Vide Vitam Benedicti XIII. per Archiep. Firmanum Alexandrum Borgiam editam Romæ* MDCCXLI. *typis Bernabò, & Lazzarini*.

b *Tom. 2. pag. 895.*

Digitized by Google

statua, cura Ludovici *Sergardii* Fabricæ D. Petri Œconomiæ Præpositi sculpta est anno MDCCXXV., hoc Numismate cuso, cujus posticæ epigraphe eadem est, ac illa, quæ statuæ sedi fuit insculpta.

VIII.

BENEDICT. XIII. P. M. AN. II. *Effigies, cum tiara tribus coronis referta, & pluviali, in quo S. Philippus Nerius.*

PER. ME. SI. QVIS. INTROIERIT. SALVABITVR. *Porta Sancta, ante eam Christus, & aliquot peregrini.* [6]

IX.

BENEDICT. XIII. P. M. AN. IVBIL. *Effigies, cum Regno, & pluviali.*

DOMVS. DEI. ET. PORTA. COELI. 1725. *Pontifex Portam Sanctam referans, multis Peregrinis genibus flexis.* [4]

X.

BENED. XIII. P. M. AN. II. MDCCXXV. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo florea serta.*

BENEDIXIT. FILIIS. IN. TE. *Pontifex Portam Sanctam claudens.* [5]

Duo hæc postrema Numismata eadem sunt, ac quæ sub Clemente X. refert *Bonannius* numero VII., & X., nomine tantùm, & epochâ mutatis.

XI.

BENEDICTVS. XIII. PONT. M. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola, in qua S. Philippus Nerius.*

IVB. DEO. OMN. TER. 1725. *Pontifex Portam Sanctam referans; Inferiùs:* TRAVANVS. [5]

Multi illustres Viri, Fœminæque Advenæ anno Jubilei MDCCXXV. Romæ fuerunt; inter has Violantes Beatrix Bavaricæ Gentis, Magna Etruriæ Princeps, quæ a Benedicto magnifice excepta est.

XII.

BENEDICTVS. XIII. P. M. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio.*

SS. PETR. ET. PAVL — ROMA. *SS. Apostolorum Petri, & Pauli protomæ.* [6]

Hæc minimi moduli Numismata explicatione, utpote satis clara, non indigent.

XIII.

BENEDICTVS. XIII. P. M. AN. IVBIL. *Effigies, cum triplici Regno, & pluviali.*

D. O. M.

D. O. M. BENEDICTVS . XIII. PONT. MAX. PRIMVM . LAPIDEM. IMPOSVIT. DE. MENSE. MARTII. MDCCXXV. [4]

XIV.

BENED. XIII. P. M. A. IV. *Effigies Pontificis manu benedicentis, cum pileolo, & brevi pallio.*

COR. NOSTRVM. DILATATVM. EST. *Nosocomii S. Gallicani adspectus; inferius:* S. MARIÆ. ET. S. GALLICANI. NOSOCOMIVM. 1727. [5]

Horum Numismatum primum in Nosocomii fundamentis, cum primo lapide, Benedictus XIII. mense Martio anni MDCCXXV. posuit; Secundum cusum est, perfecto ædificio. Nullum Romæ erat Nosocomium, in quo porrigine laborantes curarentur. Benedictus XIII., ut eo morbo adfectis consuleret, *S. Mariæ* Nosocomium laxavit, redditibusque auxit; Immò quum *S. Spiritus in Saxia* Xenodochium *Lancisius* Clementis XI. Medicus hæredem ex asse reliquisset, ut Mulieribus novum Nosocomium instrueretur, Pontifex eidem a se erecto hæreditatem attribuit, cavitque, ut Mulieres etiam porriginosæ in eo reciperentur.

XV.

BENEDICTVS. XIII. P. M. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio.*

S. ELENA. IMPER. *S. Elena stans, Crucem dextrâ tenens.* [6]

Hoc Numisma, qua occasione cusum sit, fateor, me latere.

XVI.

BENEDICT. XIII. P. M. AN. III. *Effigies, cum pileolo, brevi pallio, & stola; inferius:* HAMERANI. F.

EREXIT. IN. TITVLVM. *Jacob effundens oleum in petram, cui inscriptum est:* GEN. 6. 28.; *In exergo:* MDCCXXVI. [5]

Adluditur hic ad Consecrationes Ecclesiarum, Altarium, Calicum, & Tintinnabulorum, quibus Benedictus quotidie vacabat [a]; Harum qui numerum exactissimum habere velit, poterit eas in pulcherrima tabula æri incisa, *Angeli Mariæ* Cardinalis *Quirini* operâ, conspicere.

XVII.

BENEDICT. XIII. PONT. M. A. III. *Effigies, ut numero superiori.*

BEA-

a *Borgia in Vita.*

BEATVS . QVI . INTELLIGIT . SVPER . EGENVM . ET . PAVPEREM . *Pontifex publicè audiens varios inopes .* [5]

Hæc poſtica, qua Benedicti charitas in egenos oſtenditur, eadem eſt, ac ea, quam R. P. Bonannius refert ſub *Innocentio X.* numero XVII.

XVIII.

BENEDICTVS . XIII. PONT. MAX. *Effigies , cum pileolo , & pallio brevi .*

FVLCITE . ME . FLORIBVS . MDCCXXVI. *Mulier ſedens , cum Pontificia Tiara , & puero , qui ei flores porrigit ; infernè Pontificis ſtemma .* [3]

Adluditur ad ſtemma Urſinorum, in quo Roſa.

XIX.

BENEDICTVS . XIII. P. M. *Effigies , ut numero ſuperiori .*

EGO . SVM . PASTOR . BONVS . *Salvator ovem bajulans ; inferius :* TRAVANVS . [6]

Hic verò Benedicti deſignatur Cura Paſtoralis, qua animarum ſaluti proſpiciebat, peccatoreſque ad viam reducere ſatagebat.

XX.

BENEDICTVS . XIII. P. M. *Effigies , ut numeris ſuperioribus .*

SVOS . PROPRIO . SANGVINE . PASCIT . *Pellicanus , ut filios alat , pectus lacerans .* [5]

Similem poſticam vidimus ſub Innocentio XII., quam R. P. *Bonannius* numero XIII. retulit.

XXI.

BENEDICTVS . XIII. P. M. A. IV. *Effigies , ut numero XVIII.*

TV . DOMINVS . ET . MAGISTER . *Chriſtus S. Petri pedes lavans ; in exergo :* EXEMPL. DEDI . VOBIS . [5]

Effigies cuſa, quum Benedictus ſolemnem Pontificatus poſſeſſionem cœpit, aptata eſt Numiſmatibus, XII. Peregrinis Feriâ *v. in Cœna Domini* annis I. II., & III. diſtributis; Quam verò hìc adducimus, effigies, in Numiſmatibus anni IV., & V. expreſſa eſt.

XXII.

BENEDICTVS . XIII. PONT. MAX. *Effigies eadem, ac ſupra .*

CORPORE . S. FLAVII . CLEMENTIS . EXCONSVLIS . ET . MARTYRIS . ELEVATO . MDCCXXVII. *Inferiùs Annibalis S. R. E. Card. Albani Camerarii ſtemma , & :* HEDLINGER . [3]

Quum anno MDCCXXV. *Annibal Albanus*, Clementis XI. P. M. Fratris Filius, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Camerarius, tituli S. Clemen-

mentis, hujus Ecclesiæ effosso ad principem aram pavimento, Sancti Ignatii Martyris reliquias inquireret, XI. Kalendas Februarias ossa reperiit *S. T. Flavii Clementis* Ex-consulis, & Martyris. Hæc anno in Numismate expresso Pontifex novâ urnâ marmoreâ condidit [a], quam idem Cardinalis affabre elaboratam eidem altari supposuit.

XXIII.

BENEDICTVS. XIII. P. M. *Effigies, ut numeris superioribus.*

S. PATER. BENED. *S. Benedictus Abbas stans cum baculo pastorali.* [6]

Pontificis nomini per hoc Numisma adluditur, & eximiæ ejusdem in S. Benedictum Abbatem religioni.

XXIV.

BENEDICTVS. XIII. PONT. MAX. *Effigies, cum Regno, & pluviali, in quo Deus Pater Mundum creans.*

S. Lucas pingens. [4]

Eandem posticam sub Clemente XI. vidimus, & explicavimus; hæc cusa est, ut Bonarum artium studiosis ab Academicis S. Lucæ distribueretur, sub auspiciis Cardinalis *Albani* Tit. S. Clementis.

XXV.

BENEDICTVS. XIII. P. M. A. V. *Effigies, nudato capite, cum arabici operis pluviali.*

ERGASTVLVM. CENTVMCELLENSE. MDCCXXVIII. [5]

Quùm sæpius Ecclesiastici viri ad triremes, una cum Laicis, damnarentur, Benedictus XIII. ergastulum *Corneti* instauravit, jussitque, ne alibi Sacerdotes pœnas graviores subirent. Numismatis chalybs in antica parte est fractus.

XXVI.

BENED. XIII. P. M. A. VI. *Effigies Pontificis manu benedicentis, cum pileolo, & brevi palllio.*

APOTHEOSIS. IN. LATERANO. S. IOANN. NEPOM. MDCXXIX. *Pontifex in throno Sanctum proclamans.* [4]

Post maturum causæ examen, XIV. Kalend. Apriles anni MDCCXXIX. Benedictus XIII. inter Sanctos retulit B. *Johannem Nepomucenum*, Presbyterum Canonicum Pragensem, Constitutione edita, quæ incipit: *Christus Dominus*. Solemnitas in Basilica Lateranensi acta est,

a *Vide Tit. Flav. Clementis tumul. illustrat. Rom. MDCCXXVII. in quarto.*

Digitized by Google

est, eamque in Numismate Artifex expressit. Hic verò animadvertendum est, tam in hoc, quàm in aliis Numismatibus, quæ supra retulimus, adhiberi vetus vocabulum ἀποθεώσεως, quod licèt verè *inter Divos relatio* significet, apud Christianos tamen *relationem inter Sanctos* solummodo denotat. Adeat, qui plura vult, Eminentissimum Prosperum Lambertinum, nunc SS. D. N. in Libro pererudito, quem edidit, de Canonizatione Sanctorum [a].

XXVII.

OSTENDE. QVEM. ELEGERIS. *Spiritus Sanctus irradiatus.*
SEDE. VACANTE. *Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum protome*; *in exergo*: MDCCXXX. [4]

Quum decessisset integerrimus, innocentissimusque Pontifex Benedictus IX. Kalendas Martias anni MDCCXXX., magnæ statim, Sede Vacante, Romæ excitatæ sunt turbæ in aliquos, qui Pontificis facilitate abusi fuerant. Hoc Numisma cusum est eo tempore, mense Junio, ut Vigiliâ Sancti Petri S. R. E. Camerario, Quæstori, & Cameræ Apostolicæ Clericis distribueretur.

a Tomo 1.



LAurentius *Corsinius*, Florentinus, S. R. E. Cardinalis, IV. Idus Julias anni MDCCXXX. electus est Pontifex, Clementis XII. nomine sumto. Obiit VIII. Idus Interkalares, anni MDCCXL. Ejus corpus primùm in Vaticana Basilica, deinde in Lateranensi magnifico, quod ipse erexerat, Sacello, cum hac epigraphe est conditum.

CLEMENS. XII.
PONT. MAX.
ANNO. IV.

I.

CLEMENS. XII. PONT. M. *Effigies Pontificis, cum pileolo, & brevi pallio.*

RECTIS. CORDE. LÆTITIA. *Mulier stans, dextrâ lances, lævâ palmam tenet; in exergo:* MDCCXXX. OTTO. HAM. [5]

Numisma percussum est, cum Clemens pridie Idus Novembres anni MDCCXXX. ad Lateranensem Basilicam, prisco more, statisque cære-

remoniis primùm perrexit, & Romani Episcopatus possessionem nactus est. Frequentissimus solemnitati populus interfuit, cunctis acclamantibus, ut qui optimum futurum Principem sperabant, quem præcipua in Urbe munia egregie semper obivisse noverant.

II.

CLEMENS. XII. P. M. A. I. *Effigies, cum Regno, & arabici operis pluviali.*

PORTÆ. INFERI. NON. PRÆVALEBVNT. *Mulier stans, claves dextrâ, librum lævâ tenens, hydram pede conterit; Procul Basilica S. Petri in Vaticano; in exergo:* MDCCXXXI. [5]

Quæ fuerit Clementis animi firmitas adversus Hæreticorum, & Schismaticorum technas, hoc symbolo significatur.

III.

CLEMENS. XII. PONT. M. A. II. *Effigies, cum Regno, & pluviali; inferius:* HAMERANI.

ADIVTOR. IN. OPPORTVNIT. MDCCXXXII. *Urbis Anconitanæ, ejusque Portus adspectus; inferius:* MDCCXXXII. [4]

Ut commercium in Ecclesiasticæ ditionis Provinciis augeretur, Pontifex Anconitanum Portum vectigalibus eximere constituit, & in rei memoriam hoc Numisma percussit.

IV.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio.*

OB. MEMOR. CHRISTIAN. SECVRIT. REST. *Arcus Constantini prope Amphitheatrum, vulgò* Colosseo. *In exergo:* MDCCXXXIII. O. H. *& Lupa.* [4]

Arcum Constantini Magni Imperatoris Clemens Pontifex restauraturus operi præfecit Marchiones *Theodolum*, & *Capponium* præcipuos antiquitatum cultores. Columnæ arcus sunt e flavo marmore, quem vocant *Giallo antico*: Harum una, quòd deficeret, addita est, sed e lunensi lapide, servi item statua, quam sculpsit *Petrus Braccius*, qui & aliorum Servorum capita refecit, quæ Laurentius *Medices* per summam injuriam absciderat, & Florentiam adsportaverat. In eum *Muretus* vehementem habuit Orationem, quare Laurentius a Pontifice, & a Senatu Romano proscriptus fuit *.

* *Vide Muret. in Orationib.*

Clemens præterea plateam circa arcum laxavit, Inſcriptionemque, (opus Clariſſimi Franciſci Valeſii, quem honoris cauſâ nomino) arcui appoſuit [a]. Lupa, quæ in Numiſmatis exergo viſitur, ſignum eſt Cuſoris, cujus etiam nomen Siglæ O. H. exprimunt, hoc eſt, OTTHONEM. HAMERANVM.

V.

CLEMENS. XII. PONT. M. AN. IV. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & ſtola, in qua Spiritus Sanctus in Columbæ ſpeciem; inferius verò*: HAMERANI.

MVLTIPLICASTI. MAGNIFICENTIAM. *Mulier ſedens ſupra globum, galeata, mammillâ denudatâ, lævâ parazonium, dexterâ Genium tenet alatum, qui coronam, & cornucopiæ inverſum habet; in globo*: 1734., *& Lupa; in exergo*: VETERIBVS. SIGNIS. IN. CAPITOLIO. ERECTIS. [4]

Veteres Statuas, aliaque Romanæ antiquitatis monumenta undequaque conquiſita, Clemens in Capitolio adſervari juſſit, magnificentiſſimâ iis paratâ ſede. Hìc de egregia Principis cura brevitas me loqui non ſinit; dicam tantùm, vetera hæc cimelia Alexandrum *Albanum* Cardinalem ampliſſimum primùm collegiſſe, eademque Marchionem Gregorium Alexandrum *Capponium*, Sanctiſſimi Domini Noſtri Majorem, ut ajunt, *Forerium*, & Canonicum Antonium *Baldanum*, ejuſdem Cardinalis a cognitionibus, magnâ curâ diſpoſuiſſe. Qui plura ſcire cupit, adeat Romanæ Urbis deſcriptionem [b] noviſſimæ editionis anni MDCCXLI., & *Gaddil* opus, in quo ædificia Clementis XII. deſcribuntur.

VI.

CLEMENS. XII. P. M. A. V. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & ſtola*.

SECVRITAS. POPVL. RAVEN. *Mulier jacens, dextrâ cornucopiæ tenens; poſt illam arbor pini; e lateribus duæ urnæ, e quibus aqua effluit; alteri urnarum adſcriptum eſt*: MONTO. *alteri*: RONCHVS. *In exergo*: MDCCXXXV. [4]

Ne fluvii Vitis, & Bedeſis, nunc *Ronchus*, & *Monto*, qui Ravennam præterfluunt, nivibus, pluviiſque turgeſcentes Urbem antiquiſſimam inundarent, obruerentque, Pontifex, conſultis primùm doctiſſimis Geometris *Euſtachio Manfredi* Bononienſi, & Bernardi-

a *Vide Rom. Antic. pag. 137. edit. anni 1741.*
b *Pag. 9.*

Digitized by Google

dino *Zendrinio* Venetæ Reipublicæ Mathematico, eorum alterum novo alveo procul ab urbe deduxit, pontemque in eo fecit ingenti sumtu; ideo Ravennatum ordo tanti beneficii memor Statuam Pontifici posuit. Pinus in Numismate expressa, agrum indicat Ravennatum, qui mari adjacet, Pinorum feracissimum [a].

VII.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. A. V. *Effigies, ut numero superiori.*

FONTE. AQVÆ. VIRGINIS. ORNATO. *Fontis Aquæ Virginis, sive Trivii, adspectus; Inferius*: MDCCXXXVI. O. *Lupa*, *&* H. [3]

Aquæ Virginis ductus identidem labefactatos, Imperatores, & Romani Pontifices instaurarunt. Novissime Clemens XII., quoniam rude Labrum aquam tantopere commendatam excipiebat, corrivatis ad caput aquis per vicinos agros diffluentibus, ornatissimum iisdem lacum parari jussit, opusque Nicolao *Salvio* Romano Architecto commisit. Ædificium, quod lacui imminet, antiquæ Romanorum magnificentiæ specimen refert. In ornatissima sede Neptunus visitur bigæ insidens, & a marinis equis ex scopulis affabre elaboratis in subjectas aquas vectus. Moderantur equos duo Tritones, inflatis buccis in speciem canentium cornibus [b]. Anaglypha marmorea intercolumniis intexta sunt. Reliquam Ædificii frontem fenestræ, & pilæ ornant elegantissimæ, quæ adhærentibus nobilissimæ Comitum familiæ ædibus decus addunt.

VIII.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. A. VI. *Effigies, ut numeris superioribus.*

ADMINISTRORVM. COMODO. ET. EQVITVM. STATIONIBVS. *Frons ædis* Consultæ *in Quirinali monte*; *in exergo*: O. MDCCXXXVII. H. [3]

Domum in Quirinali monte, haud procul ab ædibus Pontificiis, Equite Ferdinando *Fuga* Architecto, Clemens ædificavit, eamque incolunt ii, qui sunt a Secretis Congregationis Sacræ Consultæ, & ab epistolis Apostolicis, quas dicunt *in forma Brevis*, eorumque Ministri [c], itidemque Equites lævis armaturæ, & loricati.

IX.

a *Adeas Rossi memor. di Ravenna; Spreti, aliosque.*
b *Roma Moderna pag.* 200.
c *Roma Moderna pag.* 186.

IX.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. A. VII. *Effigies similis.*

ILLOS. ET. GLORIFICAVIT. *Quatuor Sancti in nubibus; supernè Spiritus Sanctus eos irradiens.* [4]

Percussum est Numisma ad significandam Canonizationem SS. *Vincentii de Paulis*, Sacerdotum Missionis Fundatoris, *Francisci Regis*, Soc. Jesu, *Catharinæ a Janua*, & *Julianæ Falconeriæ*, per Pontificem factam in Basilica Lateranensi anno MDCCXXXVII.

X.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. ANN. IX. *Eadem effigies.*

PIA. DOMO. SERVATA. *Pontifex stans; post eum viri figura cum cornucopiæ; ante eum Mulier cum tribus pueris; Procul Xenodochii ædificium, cum pauperibus aliquot genuflexis. Supernè Spiritus Sanctus radiis Pontificem illustrans.* [4]

In hoc Numismate Domus, & Xenodochium S. Spiritus in Saxia a Clemente reparatum exprimitur; ejusque munificentia, & charitas in pauperes. Xenodochium S. Spiritus (jam S. Mariæ) in Saxia, ab Innocentio III.[a] auctum, amplissimisque redditibus dotatum, ære alieno premebatur; quare Clemens XII. Cardinales aliquot, & Præsules administrationi rei familiaris præfecit, ut superfluos sumtus adimerent, fundosque fructuosiores redderent. Eidem partem census attribuit, quem redemtores sortium, seu, ut ajunt *del Lotto*, quotannis solvebant. BENEDICTUS XIV. innumera beneficia in idem Xenodochium contulit, & ægrorum comodo ædes ampliavit[b].

XI.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio.*

Sanctus Lucas in nubibus sedens pingit Deiparam cum puero Jesu in ulnis. [4]

Augustino *Masuccio* Academiæ S. Lucæ Principe, habita est XVI. Academia Artium Liberalium in Capitolio anno MDCCXXXVIII. XII. Kalendas Januarias, in qua earum artium Tyronibus præmia distributa sunt, Doctissimus Michael Angelus *Jacomelli* Pistoriensis, ab intimo Pontificio Sacello, elegantissimam Orationem habuit, & Arcadum Pastorum selectissimi Poemata recitarunt, adstantibus Pur-

a *Vide Innocentii III. Const. 11.*
b *Roma Moderna pag. 282. Piazza Opere pie di Roma. Alver. Roma in ogni stato.*

Purpuratis Patribus quamplurimis. Adfuit & Sereniſſimus Princeps *Fridericus Chriſtianus*, Regis Poloniæ Filius, qui tamen non alio, quàm *Luſatiæ* Comitis nomine appellari voluit. Magnâ id factum eſt pompâ, ſumtibus Cardinalis amplisſimi Annibalis *Albani* S. R. E. Camerarii [a]. Hac occaſione cuſum eſt præſens Numiſma, cujus formæ, nomine mutato, eædem ſunt, ac quæ Clemente XI. Pontifice adhibitæ fuerunt.

XII.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, cum camaleucio, & brevi pallio.*

NON. QVÆRIT. QVÆ. SVA. SVNT. *Mulier ſedens Puerum lactat; alius Puer ei blanditur.* [5]

Pontificis erga Pauperes Charitas hoc exprimitur ſymbolo, quo Veteres etiam uſi ſunt.

XIII.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies, cum Tiara tribus coronis redimita, & pluviali.*

TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Chriſtus S. Petri pedes lavans; inferius:* EXEMPLVM. DEDI. VOBIS. [5]

Poſtica hæc eadem eſt, ac quam ſupra ſub Clemente XI. vidimus. Numiſma Feriâ v. in *Cœna Domini* cuſum ulteriori non indiget explicatione.

XIV.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio.*

EX. COLLATICIA. PROBATAQVE. MONETA. *In exergo:* PVBLICÆ. FIDEI. MONIMENT. 1735. *Tentorium Cameræ Apoſtolicæ inſigne cum clavibus decuſſatis.* [4]

Hoc Numiſma cuſum eſt in Monetali Officina, quum *Aſſagium* fieret monetarum, quod aliàs per epigraphem: ASSAGIVM. GENERALE. expreſſum vidimus. Licèt ſuperiùs pluriès de hoc *Aſſagio* loquutus ſim, præſtat hìc longiorem de eo ſermonem habere.

Quum monetæ aliquot cuſæ ſunt, puta aureorum numorum centum millia, antequam in Publicum emittantur, ab officinæ monetalis Præfectis, Artiſque Conſulibus, præſentibus Præſidente, ejus Viceſgerente Commiſſario, & publico Tabellione, una ex monetis cuſis, in duo fruſta ſecatur, quorum unum in fornace probatur,

[a] *Vide Librum: Delle lodi delle belle arti &c. 1739. Romæ apud Jo. Mariam* Salvionium.

tur, alterum verò in Officina custoditur. Frusta deinde magnâ copiâ coacervata funduntur, & Numismata aliquot auro, argentove percutiuntur, quibus Rev. Cameræ Officiales donentur.

XV.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero superiori.*

IVSTITIA. FIRMATVR. SOLIVM. ANNO. SALVTIS. MDCCXXXII. PONT. ANNO. III. *In exergo Trojani Acquavivæ Domui Pontificiæ Præfecti, nunc Cardinalis amplissimi, Stemma.* [4]

Hoc Numisma jactum est a Trojano Acquaviva in fundamentis ædium *Consultæ*, de quibus per Pontificem constructis supra loquuti sumus.

XVI.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*

PRIMO. IMPOSITO. LAPIDE. XV. KAL. IVNI. SACELLVM. IN. HONOREM. S. ANDREÆ. CORSINI. IN. LATERAN. BASIL. CONSTRVCTVM. *In tænia verò*: ANNO. SALVTIS. MDCCXXXII. PONT. SVI. ANNO. III. [4]

Jactum est præsens Numisma in fundamentis Sacelli Corsinii ad S. Johannis in Laterano, de quo inferius.

XVII.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, ut supra.*

DIE. QVA. FVNDAMENTA. IACTA. SVNT. TEMPLI. MDCCXXXI. *Circa hanc epigraphem alia, in qua legitur*: IN. HONOREM. INFANTIS. IESV. [4]

Clemens XII. adhuc Cardinalis suo fovit Patrocinio Cœnobium (vulgò *Conservatorio*) Virginum, quæ denominantur *Infantis Jesu*, ad Esquilini montis radices. Ad Pontificatum evectus novam Ecclesiam ædificavit, Architectis Carolo *Buratto*, & Equ. Ferdinando *Fuga*, quorum primus Ecclesiam ad xx. palmos elevavit, alter perfecit. Hoc Numisma in fundamentis jactum est anno MDCCXXXI.

XVIII.

CLEMENS. XII. PONT. MAXIMVS. AN. III. *Effigies, cum Regno, & arabici operis pluviali.*

SACELLO. IN. LATERANEN. BASIL. S. ANDREÆ. CORSINO. ÆDIFICATO. *Interior adspectus Sacelli Corsinii in Basilica Lateranensi; in exergo*: A. S. CIƆIƆCCXXXIII. O. *Lupa*, & H. [3]

Juxta Portam Orientalem Basilicæ S. Johannis in Laterano est novum Sa-

Sacellum a Clemente XII. erectum, Alexandro *Galileo* Florentino, Architecto, & redditibus, ac donis auctum.

In hoc maximi moduli Numismate visitur interior adspectus Sacelli, in quo musivo opere tabula ad apographum *Guidi Renii*, nec non anaglypha, & Pontificis tumulus conspiciuntur, omnia elegantissimè expressa.

XIX.

CLEMENS. XII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Effigies, ut supra.*

ADORATE. DOMINVM. IN. ATRIO. SANCTO. EIVS. *Basilicæ Lateranensis adspectus. Sub coronide:* CLEMENS. XII. P. M. AN. IIII. CHRISTO. SALVATORI. ET. SS. IOAN. BAPT. ET. EV. *Ante Basilicam est ejusdem Ichnographia, cum epigraphe, minoribus litteris expressa:* LATERAN. BASIL. PORTICVS. *In exergo:* ALEXANDER. GALILEVS. ARCH. INV. [1]

Hoc pulcherrimo maximi moduli Numismate Porticus, & Frons Basilicæ Lateranensis, Clemente XII. Summo Pontifice, magnis sumtibus constructæ, exprimuntur [a]. In eo *Ottho Hameranus* ingenii sui optimum dedit specimen.

XX.

CLEMENS. XII. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & stola.*

SACERDOS. MAGNVS. IN. DIEBVS. SVIS. CORROBORAVIT. TEMPLVM. ECCL. SO. MDCCXXXVI. [4]

Percussum est hoc Numisma, jactumque in fundamentis Ecclesiæ Sodalitii Sanctissimi Nominis MARIÆ, in foro Columnæ Trajanæ. Cœptum est Ædificium anno MDCCXXXVI. auspiciis Eminentissimi Cardinalis *Pici*, Sodalitii Patroni, qui illud juxta modulum *Derisetzii* Architecti Galli, construendum jussit [b].

XXI.

CLEMENS. XII. PONTIFEX. MAXIMVS. *Effigies cum triplici Regno, & arabici operis pluviali.*

PVBLICÆ. INCOLVMITATIS. PRÆSIDIO. *Læmocomii Anconitani adspectus, qua mare respicit, in quo naves; Procul Anconæ adspectus; In exergo:* DORICÆ. VRBIS. LOEMOCOMIVM. 1734. O. *Lupa*. H. [2]

a *Videas Rom. Modern. pag. 45., & Gaddium ubi supra.*
b *Roma Moderna pag. 118.*

Non ſolùm vectigalibus Anconæ Portum Clemens XII. levavit, ſed, jactis novis molibus, tutiorem reddere curavit, & Lœmocomium conſtruxit ampliſſimum, ad excipiendos nautas, & merces, in quibus peſtis ſuſcipio ſit. Ædificiorum Architectus fuit Ludovicus Vanvitellius Romanus, Gaſparis Pictoris filius, qui ea diligentiſsime delineavit: hæc ad ejus exemplum æri inciſa ſunt, in Chalcographia Cameræ Apoſtolicæ.



Mor-

Digitized by Google



MOrtuo Clemente XII. VIII. Idus Intercalares anni MDCCXL., ſexto poſt menſe, & diebus XIV., nempe XVI. Kal. Septembres, PROSPER tit. S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis ex nobiliſſima LAMBERTINORUM gente, Civis, & Archiepiſcopus Bononienſis, communi Patrum ſuffragio, Summus Pontifex renunciatus eſt, plaudente Româ, totoque Orbe, præſertim quòd ex inſperato, & nil tale cogitanti Romanus Pontificatus obtigerit.

I.

BENEDICTVS. XIV. PONT. MAX. *Effigies Pontificis, cum pileolo, brevi pallio, & ſtola.*

IVDICABIT. IN. ÆQVITATE. *Mulier ſtans, Pontificiâ tiarâ redimita, dexterâ lances tenet, lævâ haſtæ, in cujus ſummitate Chriſti programma, innititur, pedibus hydram conterit. In exergo:* MDCCXL., *& Cuſoris ſignum.* [4]

Hiſce ſymbolis exponit Artifex, quæ BENEDICTO XIV. præcipuæ ſint animi dotes, eximia nempe divinarum rerum peritia, idque Chri-

sti programma indicat; summa æquitas, & legum peritia, quas lances exprimunt; demum, quòd scelerum, errorumque sit vindex acerrimus, per hydram humi stratam, pedibusque pressam demonstratur. Hæc tamen omnia luculentius egregia Summi Pontificis edita Volumina nos docent, & mira in publicis præsertim conventibus dicendi facultas.

II.

BENEDICTVS. XIV. PONT. MAX. A. I. *Effigies, ut numero superiori.*

VT. MECVM. SIT. ET. MECVM. LABORET. *Mulier stans, thorace, & paludamento induta, dexterâ globum ostendit, lævâ navis gubernaculum tenet; supra ejus caput, oculus radios emittens.* [5]

In hoc Numismate, quod percussum, & distributum est, quum BENEDICTUS XIV. XII. Kal. Septemb. anni MDCCXL. solemni ritu in Basilica Vaticana coronatus est, exprimitur ejusdem vigilantia, qua Petri navim moderatur. Hoc per oculum, & gubernaculum denotatur.

III.

BENEDICTVS. XIV. PONT. MAX. *Effigies, ut in superioribus.*

BASIL. LIBER. PORTIC. REST. *Porticus Basilicæ Liberianæ, sive S. Mariæ Majoris.* [4]

Pontifex postquam Arcum, & fornicem ad Sixti V. Sacellum restauraverat, eumque similem alteri, qui e conspectu est, construi jusserat; Porticum, & frontem Basilicæ, Equite Ferdinando *Fuga* Architecto, a fundamentis refecit, in cujus coronide legitur:

BENEDICTVS. XIV. P. M. A. FVNDAMENT. EREX.

Supra principem Portam.

BENEDICTVS XIV. PONT. MAX.
LIBERIANI TEMPLI FRONTEM ET PORTICVM
IN HANC AMPLITVDINEM
EXCITAVIT
ANNO CIϽIϽCCXLIII.
PONTIFICATVS SVI III.

Supra Portam sinistro latere.

BENEDICTO XIV. PONT. MAX.
QVOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS
LIBERIANÆ BASILICÆ FRONTEM

A FVN-

Digitized by Google

A FUNDAMENTIS EREXERIT
IMPOSITIS SIGNIS ORNAVERIT
LABENTEM PORTICUM RESTITUERIT
COMMUNES CANONICORUM ÆDES
A SOLO EXTRUXERIT
EXTERIORES GRADUS
AD AVERSAM ABSIDIS PARTEM REPARAVERIT
TECTUM VETUSTATE CORRUPTUM REFECERIT
CAPITULUM ET CANONICI MUNIFICENTISS. PONT.
PP.

IV.

BENEDICTUS. XIV. PONT. MAX. *Effigies, ut supra.*
TU. DOMINUS. ET. MAGISTER. *Christus S. Petri pedes lavans*; *in exergo*: EXEMPLUM. DEDI. VOBIS. [5]
Pluries docuimus, hujuscemodi Numismata distribui XII. Sacerdotibus, quorum pedes Feriâ V. in Cœna Domini Pontifex lavat.

V.

BENEDICTUS. XIV. P. M. ANN. II. *Effigies Pontificis cum pileolo, pallio brevi, & stola, in qua Crux.*
VECTIGALIBUS. REMISSIS. *Mulier stans, dexteram navis proræ admovet, levâ cornucopiæ tenet*; *ad pedes aliquot mercium sarcinæ*; *procul mare cum navibus*. *In exergo*: AD. CENTUMCEL. 1742. [4]
Epigraphe petita est a Numismatibus Nervæ, & aliorum Augustorum [a]. BENEDICTUS XIV. Portum Centumcellarum vectigalibus levavit, immunitatesque ab Innocentio XII. eidem collatas restituit. Propterea ejus Oppidi Cives Pontifici optime de se merito juxta Portum, statuam posuere, & sub ea sequentem Inscriptionem, quam ego composueram.

BENEDICTO. XIV. PONT. OPT. MAX.
QUOD
VECTIGALIA. PORTUS. REMISERIT
IMMUNITATES. AB. INNOC. XII. COLLATAS
ADAUXERIT. AC. RESTITUERIT
CURANTIBUS

AN-

a *Vide Mediobarb. Numism. Imper.*

ANNIBALE . S. R. E. CARD. ALBANO . CAMERARIO
SYLVIO . S. R. E. CARD. VALENTI . SS. D. N. A . SECRETIS
ET
MARIO . BOLOGNETTO . ABR. PONT. PRAEFECTO
NEGOCIATORES . CENTVMCELLENSES
L. DDD.
BENEMERENTI . POSVERE
AN. SAL. MDCCXLII.

VI.

BENEDICTVS . XIV. PONT. MAX. A. III. *Effigies eadem, ac supra.*

MEMORIÆ . M. CLEM. M. BRIT. REGINÆ. *Monumentum Mariæ Clementinæ Sobjeski, Magnæ Britanniæ Reginæ, in Basilica Vaticana erectum.* [5]

Xv. Kalendas Februarias anni MDCCXXXV. immaturâ morte obiit piissima Conjux *Jacobi* III. Magnæ Britanniæ Regis; ejus exequiæ in Templo SS. Apostolorum celebratæ sunt, unde Cadaver Regiâ pompâ elatum est ad Vaticanam Basilicam, ibique tumulatum magnifico sepulchro, quod a Clemente XII. cœptum BENEDICTUS XIV. absolvit, *Nicolao Barrigionio* Architecto; statuas verò Petrus Braccius sculpsit. Pontifex monumentum æri incidi per *Roccum Puteum* jussit, & Numismate Augustissimæ Reginæ memoriam servari.

VII.

BENEDICTVS . XIV. PONT. MAX. A. IV. *Caput cum camaleucio, & brevi pallio; infra:* O. H.

TRICLINII . LATERAN. PARIETINIS . RESTITVTIS. *Apsidis Triclinii Leoniani nuper instaurati adspectus.* [4]

De S. Leonis III. Triclinio disseruere quamplurimi, quorum præcipuus est Nicolaus Alemannus, cui si quid addiderim, aut detraxerim, deterius erit. Præstat igitur epigraphem novo ædificio appositam hic subjicere, ex qua quisque noverit, qua cura, & diligentia S. D. N. BENEDICTUS XIV. præclarissimum Christianæ Religionis monumentum ab interitu vindicaverit.

BENE-

BENEDICTVS XIV. P. M.
ANTIQVISSIMVM EX VERMICVLATO OPERE
MONIMENTVM
IN OCCIDENTALI APSIDE
LATERANENSIS COENACVLI
A LEONE III.
SACRO COGENDO SENATVI
ALIISQVE SOLEMNIBVS PERAGENDIS
EXTRVCTI
QVOD AD TEMPLI AREAM LAXANDAM
CLEMENS XII.
INTEGRVM LOCO MOVERI
ET AD PROXIMVM S. LAVRENTII ORATORIVM
COLLOCARI IVSSERAT
VEL ARTIFICVM IMPERITIA
VEL REI DIFFICVLTATE
DIPFRACTVM AC PENITVS DISIECTVM
NE ILLVSTRE ADEO
PONTIFICIAE MAIESTATIS AVTHORITATISQVE
ARGVMENTVM
LITERARIAE REIPVBLICAE DAMNO INTERIRET
AD FIDEM EXEMPLI
IPSIVS CLEMENTIS PROVIDENTIA
STANTIBVS ADHVC PARIETINIS
ACCVRATE COLORIBVS EXPRESSI
ET SIMILLIMAE IN VATICANO CODICE
VETERIS PICTVRAE
NOVA APSIDE
A FVNDAMENTIS EXCITATA
ERVDITORVM VIRORVM VOTIS OCCVRRENS
VRBI AETERNAE
RESTITVIT
ANNO CIϽIϽCCXLIII.
PONT. SVI. III.

FINIS.

CA-

Digitized by Google

CATALOGUS
MONETARUM, ET EMBLEMATUM,
Quæ P. Bonannius inter Numiſmata recenſet.

MARTINUS V.

7. SIC. OMNIS. MVNDI. GLORIA. *Emblema*.

EUGENIUS IV.

7. EVGENIVS. PP. QVARTVS. *Moneta*.
8. REDDE. CVIQVE. SVVM. *Emblema*.

NICOLAUS V.

9. VICTRIX. CASTA. FIDES. *Emblema*.

CALIXTUS III.

5. OMNES. REGES. SERVIENT. EI. *Emblema*.

PIUS II.

6. INSPERATA. FLORVIT. *Emblema*.

ALEXANDER VI.

7. TENTANDA. VIA. *Emblema*.

PIUS III.

5. PENA. ET. PRÆMIVM. *Emblema*.

JULIUS II.

19. LVMINARIA. VERAE. FIDEI — ROMA. *Moneta*.

LEO X.

6.7. VICIT. LEO. DE. TRIBV. IVDA. *Moneta*.
13. LVX. VERA. IN. TENEBRIS. LVCET. *Moneta*.
15.16. PETRE. ECCE. TEMPLVM. TVVM. *Moneta*.

17. PACEM. MEAM. DO. VOBIS. *Moneta*.
12. SVAVE. *Emblema*.

CLEMENS VII.

2. 3. HODIE. SALVS. FACTA. EST. MVNDO. *Moneta*.
4. IVSTI. INTRABVNT. IN. EAM. *Moneta*.
9. MISIT. D. ANG. SVVM. ET. LIBERAVIT. ME. *Moneta*.
20. VT. ME. DILIGERENT. PRO. EO. ECCE. HOMO. *Moneta*.

PAULUS III.

22. TV. AVTEM. IDEM. IPSE. ES. RAVEN. *Moneta*.
9. IN. VIAM. PACIS. DIRIGENTVR. PEDES. NOSTRI. *Moneta*.
18. S. PAVLVS. ALMA. ROMA. *Moneta*.
23. TV. AVTEM. IDEM. IPSE. ES. ALMA. ROMA. *Moneta*.
36. 1550. SEDE. VACANTE. *Moneta*.

JULIUS III.

30. SEDE. VACANTE. ANN. 1555. *Moneta*.

MARCELLUS II.

6. SI. POSSIBILE. EST. TRANSEAT. A. ME. CALIX. ISTE. *Moneta*.

PAULUS IV.

17. 18. SEDE. VACANTE. 1559. *Moneta*.
16. DVRABIS. IN. PERPETVVM. *Emblema*.

PIUS IV.

10. TV. AVTEM. IDEM. IPSE. ES. *Moneta*.
30. EXVRGAT. DEVS. *Moneta*.
29. ANTIDOTVM. VITAE. *Emblema*.
31. HVMILIA. RESPICIT. *Emblema*.

PIUS V.

28. SS. Petri, & Pauli, ac Pontificis stemma. *Moneta*.
29. SPES. NON. CONFVNDITVR. *Emblema*.

Digitized by Google

30. FLVCTVS. EIVS. TV. MITIGAS. *Emblema.*
31. SCIO. CVI. CREDIDI. *Emblema.*
32. CONGRATVLAMINI. MIHI. *Emblema.*

GREGORIUS XIII.

64. A. QVO. ET. AD. QVEM. *Emblema.*
65. FOELIX. PRAESAGIVM. *Emblema.*
66. ΓΡΗΓΟΡΕΙ. *Emblema.*
67. PRAEBET. NON. PROHIBET. *Emblema.*
68. DESERTIS. SEMINA. TERRIS. *Emblema.*

SIXTVS V.

24. IN. TE. SITIO—ROMÆ. *Moneta.*
30. AD. LATERA. P. CONCIS. CELEBRAV. *Moneta.*
40. MONTALTO. 1588. *Moneta.*

URBANUS VII.

6. OMNIBVS. GRATVS. *Emblema.*

GREGORIUS XIV.

7. IVPITER. PLVE. MEL. *Emblema.*

CLEMENS VIII.

17. SINE. CLADE. 1598. *Moneta.*
45. DVRABIT. IN. ÆTERNVM. *Emblema.*
46. NIHIL. ILLE. RELIQVIT. *Emblema.*

PAULUS V.

38. VAS. ELECTIONIS. *Moneta.*
39. MORTIFERA. NON. NOCEBVNT. *Moneta.*
40. IVSTITIA. ET. CLEMENTIA. COMPLEXÆ. SVNT. *Moneta.*

GREGORIUS XV.

10. QĀ. DOMINVS. SVSCEPIT. ME. *Moneta.*
11. SEDE. VACANTE. 1623. *Moneta.*
12. GLORIA. DOMINI. PLENVM. EST. OPVS. *Emblema.*

ALEXANDER VII.


48.49. SEDE. VACANTE. MDCLVII. *Moneta*.

CLEMENS IX.

18.19. SEDE. VACANTE. MDCLXIX. *Moneta*.

CLEMENS X.

3. CVM. ME. LAVDARENT. SIMVL. ASTRA. MATVTINA. *Moneta*.
8. DEDI. CORAM. TE. OSTIVM. APERTVM. *Moneta*.
22. VT. ABVNDETIS. MAGIS — MDCLXXII. *Moneta*.
27. INTERCEDITE. PRO. NOBIS. ROMA. *Moneta*.



IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

B

C

F

G

H

I

Ra-

Digitized by Google

FINIS.

ER-

ERRATA. CORRIGE.

		ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 4.	*lin.* 26.	insignils	insignibus. *& alibi*
7.	14.	*fasciæ duæ*	*fascia unica*
12.	3.	tectus	tecti
13.	4.	molendini	molæ
29.	30.	Basilicam	testudinem
ibid.	34.	*victis*	*vittis*
74.	2.	Feuda	territorii Feuda
81.	11.	impluviæ	impluvii
138.	31.	*adhærens*	*posita*
162.	11.	imo	ima
ibid.	15.	tenestrellis	fenestellis
173.	7.	HPIDIÆ	PHIDIÆ
197.	19.	florentissimos Europæ Regnos	florentissima Europæ Regna
202.	2.	VILLAM	VILLA
226.	20.	Europæos	Europæ
228.	3.	alium	aliud
275.	*penult.*	graciliores	graciles
330.	24. *& alibi.*	chalybes vidi eadem præseferentia	formas vidi eadem præseferentes
336.	23.	S. Gertruydembergensis	Gertrudembergensis, *sive* Montem S. Gertrudis
366.	27.	LATERAN.	LEONIANI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google